


IOANNIS IACOBI CHIFLETII,
EQVITIS, ET REGII ARCHIATRORVM COMITIS,
OPERA POLITICO-HISTORICA,
AD PACEM PVBLICAM SPECTANTIA:
QVORVM SERIES;

I. VINDICIÆ HISPANICÆ, in quibus ARCANA REGIA publico Pacis bono luce donantur.
II. LVMINA NOVA, GENEALOGICA, SALICA, PRÆROGATIVA; siue Responsa ad Francorum obiectiones.
III. LAMPADES HISTORICÆ contra nouas Marci Antonij Dominici cauillationes, parte alterâ rediuiuæ (vt ipse comminiscitur) Ansberti Senatoris Familiæ.
IV. ALSATIA, iure Proprietatis & Protectionis, PHILIPPO IV. Regi Catholico VINDICATA.
V. LOTHARINGIA MASCVLINA aduersus Anonymum Parisiensem.
VI. COMMENTARIVS LOTHARIENSIS; quo præsertim BARRENSIS DVCATVS Imperio asseritur; Iura eius Regalia Serenissimo Principi CAROLO III. Duci Lotharingiæ & Barri absolutè vindicantur.

Accedunt prætereà

LEGES SALICÆ illustratæ: illarum NATALE SOLVM demonstratum, cum GLOSSARIO SALICO vocum Atuaticarum: Auctore GOTEFRIDO WENDELINO, Taxandro-Salio, I. V. D. Canonico Condatensi & Officiale Tornacensi.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. L.



VINDICIÆ HISPANICÆ;

IN QVIBVS

ARCANA REGIA,

PVBLICO PACIS BONO,

LVCE DONANTVR.

Editio Altera; cui acceſſere


LVMINA NOVA

GENEALOGICA, SALICA, PRÆROGATIVA;

SIVE

RESPONSA AD FRANCORVM OBIECTIONES.

Auctore IOANNE IACOBO CHIFLETIO, Equite & Archiatro Regio.





ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XLVII.



PHILIPPO IV.

AVSTRIACO, HISPANICO,

CAROLI MAGNI IMP.

GERMANO PRIMIGENIOQVE

SANGVINI,

ANTIQVI ORBIS ARCHIREGI,

NOVI IMPERATORI,

VBIQVE CATHOLICO;

PERPETVO ATQVE INVICTO

SPONSÆ CHRISTI ECCLESIÆ

DEFENSORI,

VINDICIAS HISPAÑICAS,

NOVIS LVMINIBVS

AVCTAS ATQVE ILLVSTRATAS,

PERENNIS OBSEQVII

MONVMENTVM,

IOAN. IAC. CHIFLETIVS,

DEVOTISSIMVS CLIENS,

MEDICVS A CVBICVLO

DD. CQ.

POTENTISSIME REX,

CLEMENTISSIME DOMINE,



FRANCI, vel ex ipſo vetuſtatis teſtimonio, homines inquieti, MAIESTATEM TVAM nemini infenſam, omnibus benignam, aliquot abhinc annis, Scriptis & Armis violenter aggreſſi ſunt. Illa iſtorum prænuncia fuêre, & atrociſſimi belli falſa fundamenta. Regum ſuorum originem à CAROLO MAGNO, quam aliàs in Concilio Tridentino iactarat Petrus Daneſius, miris extulerunt encomijs; & confeſtim antiqui ac latè patentis FRANCORVM REGNI, quod MAGNVS poſſederat IMPERATOR, repetendis limitibus acriter inſtitêre; adiunctis futilibus SALICÆ LEGIS decretis. Sumpſiſti conſilium, REX MAXIME, à progenitore TVO FERDINANDO Catholico Rege, *qui geſtorum ſuorum*

Ammian. lib. 20.

Zurita lib. 8. c. 33.

IVSTITIAM *publicè solebat comprobare, vt, si posset, cuiusuis belli impendentis præscinderet causam.* Auctoritate quippe Tuâ mihi iniunctum, vt aduersus edita hostium Scripta VINDICIAS HISPANICAS pararem. Obtemperaui lubens, & sub inclyto nomine Tuo, quod calumniam arceret & liuorem, hostilis vtriusque fundamenti vanitatem detexi, vetustis nouitatem dedi, nouis auctoritatem, ARCANIS lucem, dubijs fidem, absque omni specie adulationis; vt sic dulce non esset vindicari, sed vtile. Vt autem Vindicijs meis, quæ firmis rationum & illustrium locorum momentis sunt stabilitæ, fidem detraheret Assertor Gallicus, *Famosos libellos* ausus est appellare, & acribus verborum stimulis immoderatiùs me impetere. Ego verò aculeos eius non minoris æstimaui, quàm miles strenuus honorarias cicatrices. Non sum Arteuellij vmbra, qui olim Anglis, sed VINDEX viuus, qui Regibus Hispanis perpetua inclyti sui sanguinis iura clarè demonstraui; qui Augustissimam Domum

AVSTRIACAM ab inſultantium hoſtium calumnijs fortiter propugnaui.

Quæ porrò ex vigilijs meis emolumenta TIBI emerſerint, REX BENIGNISSIME, oſtendo paucis. Poſtquam in VINDICIIS HISPANICIS perſpicuè docui, Capetinos Reges à CAROLO MAGNO ſerie maſculinâ oriundos non eſſe; femininâ verò ab Hiſpanis & Auſtriacis anteuerti; rei veritate perculſi hoſtes, relictâ MAGNI CÆSARIS directâ ſtirpe, quam tot retrò ſæculis tantoperè prædicarant, tranſuerſam finxêre genealogiam, quâ Reges ſuos non recto limite ab IMPERATORE MAGNO, ſed obliquo ductu à propatruo eius CHILDEBRANDO deducere conati ſunt. At ipſi, haud ſecùs ac immerſi aquis & perturbati, derelicto præſtantiori CAROLINO ſtipite, dum tranſuerſo ramali ſe inhærere ſomniant, in vorticoſum gurgitem præcipites feruntur; ſic vt iam neque à MAGNI CÆSARIS primigenio virili trunco, neque ab eius ſurculis exortos Reges ſuos nanciſcantur.

Aliud

Aliud emolumentum prodijt ex LEGE SALICA ritè diſcuſsâ & examinatâ : vt enim verè & ſagaciter S. Iuſtinus; Ἡ τῶν πραγμάτων ἀκριβὴς ἐξέτασις, καὶ τὰ δόξαντα καλῶς ἔχειν, πολλάκις ἀλλοιότερα δείκνυσιν, ἀκριβεστέρᾳ πείρᾳ τἀληθὲς βασανίσασα : *Accurata rerum inquiſitio perſæpè ea, quæ rectè iudicata ſunt, exactiore veritatis examine adhibito, longè aliter ſe habere oſtendit.*

In Exhort. ad Græcos.

Iactabant Franci LEGEM illam, Regno coæuam, numquam tenebras paſſam : nunc verò LVMINIBVS admotis, nihil eſt amplius quàm larua aut ſpectrum; quippe quæ, vt Pariſienſis vir eruditus hoc ipſo anno faſſus eſt, & ſcripſit, *non agat de iure publico, & longè minùs de Corona ſucceſſione, ſed dumtaxat de priuatorum iuribus.*

Videnda inferiùs pag. 225.

Tertia Operis mei vtilitas oritur ex vindicatis MAIESTATIS TVÆ ſupra Francos PRÆROGATIVIS; quas etſi Gallicus Aſſertor maledicentijs impugnare tentauit, confutatis à me captioſis eius argumentis, integræ ac ſplendidæ iam radiant magis & coruſcant; ægrè quamuis ferentibus Francis, qui (tradente Pio II. ſummo Pontifice) *gloriam aliorum, ſuam eſſe ignominiam exiſtimant.*

Lib. 3. Commēt. pag. 90.

En

En igitur operâ meâ fructus MAIESTATI TVÆ partos, quos eò penitiùs agnoſcet, ſi eius iuſſu viri docti, rerum quas pertractaui gnari, de lucubrationibus meis iudicium ferant; non verò diſceptatores inepti, qui exploſa dudum falſa Principum ſtemmata cæci ſequuntur & laudant; Germana autem & amuſſatim expenſa, quæ non intelligunt, errore implicata ignoranter exiſtimant; qui à litigantibus haud lecti, arbitros ſponte ſuâ ſe conſtituunt; cùm tamen plurimum referat, *ſortiatur aliquis* IVDICEM, *an eligat; multúmque apparatus interſit apud inuitatum hoſpitem, & oblatum.* Plinius in Præfat.

Supereſt, OPTIME REX, vt Belgarum Burgundionúmque nomine immenſas TIBI gratias referam, propterea quòd Sereniſſimum Auſtriæ Archiducem LEOPOLDVM GVILIELMVM, Regali & Imperatorio ſanguine TIBI proximè iunctum, ijs gubernandis ſapienter præfeceris; Principem verè pium & bellicoſum, qui dum felicibus Tuis exercitibus præſens & intrepidus imperat; dum nihil à cæte-

ris nisi animi robore & præstantiâ differt; Tibi haud dubiè (quod votum omnium nostrûm est) Victorias & Triumphos; Pacem verò ac Tranquillitatem fidelibus populis est accersiturus. Bruxellæ Kalendis Augusti anni Christiani M. DC. XLVII.




AVIA PERAGRO LOCA
HISPANICO VINDICI
IOANNI IACOBO CHIFLETIO
EQVITI ET ARCHIATRO REGIO.

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO,

D. IOANNI IACOBO CHIFLETIO,

EQVITI ET ARCHIATRO REGIO.



OBILISSIME *& amplissime Domine*, VINDICIAS HISPANICAS *accepi, luculentum sanè Opus & Librorum Librum, in quo summum ingenium tuum & incredibilem industriam admiratus sum; sed assertam à te Historia nostra veritatem veneratus. Quidni sic dicam? sic iudicem? Inspexi Volumen subitò, percurri auide, expensurus accuratiùs singula, vt discam plurima, ac pleniori ore felicitati tua applaudam. De origine quidem* CAPETI *hactenus ignotâ, déque* LEGE SALICA *hactenus laruatâ, disputant alij, tu triumphas: prorsus tamquam* FRANCIÆ *Coronam detrahas,* HISPANIÆ *imponas; dignus, ita me Deus, qui ad magnos ipse Titulos venias; vel si hos spernis, in Prytaneo alaris. Et quid opus est armis? stylo tuo debellatum est; stylo aureo, & cui omne ferrum cedat necessum est.* PAX *igitur succedat:* PACIS BONO VINDICIÆ TVÆ *& scripta & publicata sunt:* CONTROVERSIÆ OMNES, LARVÆ, MENDACIA IVGVLATA. *Sic vale & viue, Nobilissime Domine, & me amare perge. Louanij in arce,* IV. *Eid. Aug.* M. DC. XLV.

Virtutis, doctrinæ, & famæ tuæ verus cultor

ERYCIVS PVTEANVS.

Ludouicus Canterellus Faber, Parisiensis, Regi Francorum à Consilijs, in Dissertatione Historicâ, de connubio Ansberti & Blitildis, editâ Parisijs anno M. DC. XLVII. *hæc scribit, ex Gallico Latinè versa.*

In Præfat. pag. 23.



ESPONSVM ASSERTORIS GALLICI non accipiat CHIFLETIVS pro doctrinâ Francicâ, sed pro errore in facto & in iure, qui vix tolerandus esset in Anglo, vel in Hispano. Ille prius lucem non aspexit, quàm fuit damnatus à Doctore * FABROTO in Epistolâ præfixâ Basilicis, quæ nuncnunc in publicum prodière. Nec dubitandum, quin improbetur à Francis omnibus, qui manum scriptioni admouebunt. Gaudeo me occasionem nactum, sententiam meam de illo proferendi, causâ genealogiæ Ansberti & Blitildis. A falso illo principio expectari non possunt nisi periculosæ consequentiæ; qualis est ASSERTORIS GALLICI, qui melius inire consilium non potest, quàm celeriter CANENDI PALINODIAM.

* Vide infrà Lumen 2. Salicum, pag. 217.



APPRO-

APPROBATIO CENSORVM.



VINDICIIS hisce Hispanicis, publico pacis bono luce donandis, Nobilis & Amplissimus Dominus Ioannes Iacobus Chiffletius, Eques & Archiater Regius, panopliam munitissimam instruxit, è quâ non tantùm æquales eius, sed etiam posteri argumenta solidissima petere possint, quotiescumque erit illis aduersus germanæ veritatis & Hispanicæ magnitudinis hostes in aciem ac dimicationem prodeundum. Quapropter cùm nihil etiam vel Orthodoxæ Religioni vel bonis moribus contrarium contineant, luce publicâ dignissimas censeo. Actum Bruxellis Nonis Martij, die S. Thomæ Aquinati sacrâ, M. DC. XLV.

Antonius Sanderus Presbyter, Canonicus & Scholasticus Cathedralis Ecclesiæ Iprensis, S. Theologiæ Licentiatus, Librorum Censor.



QVÆ Clariss. & Ampliss. D. Ioannes Iacobus Chiffletius in Vindicijs Hispanicis Arcana Regia, Politica, Genealogica in obscuris antiquitatibus recondita solerti & venatrice inuestigatione eruit & dexexit (ex quibus clarè patet quàm infirmo fundamento nitantur, qui prætextu Legis Salicæ strepitu armorum omnia turbant) digna sunt quæ typis commissa in lucem prodeant. Actum Antuerpiæ XIX. Iulij M. DC. XLV.

P. Coens S. T. L. Canon. & Lib. Cens. Antuerp.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *Vindicias Hiſpanicas, Auctore Ioanne Iacobo Chifletio Equite & Archiatro Regio*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſas in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ VII. Martij M. DC. XLV.

Signat.

Steenhuyſe.

INDEX CAPITVM
quæ continentur in Vindicijs Hispanicis.

CAP. IX.



VINDI-

VINDICIÆ HISPANICÆ,

IN QVIBVS.

ARCANA REGIA,
GENEALOGICA, SALICA,
PRÆROGATIVA,
LVCE DONANTVR.

PRÆFATIO.

AVCTOR LECTORI BENEVOLO occasionem scriptionis huius aperit; maleuolo mentem suam denuntiat.



XEVNTE *anno* M. DC. XLIII. *Illustrissimus D. Didacus Saauedra Faxardus, in supremo Indiarum Senatu Consiliarius, & Plenipotentiarius Regius, ex itinere, quo, Pacis inter Reges componendæ gratiâ, Monasterium VVestphaliæ contendebat, Bruxellam venit: vbi cùm graui inualetudine tentato ferè adessem, petijt à me inter alia, ecquid ego sentirem de politicis huius æui Scriptoribus, deq; fucatâ illâ & Potentiorum libidini seruiliter ancillante aduersus Hispanos Francorum eloquentiâ. Cui ingenuè, & aureis Phædri verbis respondi:*

Non semper ea sunt, quæ videntur: decipit Fabular. lib. 4.
Frons prima multos: rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

Subieci deinde, plerosque Vetustatem admirandam, à quâ se vapulare sentiunt, obliuione ac tenebris obruere; optandumq; esse, vt aliquando tandem ARCANA REGIA,

 publico

publico Pacis bono, ex intimis Antiquitatis latebris eruerentur. Et ille, ingenij præstantiâ rerumq; agendarum peritissimus: Næ, *inquit*, operæ pretium, Regique gratissimum feceris, si veritatem in tuto colloces; & quod in eâ improbè violatum est, priscæ germanæque fidei restituas.

Haud ita multò pòst Excellent. D. Franciscus de Mello, Turris-Lacunæ Marchio, Belgij ac Burgundiæ tum Gubernator, hanc mihi prouinciam imposuit, iussitq; Regis Maximi nomine, vt cuncta in hoc argumento ad memoriam posteritatis illustria, quamprimùm, si non copiosius aut venustiùs (quod in tam præcipiti opere sperare non licebat) at certè veriùs exequerer. Itaque ad eiusmodi ARCANA *inuestiganda, componenda, edenda animum adieci; tum ex plena auctoritatis Regiæ iussu; tum Archiatrorum Caroli Burgundiæ Ducis exemplo;* qui (*vt Oliuarius Marcanus auctor est*) tantâ doctrinâ morumque probitate commendabiles erant, vt meritò rebus in arduis eorum operâ atque consilio Princeps vti posset.

In Descript. Familiæ Caroli Ducis.

Accessit posteà iudicium fauens Excell. D. Emanuelis de Moura, Marchionis à Castello Rodericij, nostri Gubernatoris; cui in explicandis antiquorum Principum Stemmatis ætas nostra non tulit parem.

En

En occasionem huius Scripti : sed postremùm te volo, Lector, me, vbi hoc ipsum luce donaui, solemni more chirothecam dimisisse, ineundæ pugnæ fiduciarium pignus : si tollis, & in arenam descendere paratus es, iustis armis mecum decertes rogo, & ad capita singula articulatim respondeas, mei dumtaxat, neque alieni ab argumento stadij finibus inclusus. Nihil enim affirmo, quod auctoribus, quantum potui, ætate suppàribus non probem; vel certè ijs, qui bonâ fide ex antiquioribus sua mutuati sunt. Odi homines loquaces, ignauâ operâ, anonymos & acephalos, & sic inuerecundos, ac alienæ famæ violatores, qui abutentes otiolo suo, dum quoquo modo audita pro compertis habent, magna excitant vestibula, nullo ædificio subsequente. Quocircà & moneo te & hortor, vt strenuum militem induas, personam deponas, cassidaq́; sustollas tegmen; alioqui responsi nihil omnino à me feres; sed meo contentus veritatem suspiciam, & Deum colam, cuius tam prouida benignitas est, vt concussam armis Europam, vastatas prouincias, deiectas vrbes, & cetera eiusmodi, quæ videntur mala, in salutem nostram vertat, perenniq́; ac numquam interituræ PHILIPPI IV. *Archiregis nostri gloriæ velificari velit*, qui (*vt de Imp. Marco Antonino Sextus Aurelius Victor loquitur*) virtutum omnium cælestisque ingenij cùm sit, ærumnis publicis quasi defensor obiectus est. Etenim In Epitome.

nisi ad ista tempora natus esset, profectò quasi vno lapsu ruissent omnia Status [CHRISTIANI.] Quippe ab armis nusquam quies fuit; per omnem Orientem & Occidentem bella ferbuerunt: terræmotus, non sine interitu ciuitatum; inundationes fluminum; lues crebra: prorsus vt propè nihil, quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non illo regnante sæuierit. Credo Diuinitus attributum, vt dum mundi lex seu natura, aliúdve quid hominibus incognitum, ea mala gignit, Rectorum consilijs, tamquam Medicinæ remedijs leniatur.



VINDI-

VINDICIÆ HISPANICÆ.

CAPVT I.

Origo vera HVGONIS CAPETI, *Franciæ Occiduæ Regis, nunc primùm patefacta. Per illam* LVDOVICVS XIII. *Rex nullum ius habuit ad hereditatem* CAROLI MAGNI.



VAMVIS assentandi libidine veritas politica infringi soleat; ita tamen comparatum esse videmus, vt non tantùm Principes ipsi figmentorum portentis aures præbeant, sed etiam Reipublicæ administri mox aliquid affingant: quo fit, vt paulatim veri inquisitione, quæ homini propria est, valere iussâ, *nimiâ charitate & ceterorum odio, etsi fabulæ & immania, credantur.* Tacitus. Paucis abhinc annis collimauit ad hunc scopum Iacobus Cassanus, Lib. 1. qui, vt hodierni belli incendio prælucceret, binam præcipuè facem c. 1. & 3. prætendit; quarum alterâ, asseruit LVDOVICVM XIII. Franciæ Regem à CAROLO MAGNO Imperatore per HVGONEM CAPETVM genus ducere; proindeque quidquid iuris vspiam ad amplissimum CAROLI Imperium HVGO habuisset, idem omnino eidem LVDOVICO competere.

Alteram bello facem prætulit, LEGEM SALICAM, quâ (vt ille ait) apud Francos solis dumtaxat masculis Regia hereditas defertur, & quæuis Regij dominij distractio prohibetur: vnde iterùm intulit, nemini iniuriam facturum Regem Franciæ, si iure suo vtendo vindicias ageret omnium quæ iam inde à CAROLI MAGNI temporibus Augustissimi Imperatoris Coronæ decessissent.

Mirum quàm facilè hæc ita prolata aduersæ menti illudant, quæ rametsi verum præuidisset, nec illud defensura erat, nec secutura. Sed sui semper secura imprudentia rerum merita non potest immutare; neque vlli vnquam cordato viro Socraticum decretum placuit, quo fas esse arbitrabatur vel occuluisse veritatem, vel concessisse mendacium. Quamobrem non peperci ego labori meo, vt remoto scenæ politicæ sipario, puræ candidæque huic temporis filiæ, ab omni affectu immunis, litarem, docerem que in primis Hugonis Capeti Regis

gis verum genus, à quo hodierni Franciæ Reges ortum habeant: idque prætermissis consultò neotericorum variantibus sententijs, quòd ab eorum consilio semper abhorruerim, qui tefurandis alienis scriptis tempus terunt, & ex contumeliâ laudem improbè venantur. Moneo dumtaxat (vt hanc mihi gratiam posteri habeant) originem illam tanto studio à Francis æqualibus occultatam fuisse ac suppressam, vt Glaber Rodulphus, primùm Autissiodori ad sanctum Germanum, deinde Cluniaci monachus, qui Roberti II. Regis æuo, hoc est ante sexcentos annos floruit, de Hugonis Capeti Regis Patre & Auo, scilicet Hugone Magno Duce, & Roberto I. Rege, ista litteris mandauerit: *Fuit hic* HVGO *filius* ROBERTI *Parisiorum Comitis; qui videlicet* ROBERTVS *breui in tempore Rex constitutus, & ab exercitu Saxonum est interfectus; cuius* GENVS *idcircò adnotare distulimus, quia* VALDE *inantè reperitur* OBSCVRVM. Illud profectò difficile intellectu, per me, deinceps non erit.

Historiar. lib. 1. cap. 2.

Masculinum Stemma HVGONIS CAPETI *Regis, Francis ipsis hactenus incompertum.*

1. Welphus Altorffi Comes in Sueuiâ, tempore CAROLI MAGNI Imp. vxor N. Saxonica.

2. Erhico, siue Henricus, Altorffi & Rauensbergæ Comes, stemmatis Propagator in Germaniâ. — Iudith vxor Ludouici Pij Imperatoris & Regis Franciæ. — Conradus maior, Dux Burgundiæ & Comes Parisiensis: vxor Adelaid filia Hugonis I. Abbatis, filij nothi CAROLI MAGNI. — Rodulphus Abbas S. Richarij, Consiliarius & Primas Palatij Francorum.

3. Carolus Caluus Imperator. — Robertus Fortis, Marchio, Francorum Dux. — Hugo II. Abbas, Dux Franciæ & Burgundiæ. — Cõradus minor, Comes Burgundiæ Trãsjuranæ.

4. Ludouicus Balbus Rex Franciæ. — Odo Dux & Rex Francorum. — Robertus I. Dux & Rex Francorum. — Rudolphus I. Rex Burgund. Transjuranæ. — Alaydis vxor Richardi, per illam Burgundiæ Ducis.

5. Carolus Simplex Rex Franciæ. — Arnulphus Rex Aquitaniæ, ἄπαις. — Hugo Magnus Albus, Dux Franciæ & Burgundiæ. — Rudolphus II. Rex Burgundiæ. — Rudolphus Rex Franciæ, ἄπαις.

6. Ludouicus IV. Rex Franciæ. — HVGO CAPETVS Rex Franciæ. — Conradus Rex Burgundiæ.

7. Lotharius Rex Franciæ. — Carolus Dux Lotharingiæ Inferioris. — Robertus II. Rex Franciæ. — Rudolphus III. Rex Burgundiæ, ἄπαις.

8. Ludouicus V. Rex Franciæ, ἄπαις. — Otho Dux Lotharingiæ Inferioris, ἄπαις, postremusque masculinâ CAROLI MAGNI stirpe. — Henricus I. Rex Franciæ, à quo alij Capetini Reges, vsque ad Ludouicum XIV.

STEM-

STEMMATIS PROBATIONES.

VTRVM in hac serie genealogicâ veritatem supra ceteros alios perspexerim, aut alicuius momenti quidpiam attulerim, vel ipsorum Francorum iudicio ac censuræ relinquo, quos inter non nemo; *Principum*, inquit, *Christianorum stemmata, & Reusneri, ac aliorum in hoc genere lucubrationes, propter* REGVM AC PRINCIPVM *inter se negotia*, IVRA, PRÆTENSIONES, MATRIMONIA, SVCCESSIONES, *& id genus alia, diligentiorem paulò operam requirunt, studiumque politicum exercent; in ipsarum* ORIGINVM VERITATE *cùm alicuius difficultatis occasio emerserit, sedulò quidem pensitanda, inuestigandaque.* Iam ad rem fide testium euincendam venio. Naudæus in Bibliographiâ Politicâ.

IVDITH, VXOR LVDOVICI PII.] Theganus de Ludouico Pio: *Accepit filiam* WELPHI *Ducis, qui erat de nobilissimâ stirpe Bauarorum; & nomen virginis* IVDITH, *quæ erat, ex parte matris, nobilissimi generis Saxonici, eamque Reginam constituit.* Welphoni primo hujus nominis, Comiti Altorffio, Theganus præproperè Ducalem Bauariæ tribuit dignitatem, quæ Welphoni IV. dumtaxat competijt; quippe quem Monachus Weingartensis, & Bertoldus Constantiensis disertè vocant *primum Ducem Bauariæ.* Rectiùs Eginarthus, de gestis Ludouici Pij, anno IↃCCCXIX: *Inspectis plerisque Nobilium filiabus,* WELPHI *Comitis filiam duxit vxorem.* Contractus quoque eodem anno: *Imperator* IVDITH, *filiam* WELPHI *Comitis, duxit vxorem, ex quâ* CAROLVM *genuit.* Alius item æqualis auctor Vitæ Ludouici Pij: IVDITH *filiam* WELFONIS *nobilissimi Comitis in matrimonium iunxit.* Illud porrò Ludouici coniugium fratres Iudithæ Allemannos in Franciam pellexit; quorum deinde posteri regium nomen & fastigium sibi asseruerunt. Cap. 26. Cap. 8. anno 1071. In Annalibus. In Chron. Apud Chesneum tom. 2. Script. Franc. Histor.

CONRADVS MAIOR & RODVLPHVS.] Nithardus de Ludouici Pij filijs ex priore coniugio, anno DCCC. XXXI: *Reginam* [IVDITH] *velauerunt: fratres eius* CONRADVM *&* RODVLPHVM *totonderunt.* Theganus de iisdem: *Suscipientes Reginam* IVDITH, *eamque vi velantes, & in Monasterium mittentes; & fratres eius,* CONRADVM *&* RVDOLFVM *tondentes.* Vita & actus Ludouici Pij, anno DCCC.XXXI: *Coniugem reuocarunt, fratresque illius* CONRADVM *&* RODVLPHVM *iam dudum attonsos.* Annales Bertiniani, anno DCCC. LXIV: CONRADVS *Caroli Regis auunculus.* Anno prætereà DCCC. LXVI: RVDOLPHVS *Caroli Regis auunculus colicâ moritur.* Fragmentum historiæ Franciciæ ex codice Bibliothecæ Thuanæ, nec non & Floriacense Chronicon eodem anno: *Auunculus quoque eius* [Caroli Calui] RODVLPHVS *Consiliarius, Primasque palatij, hominem exit.* Chesneus de Ludouico lib. 1. Cap. 36. Apud Chesneum lib. cit.

B

Lib. 2. Burg. cap. 7. Ludouico Pio: *Secundo matrimonio sibi iunxit* IVDITHAM, *filiam nobilissimi* WELPHI *Comitis, sororem* HENRICI *Comitis Rauensbergij,* CONRADI *Comitis Parisiensis, & RODVLPHI Abbatis S. Richarij, primi Consiliarij in palatio Regis* CAROLI *sui nepotis*. Henricus ille (quem alij Ethiconem vocant) frater Iudithæ natu maior, in Sueuiâ stemma Welphorum propagauit.

In Chron. ROBERTVS FORTIS.] Regino Abbas anno DCCC. LXI: CAROLVS *placitum habuit in Compendio, ibique cum Optimatum consilio,* RODBERTO *Comiti Ducatum inter Ligerim & Sequanam aduersus Britones commendauit; quem cum ingenti industriâ per aliquod tempus rexit*. Anno DCCC. LXVII: RODBERTVS *absque galeâ & loricâ accurrens, cùm incautiùs dimicaret, & inimicos vltrà insequeretur, interfectus est.*

Epist. 305. HVGO II. ABBAS.] Ioannes Papa VIII. ad Hugonem II. Abbatem scribit: HVGONI, *strenuo, nobili*, REGALI PROSAPIA EDITO, *atque excellentissimo Abbati*: quia nempè natus erat Adelaide filiâ Hugonis I. Abbatis, filij nothi Caroli Magni. Similem ob ortum, tumulo Arnulphi Remensis Archiepiscopi, qui Ludouici IV. Regis ex concubinâ filius erat, hæc fuerunt insculpta, in choro sancti Remigij Remensis, anno M. IX.

Hic iacet ARNVLPHVS REGALI STEMMATE FVSVS,
Remorum Præsul, nulli pietate secundus.

Regino anno iam dicto DCCC. LXVII. consequenter: *Non multo pòst interiecto tempore,* HVGO *Abba in locum Roberti substitutus est, vir strenuus, humilis, iustus, pacificus, & omni morum honestate fundatus: siquidem* ODO *&* ROBERTVS, *filij* ROBERTI, *adhuc paruuli erant, quando pater extinctus est: & ideò non est illis Ducatus commissus*. Chronicon S. Benigni Diuionensis MS. in Bertilone Abbate: *His diebus effera Danorum natio, tertiam Neustrasiis inflictura cladem, aduênit, intulissetque maiorem superioribus, ni* HVGO *per Gallias* ABBATIS *honore præditus, eorum temerarios compescuisset ausus. Auxiliante namque Deo, paruâ manu tantas hostium phalanges fudit, vt vix superesset qui nunciare potuisset. Quâ plagâ humiliati Dani, Gallias per aliquod spatium temporis reliquerunt.*

Lib. 2. de Mirac. S. Bened. cap. 1. Aimoinus Floriacensis verba eadem refert, sed cum glossemate (fortè libellionis) *vt fertur, Roberti filius*. Erat enim Hugo Abbas Roberti Fortis frater, non filius; vt ex continenti Chronici Diuionensis narratione statim apparebit: cuius authoritati addi etiam potest hoc argumentum stringens Sanmarthanorum fratrum:

Lib. 5. cap. 6. *Regino Abbas* (inquiunt) *disertè scripsit,* HVGONEM *Abbatem fuisse substitutum in locum* ROBERTI FORTIS *ad regendum Franciæ Ducatum, quia* ODO *&* ROBERTVS, *filij* ROBERTI FORTIS, *adhuc puerули erant*

quando

quando Pater mortuus est: vnde colligitur, HVGONEM *Abbatem non ex proprio capite successisse* ROBERTO FORTI, *sed patrui & tutoris titulo dumtaxat; maximè cùm Aimoini Continuator, & alter Aimoinus Floriacensis, conceptis verbis tradant,* ROBERTVM FORTEM *duos tantùm filios sibi superstites reliquisse.* Regino iterùm anno DCCC. LXXXVII: HVGO *Abba, magnæ pietatis vir, & magnæ prudentiæ, moritur, & apud S. Germanum Autissiodoro sepelitur. Ducatus, quem tenuerat & strenuè rexerat,* ODONI *filio* ROTBERTI *ab Imperatore traditur, qui eâ tempestate Parisiorum Comes erat.* Albericus eodem anno: HVGO *Dux & Abbas miræ potestatis & prudentiæ moritur; cuius consilio per septem annos Regnum Francorum, ex quo* LVDOVICVS BALBVS *obierat, fuerat commissum.* Lib. 5. cap. 41. Loc. cit. In Chronic. In Chronic. MS.

ODO ET ROBERTVS FRATRES.] Chronicon Diuionense continenter: *At* HVGONE *vltimos vitæ suæ claudente soles;* LVDOVICOque *Principe, post administratum biennio Regnum, diem obeunte,* CAROLVS *(qui Simplex posteà dictus est) in cunis annum agens, patre orbatus remansit. Supererant duo filij* ROBERTI *Andegauorum Comitis,* FRATRIS HVGONIS ABBATIS: *senior* ODO *dicebatur,* ROBERTVS *alter, patrem nomine referens. Ex his maiorem natu* ODONEM *Franci tutorem pueri, Regnique elegêre gubernatorem, quia recidiui Normannorum exercitus imminebant.*

ALAYDIS.] Albericus anno DCCCC. VI: *Vxor* RICHARDI *Ducis Burgundiæ dicta est* ALAYDIS, *mater Regis* RODVLPHI; scilicet Franciæ Regis; nam soror erat alterius Rodulphi Burgundiæ Transjuranæ Regis, à quo accepit Romanum monasterium *(Roman-monstier)* in Waldensi pago situm; quod ipsa anno DCCCC. XXVIII. possidendum dedit Odoni Abbati Cluniacensi, ob causas quæ in donationis tabulis hisce verbis continentur: *Hanc igitur donationem pro Dei amore & SS. Apostolorum in primis facio: deinde pro animâ* GERMANI *dulcissimi* MEI, *Domini* RVDOLFI REGIS, *harum videlicet rerum largitoris: tum verò pro requie Domini mei, piæ memoriæ Principis* RICHARDI, *ac pro* WILLA *Reginâ: dehinc pro me, & Domino* RVDOLFO REGE *filio meo: & item* RVDOLFO REGE *nepote meo: pro alijs quoque filijs meis, Hugone, Bosone, & Ludouico nepote; sed & pro ceteris consanguineis nostris, atque his qui nostro seruitio adhærent: pro genitore etiam ac genitrice meâ, & Domino* HVGONE INSIGNI ABBATE, *ceu ceteris nostris vtriusque sexus propinquis, &c. Data* IX. *Kal. Iulij, &c. Anno* V. *regnante Rudolfo gloriosissimo Rege, Indict.* II. In Chron. Apud Guillimannum lib. 3. Habspurg. cap. 1.

B 2 *Stemma*

Stemma Feminum HVGONIS CAPETI *Regis, antehac imperfectum.*

LEGITIMI.	ILLEGITIMI.		
1. CAROLVS MAGNVS: *vxor Hildegardis.*		1. CAROLVS MAGNVS: Concubina nomine Regina.	
2. *Ludouicus Pius: vxor Iuditha.*		2. Drogo Episcopus Metensis.	Hugo I. Abbas, Dux Burgundiæ: vxor N.
3. *Carolus Caluus Imperator.*		3. Adelaid vxor Conradi maioris, Ducis Burgundię, & Comitis Parisiensis.	3. Petronilla vxor Tertulli, Comitis Gastinensis.
4. Robertus Fortis, Dux Francorum.	Hugo II. Abbas, Dux Franciæ & Burgundiæ.	Conradus iunior, Comes Burgundię Transjuranæ.	4. Ingelgerius Comes Andegauensis.
5. Odo Dux & Rex Francorum.	Robertus Dux & Rex Francorum.	Rudolphus I. Rex Burgundiæ Transjuranæ.	5. Fulco Ruffus, Comes Andegauensis.
6. Arnulphus Rex Aquitaniæ, sine liberis.	Hugo Magnus Albus, Dux Franciæ & Burgundiæ.	Rudolphus II. Rex Burgundiæ.	6. Fulco Bonus, Comes Andegauensis.
	7. HVGO CAPETVS, Rex Franciæ.		

PROBATIONES STEMMATIS.

In Annal. REGINA CONCVBINA.] Eginhartus de CAROLO MAGNO: *Defunctâ* FASTRADA, LVIDGARDIM *Alamannam duxit: de quâ nihil liberorum tulit: post cuius mortem, quatuor habuit concubinas: Mathalgardim scilicet, quæ peperit ei filiam nomine Rothildim: Gersuindam Saxonici generis, de quâ ei filia nomine Adeldrudis nata est: &* REGINAM, *quæ ei* DROGONEM *&* HVGONEM *genuit: & Adelluidam, ex quâ Theodericum procreauit.*

Cap. 24. DROGO & HVGO.] Theganus de Ludouico Pio: DROGONI *Episcopatum dedit*, HVGONI *cœnobialia Monasteria*: vnde iste *Abbas* cognominatus est. Abbates enim tunc vocabantur Principes sæculares, quibus pro suis erga Reges officijs, opulentissima cœnobia possessionesque Ecclesijs dicatæ addicebantur.

Chartul. Gorziense pag. 69. DROGO EPISCOPVS METENSIS.] Charta Gorziensis: DROGO *gratiâ Dei* MEDIO MATRICÆ *vrbis Ecclesiæ Archiepiscopus, ac sacri palatij*

palatij primus Capellanus, &c. anno ab Incarnatione Domini DCCC.XLIX. *Indict.* XI. *Epactâ* XXIII. *Conc.* I. *anno verò Regni Lotharij Imperatoris* X. VII. *Kalend. April.* Item in aliâ chartâ anni DCCC. LI: *Domnus* DROGO *excellentissimus Archiepiscopus, sacri palatij summus Capellanus*: iterùm in eâdem: *Domnus nobilissimus* DROGO *Archiepiscopus*. Anastasius Bibliothecarius de Lothario Imperatore an. DCCC.XLIV: DROGONEM *Metensis Ecclesiæ Archiepiscopum, cum excellentissimo* HLVDOVICO *filio suo, magnóque Francorum exercitu, Romam direxit*. In Vitâ Sergij II. PP. Eodem modo Chrodegangus, Caroli Magni Imperatoris consobrinus, ortu & vitæ sanctimoniâ perillustris, qui in chartis dotationis Monasterij Gorziensis annorum DCC.XLV. DCC.LIV. & DCC.LVI. *Episcopi Metensis* dignitate dumtaxat cohonestatur; in diplomate Pipini Regis auunculi sui, anno DCC. LVII. nuncupatur *Archiepiscopus*: Ex Chartular Gorziensi. nec non & ipsemet chartæ anni DCC. LXV. de Curte in Paternivillâ ita subscriptus legitur: CHRODEGANGVS *peccator Archiepiscopus: S. Griphonis maioris Domus, fratris Domni Pipini Regis: S. Carli filij Regis: S. Hildradi Ducis: S. Rodingi Comitis, &c.* eius autem primariæ dignationis causam adfert Anastasius Bibliothecarius, de Stephano III. Papâ scribens: *Dum in Franciâ esset positus*, RODIGANGO (lege CHRODEGANGO) *Sanctissimo viro, Episcopo, pallium tribuit, & Archiepiscopum ordinauit*. In Vitâ Stephani III. Papæ. Albericus quoque anno DCC. LIV: *Iste* STEPHANVS, *cùm adhuc esset in Franciâ*, CHRODEGANGVM *in Episcopum Metensem electum, fecit Archiepiscopum, & ei pallium tribuit; quod ad vitam tantùm constat ei fuisse collatum*. In Chronico. Anno item DCCC. LXXVIII: *Papa* IOANNES [VIII.] *dum esset in Franciâ, Pontificatus sui anno sexto, Metensium Episcopo*, WALONI *nomine, qui successerat* ADVENTIO, *pallium Archiepiscopale concessit: cui concessioni Archiepiscopus Treuerensis viriliter se opposuit, &, post multas altercationes, palmam victoriæ reportauit*. Propterea in chartis pro Monasterio Gorziensi, annorum DCCC. LXXVIII. & LXXX. *VValo* dicitur dumtaxat *sanctæ Metensis Ecclesiæ Episcopus*. Sed in alijs litteris, pro eodem cœnobio, ab anno DCCC. LXXXIV. successor Walonis ROBERTVS rursum scribitur *sanctæ Metensis Ecclesiæ Archiepiscopus*. Quamobrem de illius dignitatis liberâ nimis permissione conquestus est apud Formosum Papam Fulco Rhemensis; de quo sic Flodoardus: *Subnectit etiam de quibusdam Episcopis Galliarum, qui sibi pallium indebitè à Romanâ poscebant Sede, Metropolitanos suos tali spernentes tenore: asserens quòd res eadem, ni prudenti præcauta foret sollicitudine, confusionem non mediocrem generaret Ecclesiæ, magnumque charitati dispendium valeret inferre: vnde tam se quàm omnem precari ducit Ecclesiam, ne citò alicuius* Lib. 4. Histor. Rem. c. 4. Baron. an. 893. num. 4.

irrationabili petitioni, sine generali assensu & litteris, consentiat: ne per hoc Ecclesiasticæ dignitatis honor vilescere incipiat, si res indebita, quæ temerè affectatur, inconsultò tradatur.

HVGO I. ABBAS.] Annales Fuldenses & Metenses anno DCCC. XLIV: PIPINI *Duces*, KARLI *exercitum superant* VII. *Idus Iunij: in quo prælio ceciderunt* HVGO ABBAS, *patruus Karli, & Rihboto Abbas; Raban quoque signifer, cum alijs multis ex nobilibus.*

ADELAID VXOR CONRADI.] De istâ, & Conrado maiore eius viro, sic Herricus monachus S. Germani Autissiodorensis in Opusculo de Miraculis eiusdem Sancti, libro II. capite primo; cui titulus, Commemoratio Chuonradi maioris, & de munificentiâ eius: CHVONRADVS *Princeps famosissimus, collega Regum, & inter Primates aulicos adprimè inclytus, per id temporis regiâ munificentiâ maximus, & suâ condignis nobilitate fulgebat honoribus. Coniux illi erat* ADELAID *nomine, primorum & ipsa in natalium perinde titulis gloriosa; quippe quæ auitâ antiquorum Procerum oriunda propagine, splendorem generis augustissimæ æquiparabat Stemmate dignitatis.* Capite dein tertio, ADELAIDEM cautè vocat *summo loco natam.*

Ex MS. Codice Valcellensi, qui fuit Balthasaris Moreti, nunc PP. Soc. IESV Antuerpiæ.

HVGO II. ABBAS.] Herricus idem, capite quarto, vbi de fabricâ Ecclesiæ S. Germani: *Robustâ diligentiâ confectum opus, multisque opitulante Deo sæculis duraturum,* CHVONRADO *Principi, eiusque iugali benignissimæ* [Adelaidi] *immortalem de cætero feret memoriam meritorum: quorum pronam & incomparabilem in nos locumque nostrum ex animo beneuolentiam, posteritatis, locoque illorum, hereditaria deuotio comprobauit:* FILII *scilicet æquissimorum parentum, & probitati & pietati quàm simillimè respondentes, quibus (vltra omne quod humanum est) isdem locus & animo sedit, & inedicibili amore carissimus euidenter apparuit: quos quia iam, dum incipientis felicitatis nostræ successibus torquebaris, acerbo præuentos occasu, sors, sæculorum prouentui semper inuida, sustulisti.* (Intelligit Robertum Fortem, & Conradum iuniorem, iam defunctos.) *Ne tamen nos omnimodâ præsidiorum spe inceptos, vt cœperas, vsquequaque prosterneres, infrænes conatus tuos & dira molimina, rerum prudentissimus moderator elusit: hunc qui cælo propitio, superstes adhuc vitales carpit auras, nostræ primùm saluti, multorum dehinc vsui, cunctorum postremò profectui, reseruando. Is est* HVGO, *vt absque assentationis fuco verum fatear, & nomine & officio* ABBAS: *de quo quidquid dixero, infra meritum ipsius est; præstatque de eo silere per omnia, quàm parum dicere. Neque enim quidquam nunc de illo tractandum suscepi, nisi quod eximia proles, egregijs manans genitoribus, hos quàm simillimè, tum dignitate, tum moribus repræsentat. Eo factum est, vt* PATERNIS, *annuente Deo,* SVFFE-

CTUS HONORIBUS, *auitæ memor gloriæ & potestatis, & probitatis,* PATRIÆ *robustissimus* HERES *existat; Beato protegente Germano, votis nostris, & cunctorum fidelium, ad sanctæ decus Ecclesiæ, & diutissimè & feliciter floriturus. Sed memoriam illius viri omnes anni excipient consequentes.* Egregium sanè magni HVGONIS elogium, eoque magis æstimandum, quòd prodeat ab æquali auctore Franco-gallo, cuius ita meminit Sigebertus annò DCCC. LXXVII: *Herricus monachus, vitam sancti Germani Autißiodorensis, heroico metro in sex libellis luculenter exaratam,* KAROLO *Imperatori tradidit.* Præfixam eius Operi ad Carolum Caluum epistolam ex MS. Codice Laudunensi Chesneus edidit, in quâ, postquam meminit Herricus Vitæ S. Germani à se versibus conscriptæ, subijcit: *Confeci præterea, ex miraculis præcellentißimi Germani, opusculum aliud geminis distinctum libris, in quo quia vestri tum nominis tum temporis mentio frequentiùs agitur, vestræ nihilominùs illud malui celsitudini dedicandum. Accipe & hoc, eumque erga Germani reuerentiam animum concipe, qui Regiam sanè deceat maiestatem.* Hoc postremo Herrici scriptoris antiquissimi opusculo, hactenus inedito, ad retegenda omnibus hæc ARCANA REGIA, feliciter vsi sumus. Tomo 2. Scriptor. Franc.

PETRONILLA VXOR TERTVLLI.] Canonicus sancti Martini Turonensis, qui viuebat anno CIↃ. CC. XXV: *Torquatius moritur, cui Tertulfus filius eius successit, armis strenuus, facie decens, cui* KAROLVS [Caluus] PETRONILLAM, FILIAM HVGONIS *magni Ducis Burgundiæ,* MATERTERAM *alij* HVGONIS *magni, Abbatis beati Martini Turonensis, dedit in vxorem, cum totâ terrâ Gastinensis pagi.* Inferiùs deinde: *Ingelgerius Comes Andegauensis, nepos* HVGONIS *Ducis Burgundiæ erat, & apud Autißiodorum magnos redditus poßidebat.* Ioannes Monachus Maioris Monasterij, in Historiâ veteri Consulum Andegauensium: *Circa id tempestatis, mortuo* TERTVLLO *in Franciâ, filius eius, nomine* INGELGERIVS, *hereditates ipsius poßidens remansit, sub Carolo Caluo tamen generatus. Namque* TERTVLLVS *nobilem duxerat vxorem,* DVCIS BVRGVNDIÆ FILIAM, *nomine* PETRONILLAM, *quæ hunc filium peperit.* Odo Cluniacensis Abbas in Tractatu de Reuersione corporis S. Martini ab Autissiodoro, anno DCCCC. LXXXVII: *Eo tempore vir Illustris, Gastinensis Comes* INGELGERIVS, HVGONIS *Burgundiæ Ducis* NEPOS, *Lochiæ & Ambasiæ Dominus, strenuus armis, summâ potestate & probitate præditus erat, & Andegauensem Consulatum, ex Regio munere sibi impartitum procurabat.* Seriùs Albericus, extra temporis ordinem, ad annum DCCCC. XIII: *Intereà quidam vir inclytus Comes Gastinensis* INGELGERIVS, HVGONIS *Ducis* In Chronico Turonensi. In Chron.

Ducis Burgundiæ NEPOS, *Lociæ & Ambasiæ Dominus, factus est Consul Andegauensium à Rege Franciæ.* Ex quibus colligitur ADELAIDEM HVGONIS II. Abbatis matrem, & PETRONILLÆ sororem fuisse, & filiam HVGONIS I. Abbatis Burgundiæ Ducis, qui CAROLI MAGNI ex Reginâ concubinâ filius erat, à quo in ADELAIDIS filiæ posteros Capetinos propagatum est HVGONIS nomen.

In Chronic.

CONRADVS IVNIOR.] Regino, anno DCCC. LXVI. de Hugberto Abbate, Thietbergæ Lothariensis Reginæ germano fratre, & Burgundiæ Transjuranæ Duce: HVGBERTVS *nouissimè à* CONRADO *Comite peremptus est iuxta castrum quod Vrba dicitur.* Conradum hunc arbitratur Guillimannus fuisse patrem Rudolphi Regis Burgundiæ: ampliusque Belleforestius; nempe *Rudolphum Burgundiæ Regem fuisse filium Conradi, fratris Hugonis Abbatis:* vnde sequitur, ait, *Robertum magnum, Hugonem Abbatem, & Conradum Comitem fuisse fratres.* Addunt Sanmarthani sagaciter, *Robertum Fortem, Conradi minoris fratrem, forsan ortum à Dominis Altorffi, & à VVelpho Comite Rauensbergico:* quod quidem, remotâ dubitatione, affirmare poterant, post Ioannem Besly Pictonem, doctrinæ singularis virum, *qui* (apud Chesneum) *Conradi minoris ortum refert ad VVelphum Comitem, patrem Iudithæ, vxoris Ludouici Pij & Conradi Comitis Parisiensis, cuius filium existimat fuisse Conradum Rudolphi Regis Burgundiæ patrem.* Horum sententiam firmant *Annales Metenses, ad annum DCCC. LXXXVIII. RODVLFVS *filius* CHVONRADI, *nepos* HVGONIS *Abbatis* (fratris scilicet filius) *de quo suprà meminimus, prouinciam inter Iuram & Alpes Penninas occupat, & apud sanctum Mauritium, accitis secum quibusdam primoribus, & nonnullis Sacerdotibus, coronam sibi imposuit, Regemque se appellari iussit.*

Lib. 2. Heluet. cap. 13. Tom. 1. lib. 2. cap. 51. Lib. 5. cap. 5.

Histor. Burgund. lib. 2. cap. 13. & 21.

*Ex Reginone, eodem anno.

Itaque ex adductis probatisque Stemmatis, planum est in primis, ROBERTVM FORTEM, Capetinorum Regum progenitorem, HVGONIS II. Abbatis fratrem fuisse; & sic filium CONRADI maioris, Ducis Burgundiæ & Comitis Parisiensis; atque adeò nepotem, ex filio CONRADO, WELPHI Comitis Altorffij in Sueuiâ. Quod si addas, ex Thegano, WELPHI Comitis vxorem fuisse SAXONICAM, haud miraberis ROBERTVM Fortem ab Iuone Carnotensi, Continuatore Aimoini, Alberico, alijsque dici SAXONICI GENERIS VIRVM. Quamquam Roberti posteri, quia longâ serie Ducatum Burgundiæ possederant, pro Burgundici sanguinis Principibus in Franciâ sunt habiti. *Dauid* enim *Comes Cænomannorum* (inquit Hugo de Clerijs) *& Comes Corbonensis, dedignabantur recipere feodum suum à Roberto Rege* (HVGONIS CAPETI filio) *asserentes se nullo modo posse*

Cap. 26.

De Senescaliâ Franciæ.

subijci

subijci generi Burgundionum. Pari ratione, quia priores illi Capetini Principes Comitatu Parisiensi & Andegauensi aliquamdiu potiti fuerant, sæpenumerò scriptum inuenitur, Francorum Regnum à CAROLI MAGNI stirpe ad Comitum Parisiensium vel Andegauensium familiam fuisse translatum.

Liquet præterea, haud aliam fuisse Roberti Fortis cum CAROLO MAGNO propinquitatem, quàm quòd ille esset HVGONIS I. Abbatis & Ducis (qui CAROLI MAGNI ex concubinâ Reginâ filius erat) ex ADELAIDE filiâ CONRADI maioris vxore, nepos; vnde Capetinum genus in excelsam adeò fortunam, Deo ita permittente, est euectum: propterea tamen non rectè inde infertur, HVGONEM CAPETVM, & ab hoc LVDOVICVM XIII. Reges, ad omnes CAROLI MAGNI ditiones & Regna (vt Cassanus procaciter obtendit) ius habuisse.

CAPVT II.

Nullum ius à CAROLO MAGNO *in* LVDOVICVM XIII. *Regem transfudit* HVGO CAPETVS, *ne ductu quidem feminino.*



ABVNDE ni fallor demonstratum est, Hugonem Capetum Regem, à Regno Franciæ Occidentalis ortu extraneum & peregrinum fuisse, eumdemque per masculinam stirpem à Carolo Magno genus minimè duxisse. Id fassi plerique Francorum viri docti fuerunt: verùm aliqui idipsum negare haud ausi, asseruère saltem per feminas ipsum Capetum à Carolo Magno legitimè descendisse; aiunt enim primò, coniugem Roberti I. Franciæ Regis, Hugonis magni matrem, Heriberti II. Viromanduæ Comitis sororem fuisse. Primus qui id asseruit Nicolaus Vignerius fuisse videtur, in eâ, quam aduersus Petrum Sanjulianum sine nomine apologiâ, in gratiam nobilitatis familiæ Capeticæ, edidit. *Parisijs an. 1587.* Certè si id ita se haberet, omnino fatendum esset, eam perinde ac ceteros Viromanduorum Comites, à Carolo magno originem ducere; vti qui à Pipino Rege Italiæ eius filio prognati erant. Excutienda ergo sunt eùm Vignerij tum aliorum id asserentium testimonia: & ne fortè tam crebræ variorum nominum & personarum mentioni memoria sit impar, statum totius quæstionis, in ipsâ eorumdem Principum serie comprehensum, subijcimus.

STEMMA *filiæ* ROBERTI I. *Francorum Regis*, *quam* HERIBERTI II. *Viromanduæ Comitis vxorem fuisse probamus, aduersus illos, qui* ROBERTVM *Regem* HERIBERTI *Comitis sororem duxisse contrà scribunt.*

CARLOVINGI.		CAPETINI.	
1. Carolus Magnus.		1. *VVelfus Comes Altorfi in Sueuiâ.*	
2. Pipinus Rex Italiæ.		2. *Conradus maior, Comes Parisiensis.*	
3. Bernardus Rex Italiæ, nothus Pipini Regis.		3. *Robertus Fortis Marchio, Parisiensis Comes.*	
4. Pipinus II. Comes Viromanduæ.		4. *Odo Rex Francorum Occidentalium.*	4. *Robertus I. Rex Francorum Occiduorum: vxor Beatrix, filia Richardi Burgundiæ Ducis.*
5. Heribertus I. Virom. & Trecatum Comes.		5. *Hugo Magnus, Dux Francorum.*	5. *N. quæ probatur nupsisse Heriberto II. Virom. Comiti.*
6. Heribertus II. Comes Viromand. vxor N. Filia Roberti Regis.	6. N. falsò dicta vxor Roberti I. Francorum Regis.	6. *Hugo Capetus, Rex Franciæ Occidentalis.*	
7. Heribertus III. Comes Virom.	7. Hugo Remensis Electus.	7. *Robertus II. Franciæ Occiduæ Rex.*	

Lib. 5. cap. 62. Argumentum Vignerij ex Aimoini Monachi Continuatore anonymo petitum est, qui sic ait: CAROLO (Rege) *à cæde* (Roberti Regis) *apud Suessionensem ciuitatem reuertente, occurrit ei* HERBERTVS *Comes Virmandensis, iniquorum nequissimus, & fictæ pacis simulatione deceptum, in Parronense castrum hospitandi gratiâ compulit, & sic eum dolo captum tenuit, vinculisque irretitum tenebroso domicilio reclusit. Habebat enim idem* ROBERTVS *supradictus* SORORFM HVIVS HERBERTI, *de quâ natus est* HVGO *magnus*. Adijciunt alij, quos huius Historiæ

Histor. Norman. lib.2.c.21. & lib. 8. cap. 26. nodus exercuit, auctoritatem Guilielmi Calculi, Gemmeticensis, vt aiunt, monachi; cuius hæc sunt verba: *Rebellauit idem* ROBERTVS *contra* KAROLVM *Regem, vnctusque ipse in Regem vno anno regnauit; sed posteà occisus est in bello Suessionico ab exercitu* KAROLI *Simplicis: factus est tamen post ipsum Princeps Francorum filius eius* HVGO MAGNVS, *natus ex filiâ* HERIBERTI *Comitis Parronæ.*

Ad

Ad quæ dico ego, sententiam eiusmodi fallacissimis fundamentis inniti: idque probo primùm auctoritate Flodoardi, qui cùm Canonicus Remensis esset, ab eodem Heriberto Comite se multa passum, & custodiæ mancipatum tradit, quòd Hugoni, eiusdem Heriberti filio, in Archiepiscopum Remensem contra Canones electo, non adhæresceret: vnde in hac re, si cui, certè illi fidem præ ceteris, & maximè duobus illis anonymis, vti posteà docebimus, adhibendam esse nemo negauerit. Flodoardus ergo in Chronico suo, sub annum DCCCC. XLIII. vbi res à se visas describit, his verbis loquitur: *Herluino Rodomum committens* [Rex] *reuertitur ad Compendium, vbi eum expectabat* HVGO *Dux; cum* NEPOTIBVS SVIS HERIBERTI FILIIS, *de quibus recipiendis frequens agitabatur intentio.* Iterùm anno CM. LII. *Nepotes Hugonis,* HERIBERTVS *&* ROTBERTVS, *interim in loco, qui dicitur Mons felicis, sibi munitionem instruunt.* His verbis nihil clarius illi, qui phrasim Gallicam toto Francorum Regno receptam nouerit: quis enim nescit fratrum sororumque liberos, à patruis auunculisque, amitis etiam & materteris, nepotum neptiúmve vocabulo appellari? Sed & illustriùs adhuc anno CM. XLVI. *Quidam motus inter* FILIOS HERIBERTI *agitantur pro hereditatum distributione suarum: qui tamen* HVGONE *Principe,* AVVNCVLO IPSORVM, *mediante pacantur.* Præterea Witikindus Saxo, Scriptor decimi sæculi, HVGONEM HERIBERTI filium, Remensem Electum, vocat *Nepotem Hugonis*. Sigebertus Gemblacensis, qui obijt anno M. C. XII. eâdem quâ antiquiores phrasi vritur anno DCCCC. XLIX. vbi ait: *Rex Otho Lugdunum* (lege Laudunum) *capit:* HVGONEM *intra Parisios concludit; Remim capit;* HVGONIS NEPOTE, *qui Episcopatum vsurpauerat, expulso, legitimum Episcopum restituit.* Lib. 4. Histor. Rem. cap. 28. Lib. 1. & 3. In Chron.

Accedit demum, ad maiorem huius sententiæ nostræ fidem, Alberici monachi Trium Fontium varijs in locis Chronici sui auctoritas: vti anno DCCCC. XX. cùm ait: ROBERTVS *prædicti* ODONIS *Regis frater, magna potentia Dux, amicorum suorum, scilicet* RODVLPHI *tunc Burgundiæ Ducis, & Veromandensium simul & Campaniæ Comitis* HERIBERTI (*qui* GENER *fuit* IPSIVS ROBERTI) *fultus auxilio, Regnique ferè totius consilio* [Carolum Simplicem] *deturbauit auito solio, quod ipse Rex factus ascendit.*

Rursum apud eumdem Albericum, anno DCCCC. XXIV. Guidonis de Basochijs, Cantoris sancti Stephani Catalaunensis, celebris Chronographi verba referuntur in hunc modum, argumento nostro planè apposita: HERIBERTVS *Campaniæ Comes & Veromandensis (qui filius Pipini Comitis, qui Bernardi, qui Pipini Regis Italiæ, qui Karoli*

 Magni

Magni Imperatoris) ob gratiam Rodulfi Francorum Regis de nouo creati, & Hugonis Ducis, cuius sororem habebat uxorem, Karolum Regem sub sacramento pacis ad colloquium fraudis inuitat. Iterùm Albericus anno DCCCC. XXX: *Dissensionis inter ipsos, & alias causas, occasio præcipua fuit electio euiusdam Hugonis in Remensem Archiepiscopum, cuius ætas infra metas adhuc pueritiæ tenebatur, qui Campaniæ Comitis & Veromandensis Hereberti filius, Hugonis Magni Ducis ex sorore nepos habebatur.* Anno denique DCCCC. XCVIII: *Pater Regis Hugonis Dux Hugo Cappatus sororem habuit, de quâ nati sunt quatuor filij Comitis Heriberti de Peronâ, Campaniæ simul & Vermandiæ Comitis.*

Sequitur vt eo modo stabilitâ nostrâ sententiâ, Vignerium aduersæ opinionis auctorem, aliosque illum secutos propiùs intueamur. Et primùm quidem, quod ad Aimoini Continuatorem attinet, sciendum est, eum, vti anonymum, sic Flodoardo (quem primum sententiæ nostræ confirmandæ adduximus) toto sęculo recentiorem, cùm anno M. LXV. scribere desinat, & mantissam suam absoluat: Flodoardus autem anno DCCCC. LXVI. excesserit, non minùs insigni eruditione quàm vitæ sanctimoniâ clarus.

Ex cap. vlt. de Gestis Franc. Ex Supplement. Chronici Flodoardi.

Ad Guilielmum Gemmeticensem venio, simulque Andreæ Chesnei iudicium amplecti me profiteor, vbi in prolegomenis auctorum historiæ Normannicæ, meritò arbitratur librum octauum, non esse genuinum Guilielmi Calculi seu Gemmeticensis fœtum, sed eum ab anonymo quodam monacho, planè extra ordinem, & preter Historiæ rationem, rebus Guilielmi Primi à Calculo descriptis assutum esse. Addo insuper, perlegenti mihi opus illud, non vno in loco certissima testimonia occurrisse, quibus eum de quo agimus Continuatorem, Beccensis Monasterij alumnum fuisse asseri potest, cùm Calculus in Gemmeticensi vitam traduxerit, librumque suum septimum & postremum absoluerit anno M. LXXXVIII. vnde clarum fit, Flodoardo fuisse posteriorem, qui, vt iam dixi, obijt anno CM. LXVI.

Vide capita 32. 41. 42.

Vbi verò causam erroris diligenter inquiro, subit animum fortissima coniectura, auctores illos Flodoardo posteriores, ex Chronicis malè intellectis errorem in sua opera deriuasse; vtpote qui, cùm minùs attentè affinitatem inter Robertum & Herbertum (affinia quoque nomina) obseruassent, Roberti filiam cum Heriberti sorore facilè commutauerint. Quæ cùm ita sint, nemo verè dixerit, hodiernos Francorum Reges à Carolo Magno per sororem Heriberti II. Viromanduorum Comitis ducere prosapiam. Et quamuis ab illâ orti essent, constat, ex Thegano, Bernardum Regem Italiæ, Pipini Regis fuisse filium ex concubinâ natum, adeoque Heri-

Cap. 22.

Heribertos ab illo progenitos, ad Regnum Franciæ ius nullum habuisse.

Aliud argumentum, quo probare intendunt Franci, Hugonem Capetum, lineâ saltem femininâ à Carolo Magno legitimè ortum esse, referam ipsissimet Willelmi Nangij verbis; vbi post enarratam Roberti II. Regis, Hugonis Capeti filij, coronationem subijcit: *Sic (vt aliqui dicunt) translatum est Regnum Francorum de progenie* KAROLI *in progeniem Comitum Parisiensium. Alijs tamen, nec sine causâ, videtur quòd in Hugone isto non defecit progenies Karoli Magni.* ARNVLFVS *siquidem Imperator Romanorum filius Karlomanni, filij Ludouici Germanorum Regis, fratris Caroli Calui Regis Francorum & Imperatoris, genuit* LVDOVICVM *iuniorem Imperatorem: qui Ludouicus duas tantùm habuit filias,* PLACIDIAM *&* MATILDEM: *quarum primogenita Placidia nupsit Conrardo filio Conrardi Comitis, qui post Ludouicum iuniorem imperauit.* MATILDIS *verò data est vxor* HENRICO *filio* OTHONIS *Ducis Saxonum: qui Henricus mortuo Conrardo & eius vxore Placidiâ sine heredibus, imperauit cum vxore suâ Matilde, de quâ genuit primùm* OTHONEM *Imperatorem & duas filias,* GERBERGAM *vxorem Ludouici Regis, patris istius Ludouici sine herede mortui: &* HAWIDAM *matrem istius* HVGONIS *Capucij: per quæ patet quod ipse descendit de progenie Karoli Magni.* In Chronico.

Falso nititur fundamento, aberratque toto cælo Nangius; Mathildis enim, vxor Henrici Primi Imperatoris, non fuit filia Ludouici Iunioris Imperatoris, sed Theodorici Saxoniæ Ducis, seu Comitis, vt disertè tradunt auctores partim Mathildæ coætanei, partim Nangio antiquiores. Luitprandus Ticinensis, magnæ auctoritatis Pręsul, & Mathildæ ęqualis, de Henrici I. Imperatoris exequijs hęc narrat: *Venerabilis eius coniunx, Regniq̀ue consors,* EX EADEM GENTE, *nomine* MATHILDIS, *vltra omnes quas viderim & audierim matronas, pro delictorum expiatione, celebre exequiarum officium viuamq̀ue Deo hostiam offerre non desinit.* Lib. 4. cap. 7.

Stemma Henrici I. Imperatoris.

1. Leutulphus Dux Saxonum.

2. Bruno Dux. — 2. Otto Dux.

3. Henricus I. Rex Romanorum: vxor Mathildis.

Veritatem huius Stemmatis colliges ex Alberico an. DCCC. LIX. *Hoc tempore* LEVTVLPHVS *Dux Saxonum, pater Brunonis & Ottonis* In Chro. & ex Sigeb. an. 860.

 Ducum,

Ducum, auus Henrici primi Regis Romanorum, corpus Innocentis primi Papæ à Româ in Saxoniam transtulit.

Stemma Mathildæ vxoris Henrici I. Imperatoris.

1. Theodericus Dux seu Comes Saxoniæ, de Wittin, de genere magni Witikindi: vxor Reinilda.

2. Rupertus Treuirensis Archiepiscopus.	2. Mathilda vxor Henrici I. Imperatoris.

3. Otho I. Imperator.	Henricus Dux Lothar. & Bauar.	Bruno Archiepiscop. Coloniensis & Dux Lothar.	Gerberga vxor Gisleberti Lothar. Ducis, dein Ludouici IV. Francorum Regis.	Hauuidis vxor Hugonis magni, Francorum Ducis.

4. Hugo Capetus Rex Francorum.

Vides oculi coniectu Henricum I. Imperatorem, & Mathildem eius vxorem, prodijsse *ex eadem gente*, vt ait Luitprandus; quod & firmat Witikindus natione Saxo, qui viuente Mathildâ Imperatrice floruit, & opus suum alteri Mathildæ nepti eius inscripsit: *Erat namque ipsa Domina Regina* [MATHILDA Henrici I. vxor] *filia Theoderici, cuius fratres erant VVidekind, Immet, Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnauit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus vsque in hodiernum. Et hi erant stirpis magni Ducis VVidekindi, qui bellum potens gessit contra Magnum Carolum per triginta fermè annos.* Dirmarus quoque Merseburgius Episcopus, & ipse Saxo coætaneus, *Mathildem* appellat *filiam Theoderici & Reinildæ, ex VVitikindi Regis tribu exortam, quæ Regi Henrico peperit Ottonem, Henricum & Brunonem.* Paulus Langius, scriptor etiam Saxonicus, sic de Othone I. Imperatore: *A nobilissimo Duce Saxoniæ VVitikindo generosum carnis duxit Stemma, patre natus* HENRICO *Germaniæ Rege eius nominis primo, matre verò* MECHTILDA, *filia* THEODORICI *Comitis Saxoniæ de VVittin.*

Lib. 1.

Lib. 1. Chron.

In Chron. Citizensi.

Ita viri Saxones de Mathildâ Saxonicâ, quam à Francis non accersunt: non item Sigebertus Lotharingus, qui anno DCCCC. XXXVII. hæc habet: *Henricus Rex moritur, post quem filius eius Otho, ex* MATHILDA *filiâ* THEODERICI *Ducis Saxonum, imperauit annis triginta sex.* Sed & Albericus, eodem anno, post adducta Luitprandi verba subiungit: *Quæ fuerit ista* MATHILDIS, *vel quis* THEODERICVS *pater eius, dictum est suprà in anno* DCCCC. XXI. *Hæc habuit filios tres, Ottonem, Henricum, & Brunonem: & filias duas, Gerbergam & Hauuidem,*

In Chronic.

dem, quæ factæ sunt in gentem magnam. Sunt autem hæc Alberici verba illo anno: *Quo tempore factus est Treuirensis Archiepiscopus Rupertus, filius Theoderici Saxoniæ Ducis, frater* MATHILDIS *Reginæ Alamanniæ. Qui Dux Theodericus fuit de genere Guitecindi, & habuit tres fratres, Guitecin, Immet, & Reginben. Et ex hac serie istorum quatuor fratrum descendit nobilitas totius Saxoniæ, Italiæ, Germaniæ,* GALLIÆ *& Normanniæ, Bauariæ, Sueuiæ, Hungariæ, Bohemiæ, Tusciæ & Poloniæ.* Nota obsecro; GALLIÆ; quia ex Hauuide seu Haduuide, Imperatoris Henrici I. & Mathildis (vtriusque Saxonis) filiâ; vxore Hugonis Magni, & Hugonis Capeti matre, orta est progenies tota tertia regalis in Franciâ.

Vt igitur tot dignitate, doctrinâ, antiquitate; grauibus viris plena fides adhibenda est, ita vni Nangio, stirpi Capetinæ vbique blandienti, planè nulla: clarumque fit ex antè dictis, Hugonem Capetum, ne lineâ quidem femininâ, à Carolo Magno legitimè ortum esse: ac proptereà alienam à vero esse Cassani assertionem, scribentis Carolum Magnum ad omnia quæ ipse possederat in Hugonem Capetum ius transmisisse, ab eo deinde in Ludouicum XIII. Regem deriuatum.

CAPVT III.

Dudum à CAROLO MAGNO *directâ serie masculinâ prosapiam nemo ducit. Magni æstimata iam olim, ad obtinenda Regna, Carolini sanguinis per feminas dumtaxat, participatio.*



AROLVS MAGNVS Imperator tantus tamque præclarus olim fuit, & in re militari adeò felix, adeò potens in amplitudine dominationis, tot erga Ecclesiam Catholicam meritis splendidus, tot honorum titulis à Pontificali Apice decoratus, vt quasi sidus effulserit præcedentium sequentiumque Regum; & honori summo, maximæque gloriæ meritò duxerint, qui posteà in Orbe Cæsares Regesque dominati sunt, riuos originis habere communes cum Carolino fonte. Fidem adstruit antiquus Poëta Saxonicus, vbi de RHVOTRVDE, CAROLI MAGNI natu maiore filiâ, CONSTANTINO VII. Græcorum Imperatori desponsatâ, cecinit: Lib. 5. Annal.

Sponsa fuit CONSTANTINI *tum sceptra regentis*
Illius semper nobilis Imperij.
Inclyta CONSTANTINOPOLIS, *de germine nostri*
Optabat CAROLI NOBILIOR *fieri.*

Non

Non defuêre prætérito fæculo,& hoc noſtro,qui ſuorum Principum genus ab ipſo tanti Cæſaris paterno capite repetere conati ſunt: ſed (abſit verbo inuidia) fluxâ fide; cùm omnium etiam maximè eruditorum conſenſu,poſtremus è ſincerâ lineâ Caroli Magni,eâque maſculinâ oriundus,fuerit OTHO Dux Lotharingiæ Inferioris,CAROLI Ducis filius, qui ſine prole deceſſit anno Domini M. V. ita vt ſenis abhinc & vltra fæculis nullus Princeps quærendus ſit, qui maſculinâ ſerie ab Imperatore MAGNO genus ſuum deducat. Quamuis enim ex illius caudice plures prodierint Regum rami, ſenſim defecêre omnes; ac poſtremi quidem finis exprimitur in hac tabellâ.

Stemma Regum Franciæ ex maſculinâ
CAROLI MAGNI *ſtirpe*.

1. CAROLVS MAGNVS Imperator.

2. LVDOVICVS PIVS Imperator.

3. CAROLVS CALVVS Imperator.

4. LVDOVICVS BALBVS Rex.

5. LVDOVICVS III. Rex, ἄπαις.	5. CAROLVS SIMPLEX Rex.
	6. LVDOVICVS IV. Rex.
7. LOTHARIVS Rex.	7. CAROLVS Dux Lotharingiæ Inferioris, iure ſanguinis Francorum Rex.

8. LVDOVICVS V. Rex, ἄπαις.	8. OTHO Dux Lotharingiæ Inferioris, ἄπαις.	8. GERBERGA Comitiſſa Bruxellenſis.	8. ERMENGARDIS Comitiſſa Namurcenſis.

Cùm itaque iam inde à tot fæculis maſculina Caroli Magni progenies defecerit, hærendum nobis erit in femininâ; cuius etiam intuitu ad culmen Imperij & Regni non pauci conſcenderunt. Eius rei exemplum præbet Willelmus Malmesburienſis, vbi Caroli Craſſi Imperatoris cæleſte quoddam viſum refert iſtis ipſius Cæſaris verbis: *Cùm cerneret ductor meus in tanto pauore eſſe ſpiritum meum, dixit ad me: Sequere me ad dextram luculentiſſime vallis Paradiſi: &, cùm graderemur, contemplatus ſum in ingenti claritate cum glorioſis Regibus ſedere* LOTHARIVM, *auunculum meum, ſuper lapidem topazium miræ magnitudinis, coronatum diademate precioſo, & iuxta eum, filium ſuum* LVDOVICVM, *ſimiliter coronatum. Tunc conuerſus ad me* LVDOVICVS *dixit mihi: Imperium, quod hactenus tenuiſti* IVRE HEREDITARIO, *debet recipere* LVDOVICVS FILIVS FILIÆ MEÆ. Albericus, qui oblatam

Lib. 2. Hiſtor. Angl.

In Chron.

oblatam diuinitus illam speciem refert ad annum DCCC. LXXXIX. alio Malmesburiensis codice vsus, Caroli Crassi verbis in hunc modum loquitur: *Videbatur mihi, quòd* IMPERIALEM *redderem* POTESTATEM, *velut in præsentiarum, adstanti puero* LVDOVICO, CVI IVRE DEBEBATVR HEREDITARIO, *quia fuerat genitus ex Imperatoris* LVDOVICI *filiâ* ERMENGARDE *&* BOSONE *Regulo*.

Sequenti anno DCCC. XC. in Conuentu Valentino, Proceres Regni Arelatensis LVDOVICO, Bosonis & Ermengardæ filio, Regis Prouinciæ nomen & dignitatem contulerunt; *quia* (vt est in Actis) *ex prosapiâ Imperiali prodibat*. Regino Abbas anno DCCC. XCVIII. LVDOVICVS *Berengarium fugat, Romam ingreditur, vbi, à Summo Pontifice coronatus, Imperator appellatur*. Albericus anno CM. V. LVDOVICVS BOSONIS *filius, Imperium in Italiâ adeptus, Berengarium expulerat*. Iterùm anno DCCCC. XII. LVDOVICVS BOSONIS *filius ad Imperium à Longobardis inuitatur*. Subscribit Paulus Æmilius clarè: LVDOVICVS, inquit, *filius Bosonis, spe Italici Regni, Augustíque nominis, quod* LVDOVICVS MATERNVS EIVS AVVS *obtinuisset, adductus, in Italiam transcendit*. Ex quibus palàm fit Ludouicum, vt Ermengardis filium, ad obtinendum Regnum & Imperium iure nixum fuisse: quo eodem fultus PIPINVS, quia ortu femineo Merouingus erat, Regiam Francorum coronam adeptus est. Similiterque BERENGARIVS & WIDO, quia per matres Carlouingi erant, ad regnandum in Franciâ & Italiâ fuere postulati.

Paradinus in Annal. Burgundiæ.

Lib. 3. Histor. Franc.

Æmil. lib. cit.

Aliud in Germanico Imperio exemplum præbet Henricus III. Cæsar, Conradi II. filius, de quo sic Albericus anno M. XL. HENRICVS, *Imperatricis* GISELÆ *filius, qui patre viuente regnare cœperat, eo mortuo solus regnauit: in eo* DIGNITAS IMPERIALIS, *quæ per longum iam tempus à semine* KAROLI *exulauerat, ad generosum & antiquum* GERMEN KAROLI *reducta est;* per Giselam scilicet, de quâ dixerat Albericus ad annum M. XXIV. *Vxor autem eiusdem* CONRADI, GISILA *nomine, de antiquo & glorioso* KAROLORVM SANGVINE *oriunda fuit*. Iisdem propè verbis Otho Frisingensis: *Vxorem,* GISILAM *nomine, de antiquo & glorioso* CAROLORVM SANGVINE *oriundam habuit*. Conradus Vrspergensis Abbas disertè de Conrado II. Imp. *Genuit ex eâ* [Giselâ] HENRICVM *eius nominis tertium, qui dictus fuit Niger: in quo*, PROPTER MATERNVM GENVS, *post multa curricula annorum rediit Imperium ad illustrem & gloriosam progeniem* CAROLI MAGNI. Wippo etiam annis maior, in Vitâ eiusdem Conradi Salici, cui fuerat à Sacris: *Dilecta Regis coniux* GISELA, *cui pater erat* HERIMANVS *Dux Alemaniæ; mater eius* KERBIRGA, *filia*

In Chronic.

Lib. 6. cap. 28.

In Chron.

Cap. De dispositione curiali & de Reginâ.

D· *filia*

filia Conradi Regis de Burgundiâ fuit, cuius parentes de CAROLI MAGNI *stirpe processerant: vnde quidam de nostris, in libello quem Tetralogum nominauit, & posteà Regi* HENRICO TERTIO, *cùm natalem Domini in Argentinâ ciuitate celebraret, præsentauit, inter alios, duos edidit hoc modo:*

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De CAROLO MAGNO *processit* GISELA *prudens.*

Quorum versuum iste est sensus: Francicus Carlouingorum stipes, huius Poëtæ iudicio, censendus est Arnoaldus Austrasiæ Dux; natus quippe in Franciâ Orientali Cisrhenana, matre Blitilde, Clotarij primi Francorum Regis filiâ: Ansbertus enim, Arnoaldi parens, genere Romanus erat, & sic externus. Postquam igitur ab Arnoaldo Duce capita quatuordecim numeraueris, inuenies Giselam à Carolo Magno prosapiam duxisse hoc modo.

I. *Arnoaldus Dux.*
II. *S. Arnulphus Dux.*
III. *Ansigisus Dux.*
IV. *Pipinus Herstallius.*
V. *Carolus Martellus.*
VI. *Pipinus Breuis, Rex.*
VII. *Carolus Magnus Imp.*
VIII. *Ludouicus Pius Imp.*
IX. *Carolus Caluus Imp.*
X. *Ludouicus Balbus Rex.*
XI. *Carolus Simplex Rex.*
XII. *Ludouicus IV. Rex.*
XIII. *Mathildis Regina Burgundiæ.*
XIV. *Gerberga Ducissa Allemaniæ.*
XV. *Gisela coniux Conradi II. Mater Henrici III. Imp.*

Fridericus Sueuiæ Dux, propretereà quod prodibat etiam ab eadem Imperatrice GISELA, Romanum Imperium adeptus est. Sic Henricus Srero ad annum M. C. LII. FRIDERICVS I. *Friderici Sueuorum Ducis filius, fratris scilicet Conradi Regis,* NATVS EX CLARISSIMA PROGENIE CAROLORVM, *post Conradum III. patruum suum, apud Franckenfurt, communi voto & consensu omnium Principum, est electus ad Imperium.*

In Chron. August.

ALPHONSVS X. Hispaniæ Rex in Romanorum Imperatorem electus est anno M. CC. XLVII. tum quia per Raimundum, è Superioris Burgundiæ Principibus genitum, atauum suum, à CAROLO MAGNO oriebatur; tum etiam, quia Philippi Sueuiæ Ducis, deinde Romanorum Regis, ex Beatrice filiâ, nepos est: *Ex eo enim quod erat de domo* * *Bauariæ,* inquit Carthagena, *voluissent aliqui vt imperaret in Allemanniâ.*

Vide infrà c. 10. ortu 1. Cap. 83.
* Lege *Sueuia,*

DVCES quoque BRABANTIÆ, quia feminino stipite à Carolo Magno genus ducebant, ad Imperium capessendum aliquoties accersiti

accersiti sunt. Dinterus in Chronico: *Innocentius Papa IV. Legatum à latere misit ad* HENRICVM *Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ, ipsum exhortando, quatenus si Regnum Romanorum acceptare vellet, ipsum Regem eligi procuraret: quod ipse renuens, obtinuit, quod Nepos suus, scilicet* WILLELMVS *Comes Hollandiæ, sororis suæ filius, fuit in Regem Romanorum electus.*

Lib. 4. c.13.& 14. an. 1246. Exstat ms. in Bibliotheca V.C. *Cass. Gevartij*, Historiographi Cæsarei.

Viuente & florente PHILIPPO BONO Burgundiæ Brabantiæque Duce, Imperij solium ter vacuum fuisse obseruauit Georgius Castellanus, Ducis Historiographus, totidemque vicibus PHILIPPVM Ducem à Germaniæ Proceribus electum, Imperij diadema recusasse.

In Elogio ms. Ducis Philippi.

Anno M. CCCC. XXXVII. obijt SIGISMVNDVS Imperator sine virili sobole; FILIAM *eius* ELIZABETH *vxorem duxit* ALBERTVS *Austriæ Dux, cum quâ Regnum Hungariæ Bohemiæque consecutus, Imperium quoque Germanicum est adeptus*. Ortum suum ad CAROLVM MAGNVM referebant Sigismundus & Elizabetha, mediante Margaretâ Ioannis I. Brabantiæ Ducis filiâ, vxore Henrici Luxemburgici Romanorum Imperatoris.

Pius II. Papa lib. 12. Comment.

Ex illis porrò constat, quanto in pretio apud Germaniæ Franciæque Proceres fuerit Carolini sanguinis, etiam per feminas, deriuatus in alios splendor; & eodem planè studio, quo antiquitus à Romanis Augusti Cæsaris honos designatus est in Agrippinâ, Germanici Principis Viduâ, quam Tacitus vocatam ait *Decus Patriæ, solum Augusti sanguinem, vnicum antiquitatis specimen*. Quin & à feminis claritatem & decus per coniugium viris conciliari docuit THEODERICVS Rex Italiæ, qui dum ERMENFREDO Turingorum Regi neptem suam AMELBERGAM mitteret in vxorem, illum per epistolam sic allocutus est: *Desiderantes vos nostris aggregare parentibus*, NEPTIS *caro pignori propitiâ diuinitate sociamus: vt qui de* REGIA STIRPE *descenditis, nunc etiam longiùs* CLARITATE IMPERIALIS SANGVINIS *fulgeatis*.

Lib. 3. Annal.

Apud Cassiod. lib. 4. Epist. 1.

Inquiramus itaque & nos femininam Caroli Magni progeniem, deficiente masculinâ, è quâ neminem in toto terrarum Orbe superesse, verè & sanctè affirmari potest ac licet.

CAPVT IV.

PHILIPPVS IV. *Rex Catholicus à* CAROLO MAGNO *per feminas pluries oriundus est, cum prærogatiuâ natalium ante hodiernum Franciæ Regem: vnde (Salicâ lege explosâ) ius illi potius ad omnes ditiones Magni Imperatoris.*



AROLVS Dux Lotharingiæ Inferioris (vulgò *de Lothier*) Regis Lotharij frater, Ludouici V. parruus, adeóque iure optimo Franciæ Rex, ex priore coniuge, BONA nomine, Godefridi Comitis Ardennensis sorore, suscepit OTHONEM, GERBERGAM & ERMENGARDEM; ex alterâ, AGNETE, Heriberti Comitis Trecarum filiâ, LVDOVICVM & CAROLVM, gemellos in carcere Aurelianis natos, qui [1] in pueritiâ diem functi sunt: neque enim ijs ego [2] Scriptoribus assentiri velim, qui absque fundamento aiunt, illos à Francis pulsos ad Romanorum Imperatorem in Germaniâ fugisse: cùm & nimis tenelli adhuc essent, & in ipsius CAPETI potestate, qui eo furore in Carolinum sanguinem exarsisse rraditur, vt ne illegitimo quidem parcitum voluerit. Sic enim [3] Dinterus rerum Brabanticarum Historiographus, Philippo Bono, Burgundiæ ac Brabantiæ Duci tribusque eius decessoribus à Secretis, in Chronico suo ante annos ducentos exarato: HVGO *Rex cupiens eradere de Regno Francorum omne genus* CAROLI *Ducis, collecto Concilio in vrbe Rhemensi, fecit degradare* ARNVLPHVM *consobrinum eius, natum ex concubinâ, quem ipse* CAROLVS *Episcopum Rhemis substituerat.* Annales item Merenses, & Hugo Floriacensis ad annum CM. XCVII. *Hugo Rex inuidebat ei* [Arnulpho] *volens exterminare progeniem* CLOTARII *Regis.*

[1] Magnum Chronicum Belgicum pag. 83. & Du Tillet.
[2] Fragm. Histor. Aquitanicæ.
[3] Lib. 3. cap. 1.

OTHO igitur superstes & absens, sub clientelâ Imperatoris, CAROLO parenti successit in Lotharingiæ Inferioris Ducatu. De illius excessu ita Iacobus Meyerus, anno M. V. *Moritur absque liberis,* VLTIMA CAROLI MAGNI VIRILIS PROGENIES, OTHO *Lotharingiæ Dux,* CAROLI *ab* CAPETO *capti filius.* Superfuêre Gerberga & Ermengardis Othonis eiusdem sorores: quarum quidem illa, vtpote natu maior, Patris fratrisque heres legitima fuit. Gerbergam dico natu maiorem fuisse: primò, quia nomen acceperat à Gerbergâ Saxonicâ, Reginâ Francorum, auiâ suâ paternâ, quam Caroli filij primo loco genitam è sacro fonte suscepisse, vero est simillimum. Accedit præterea, quòd Lamberto Comiti Louaniensi in dotem attulerit Gerberga

Lib. 2. Annal.

berga *Dominium Comitatus Brabantiæ & Bruxellensis, tamquam verum allodium, quo priuari non poterat*: Ermengardis verò natu minor, Alberto Comiti Namurcensi, Thenense dumtaxat exile Dominium (Tillemont) tunc Hasbaniæ partem. Deinde, *per obitum Othonis Ducis, fratris sui*, GERBERGA *tam* REGNO *quàm Ducatu spoliata est*, inquit Dinterus: & in antiquâ Niuellensi Genealogiâ dicitur *amisisse Lotharingiæ Ducatum*; cuius priuationis causam reddit auctor magni Chronici Belgici: *Mortuo* OTHONE *sine sobole*, GERBERGA *soror eius, quia femina fuit, Ducatum Lotharingiæ amisit*: Feudum scilicet Imperij, quod iure natalium eius proprium fuisset, ablato feminei sexus impedimento. Quartò denique, quia GODEFRIDVS MAGNVS, Dux Lotharingiæ Inferioris, Gerbergæ pronepos, in vetusto Codice Niuellensi, disertè dicitur PRIMOGENITA OBTINENS STIRPIS CAROLI MAGNI.

Dinterus lib. 4. c. 2. Gramaye in Thenis & in Namurco. Lib. 4. in Prolegom. Pag. 90.

Progenies GERBERGÆ, *filiæ natu maioris* CAROLI *Ducis, auito ac hereditario iure Francorum Regis, attexenda Stemmati* CAROLI MAGNI, *capite superiori descripto.*

8. GERBERGA, iure Francorum Regina, possessione Bruxellensis Comitissa, vxor LAMBERTI I. cum barbâ, Comitis Louaniensis.

9. LAMBERTVS II. Comes Brabantiæ, Louanij & Bruxellæ: vxor ODA, filia Gothilonis Magni, Lotharingiæ vtriusque Ducis.

10. HENRICVS Comes Brabantiæ & Louanij: vxor ADELA, filia Othonis Thuringiæ Landgrauij.

11. GODEFRIDVS VII. Barbatus iunior, Dux Lotharingiæ Inferioris, & Marchio S. R. Imperij: vxor IDA, filia Lamberti Comitis Namurcensis.

12. GODEFRIDVS VIII. Dux Lotharingiæ Inferioris, Marchio: vxor LVTGARDIS, filia Alberti Comitis Dagsburgensis.

13. GODEFRIDVS IX. Dux Lotharingiæ Inferioris, Marchio: vxor MARGARETA filia Henrici Ducis Limburgensis.

14. HENRICVS I. Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, Marchio: vxor MATHILDIS, Comitissa Bononiensis.

15. HENRICVS II. Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, Marchio: vxor MARIA Sueua, Philippi Imperatoris filia.

16. HENRICVS III. Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, Marchio: vxor ALEYDIS, filia Hugonis IV. Ducis Burgundiæ.

17. IOANNES I. Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi: vxor MARGARETA, filia Guidonis Comitis Flandriæ.

18. IOANNES II. Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi: vxor MARGARETA, filia Eduardi I. Regis Angliæ.

19. IOANNES III. Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi: vxor MARIA, filia Ludouici Comitis Ebroicenfis, filij Philippi III. Franciæ Regis.

20. MARGARETA BRABANTA, Antuerpiæ Domina, vxor LVDOVICI Malani Comitis Flandriæ.

21. MARGARETA Comitiſſa Flandriæ, Burgundiæ, Arteſiæ, vxor PHILIPPI Audacis Ducis Burgundiæ, filij Ioannis II. Regis Franciæ.

22. IOANNES Intrepidus Dux Burgundiæ: vxor MARGARETA Bauara, filia Alberti Comitis Hannoniæ & Hollandiæ.

23. PHILIPPVS Bonus Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. vxor ISABELLA, filia Ioannis I. Luſitaniæ Regis.

24. CAROLVS Bellicoſus, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. vxor ISABELLA, filia Caroli I. Ducis Borbonij.

25. MARIA Duciſſa Burgundiæ, Brabantiæ, &c. vxor MAXIMILIANI I. Imperatoris Auſtriaci.

26. PHILIPPVS Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Princeps Belgarum: vxor IOANNA, filia Ferdinandi & Iſabellæ, Catholicorum Regum.

27. CAROLVS V. Imperator, Hiſpaniæ Rex, Dux Burgundiæ, &c. vxor ISABELLA, filia Emanuelis Regis Luſitaniæ.

28. PHILIPPVS II. Rex Catholicus, Dux Burgundiæ: vxor ANNA, filia Maximiliani II. Imperatoris.

29. PHILIPPVS III. Rex Catholicus, Dux Burgundiæ: vxor MARGARETA, filia Caroli Archiducis Auſtriæ.

30. PHILIPPVS IV. Rex Catholicus, Dux Burgundiæ: vxor ISABELLA, filia Henrici IV. Franciæ Regis.

Ex iſtâ ſerie, quam è monumentis & auctoribus fide dignis contexuimus, apparet Auſtriacos Hiſpaniæ Reges à Carolo Magno per GERBERGAM genus ducere, medijs Lotharingiæ Inferioris ac Brabantiæ Ducibus, per quos iam olim de ortu illo, perquàm ſublimi, WENCESLAVS Romanorum & Bohemiæ Rex ſeipſum maximè commendabat: cùm enim ANTONIVS Brabantiæ Dux Legatos ad eum miſiſſet, & vnà cum illis Edmondum Dinterum. de ſeipſo Dinterus,

terus, deque Wenceslao Rege: *Me per manum capiens* (inquit) *duxit in quamdam aulam, in quâ pretiosæ imagines omnium Ducum Brabantiæ, vsque ad Ducem* IOANNEM *eius nominis Tertium inclusiuè, sunt depictæ, quas* CAROLVS IV. *Imperator genitor suus ibi depingi fecerat; dixitque ad me, quòd illa sua esset Genealogia; quodque ipse de progenie Troianorum, & signanter* SANCTI CAROLI MAGNI *Imperatoris, & inclytæ domus Brabantiæ, descendit: & quòd* HENRICVS *de Lutcemburgo Imperator, proauus suus, habuit filiam* IOANNIS I. *Ducis Brabantiæ, ex quâ genuit auum suum* IOANNEM *Bohemiæ & Poloniæ Regem*. Illa Ioannis I. Ducis filia vocabatur Margareta, quæ anno M. CC. XCI. iuncta fuit Henrico Comiti Luxemburgico, qui deinde anno M. CCC. VIII. electus est Imperator. Lib. 6. cap. 37.

PHILIPPVS BONVS Burgundiæ & Brabantiæ Dux, à SIGISMVNDO Imperatore ad singulare certamen per Heraldum prouocatus, anno ∞. CCCC. XXXIV. *Non sum ego* IMPERATOR respondit, *neque* MVNDI DOMINVS; *verùm* MAGNI CAROLI SANGVIS, *quem verba terrere non possunt: atque his dictis, auream vestem exuens, Heraldo dedit.* Ioannes Ioffridus Episcopus Attrebatensis, in oratione quam ad Pium II. Papam habuit in conuentu Mantuano anno M. CCCC. LIX. præsente Ioanne Duce Cliuensi, alijsque Baronibus, Philippi Boni Burgundiæ & Brabantiæ Ducis Oratoribus, posteaquam eleganter & copiosè de Philippo multa dixisset, ad extremum subiunxit: *Heros ille noster* CAROLVS MAGNVS, *à quo* DVX *ipse, non solùm Francorum sanguine, sed* BRABANTINORVM *stirpe* DIRECTE *manat, nónne Latinas Ecclesias, detractis infidelium spolijs triumphisque, decorauit?* Commẽt. Pij II. Papæ lib. 9. Ex ms.

PHILIPPVS IV. AVSTRIACVS, Rex Catholicus, à Gerbergâ, medijs Brabantiæ Burgundiæque Ducibus, directo tramite prosapiam ducit: LVDOVICVS XIV. Franciæ Rex ab illis item Ducibus, sed nouissimè per proauiam paternam, & per matrem, Austriaci sanguinis Principes: vnde liquet, ab eodem Hispaniarum Rege per insignem hanc ortus prærogatiuam Regem Francorum anteuerti.

Progenies ERMENGARDIS, *Comitissæ Namurcensis*, CAROLI *Ducis, & iure Francorum Regis, natu minoris filia, attexenda Stemmati* CAROLI MAGNI *suprà cap.* III.

8. ERMENGARDIS ALBERTO I. Comiti Namurcensi in matrimonium collocata.

9. ALBERTVS II. Comes Namurci: vxor REGELINDIS, Gothilonis magni Lotharingiæ vtriusque Ducis filia.

10. ALBERTVS III. Comes Namurci: vxor IDA, Friderici Ducis Lotharingiæ Inferioris vidua.

11. GODEFRIDVS Comes Namurci: vxor ERMENSENDIS, Conradi Comitis Luxemburgensis filia.

12. ALEYDIS, coniux BALDVINI III. Comitis Hannoniæ.

13. BALDVINVS IV. Comes Hannoniæ & Namurci: vxor MARGARETA, Theodorici Flandriæ Comitis filia.

HINC REGES HISPANIÆ.

14. BALDVINVS Flandriæ & Hannoniæ Comes, & Imperator Constantinopolitanus: vxor MARIA, Henrici Comitis Campaniæ filia.

15. MARGARETA Flandriæ & Hannoniæ Comes, nupta GVILIELMO Dampetræ Domino.

16. GVIDO Comes Flandriæ: vxor MATHILDIS, Roberti Bethunij filia.

17. ROBERTVS Bethunius, Comes Flandriæ: vxor IOLANDA, Odonis Comitis Niuernensis filia.

18. LVDOVICVS Comes Niuernensis: vxor IOANNA, Rethelensis Comitissa.

HINC REGES FRANCIÆ.

14. ISABELLA *Hannonia* PHILIPPO II. *Francorum Regi nupta.*

15. LVDOVICVS VIII. *Francorum Rex: vxor* BLANCA, *Alphonsi VIII. Castellæ Regis natu minor filia.*

16. S. LVDOVICVS IX. *Franciæ Rex: vxor* MARGARETA, *filia Raimondi Berengarij Prouinciæ Comitis.*

Ramus Valesius.

17. PHILIPPVS III. *Rex Franciæ, stipes Valesiorum Regum, quorum stirps masculina defecit in Henrico III. Rege.*

Ramus Borbonius.

17. ROBERTVS *Comes Clarimontis: vxor* BEATRIX *Burgunda, Borbonij Domina, à qua posteri dicti sunt Borbonij.*

18. LVDOVICVS I. *Dux Borbonij: vxor* MARIA, *filia Ioannis Auesnensis, Comitis Hannoniæ.*

19. LVDO-

19. LVDOVICVS Cressiacus, Comes Flandriæ: vxor MARGARETA, Philippi V. Regis Franciæ & Ioannæ Burgundiæ & Artesiæ Comitissæ filia.

20. LVDOVICVS Malanus, Comes Flandriæ: vxor MARGARETA, filia Ioannis III. Ducis Brabantiæ.

21. MARGARETA Comes Flandriæ, Burgundię & Artesiæ, vxor PHILIPPI Audacis Ducis Burgundiæ.

22. IOANNES Intrepidus, Dux Burgundiæ: vxor MARGARETA Bauara, filia Alberti Comitis Hannoniæ & Hollandiæ.

23. PHILIPPVS Bonus, Dux Burgundiæ: vxor ISABELLA, filia Ioannis I. Regis Portugalliæ.

24. CAROLVS Bellicosus, Dux Burgundiæ: vxor ISABELLA, filia Caroli I. Ducis Borbonij.

25. MARIA Ducissa Burgundiæ, Princeps Belgarum, vxor MAXIMILIANI I. Imperatoris Austriaci.

26. PHILIPPVS Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Princeps Belgarum: vxor IOANNA, filia Ferdinandi & Isabellæ, Catholicorum Regum.

27. CAROLVS V. Imperator, Rex Hispaniæ, Dux Burgundiæ, &c. vxor ISABELLA, Emanuelis Regis Portugalliæ filia.

28. PHILIPPVS II. Rex Catholicus: vxor ANNA, Maximiliani II. Imperatoris filia.

19. IACOBVS *de Borbonio, Comes Marchiæ: vxor* IOANNA, *filia Hugonis de Castellione, dicti de Sancto Paulo.*

20. IOANNES *de Borbonio, Comes Marchiæ: vxor* CATHARINA, *filia Ioannis Comitis Vindocinensis.*

21. LVDOVICVS *de Borbonio, Comes Vindocinensis: vxor* IOANNA, *filia Ioannis de Monteforti, dicti Guidonis, & Annæ Lauallia.*

22. IOANNES *de Borbonio, Comes Vindocinensis: vxor* ISABELLA, *filia Ludouici de Beauuou, & Margareta de Chambley eius coniugis.*

23. FRANCISCVS *de Borbonio, Comes Vindocinensis: vxor* MARIA, *filia Petri de Luxemburgo Comitis S. Pauli.*

24. CAROLVS *de Borbonio, primus Dux Vindocinensis: vxor* FRANCISCA, *filia Renati Ducis Alençonij.*

25. ANTONIVS *de Borbonio, Dux Vindocinensis: vxor* IOANNA *de Albreto, Beorniæ Princeps.*

26. HENRICVS *de Borbonio, Rex Franciæ, quartus huius nominis: vxor* MARIA *Medicæa, filia Francisci Cosmæ Magni Hetruriæ Ducis, & Ioannæ Archiducissæ Austriæ.*

27. LVDOVICVS XIII. *Rex Franciæ: vxor* ANNA *Austriaca, Philippi III. Regis Catholici filia.*

28. LVDOVICVS XIV. *Franciæ Rex, pupillus.*

29. PHILIPPVS III. Rex Catholicus: vxor MARGARETA, filia Caroli Archiducis Austriæ.

30. PHILIPPVS IV. Rex Catholicus: vxor ISABELLA, filia Henrici IV. Regis Franciæ.

BALDVINVS Imperator Constantinopolitanus, & ISABELLA Hannonia eius soror, hunc in modum à Carolo Magno ducebant genus. PHILIPPVS IV. Rex Catholicus à Balduino Imperatore maiore natu & Isabellæ fratre prosapiam directè trahit: LVDOVICVS autem XIV. Franciæ Rex, ab Isabellâ Balduini Imperatoris sorore: vnde constat & per hanc lineam Francum Regem, natalium ac sexus iure ab Hispano superari. Certum quippe est, Capetinum sanguinem Carolino legitimè non fuisse permixtum ante Philippi II. Franciæ Regis cum Isabellâ Hannoniâ coniunctionem; quod tribus locis Willelmus Nangius apertissimè: ERMENGARDIS, inquit, *iuncta fuit Comiti Namurciæ, de quâ descendit* BALDVINVS *Comes Hannoniæ, cuius filiam* ISABELLAM *desponsauit* PHILIPPVS *Augustus Rex Francorum, & genuit ex eâ* LVDOVICVM *Regem, patrem S.* LVDOVICI *Regis, quem dicimus hoc modo descendisse de progenie* CAROLI MAGNI. Alio item loco, anno M. CC. XXIII. *In hoc ergo* [Ludouico VIII. Rege] *rediit Regnum ad stirpem* KAROLI MAGNI *Imperatoris, de quo originem ex parte matris dignoscitur contraxisse.* Iterùm in eiusdem Historiæ contextu distinctè: PHILIPPVS *Rex* LVDOVICVM *genuit, vt dictum est, ex* ELIZABETHA *siue* ISABELLA *filia* BALDVINI *Comitis Hannoniæ. Nam idem* BALDVINVS *processit de progenie* ERMENGARDIS *Comitissæ Namurciæ, filiæ* CAROLI *Ducis Lotharingiæ, patrui* LVDOVICI *Regis, vltimi de genere* CAROLI MAGNI, *sine herede defuncti. Contra quem* [CAROLVM DVCEM] HVGO *Capucius* REGNVM VSVRPAVIT, *& Aurelianis in carcere mori fecit; & vsque ad quem progenies* PIPINI *&* CAROLI MAGNI *Imperatoris in Regni potestate perseuerauit. Cùm igitur iste* LVDOVICVS *in Regno successerit patri, patet Regnum in ipso reductum ad progeniem* CAROLI MAGNI. Ita etiam Edmundus Dinterus: *De progenie* ERMENGARDIS *processit* BALDVINVS *Comes Hannoniensis siue Flandrensis; cuius filiam* ELISABETH PHILIPPVS *huius nominis* II. *Francorum Rex duxit in vxorem, ex quâ genuit* LVDOVICVM *Regem* VIII. *qui post patrem regnauit: per quem Ludouicum* VIII. *(qui fuit pater* S. LVDOVICI *Regis) constat Regnum Francorum reductum ad progeniem* CAROLI MAGNI. Idem demum tradit Æmilius in hunc modum: *Quo ex matrimonio* [Alberti & Ermengardis] *septimâ mox ætate, soboles oritur* BALDVINVS *Comes Hanhoniæ, ex cuius filiâ* ELISABETHA PHILIPPVS *Augustus Francorum Rex procreauit* LVDOVICVM *Patrem Diui Regis, & ipsum virum Sanctum, vtroque Stemmate nobilem, materno verò* AVGVSTIOREM, *ac à* CAROLO MAGNO *deducto.*

Anno M.C.LXXX. In Chronico.

De Gestis Ludouici VIII. edit. Pithœi, pag. 396.

Lib. 2. cap. 31.

Lib. 3. Histor. Franc. Ita etiam Bellesforest. To. 1. lib. 3. cap. 59.

Illo igitur quo diximus modo primùm coaluerunt stirpes illæ, rametsi

tametsi earum coniunctionem altiùs alio loco, immemor dictorum, repetat iam laudatus Nangius, adducens Innocentium Papam III. *qui in Decretali suâ*, inquit, LVDOVICVM VI. *qui descendit ab Hugone Capet, adstruit processisse de progenie Karoli Magni: quod stare non posset, si iste* HVGO *de eadem progenie non descendisset.* Verùm non de Ludouico VI. sed de Philippo II. id scripsit Innocentius, qui haud benè informatus, viro attribuit quod vxori debebatur: non enim Philippus à Carolo Magno sinceram originem trahebat, sed Isabella Hannonia eius vxor, per quam (vt ostendimus) Carolinum genus Capetino legitimè fuit vnitum, quod antè non euenerat: id quod etiam à Sanmarthanis fratribus optimè est obseruatum: quamuis idem error in ipsos Ecclesiæ Annales irrepserit, dum Eminentissimus eorum Scriptor verba Nangij bonâ fide transscribit. De illa ergo ISABELLÆ Hannoniensis progenie Carolinâ intelligenda sunt verba Ludouici XI. Valesij Francorum Regis, ad Margaretam Angliæ Reginam, opem ab eo postulantem; cui respondit ille Rex, *se non Herculem esse, neque genus Æacidarum; Francorum sanguine natum, à* MAGNO CAROLO *originem trahere, cui nullus ex antiquis sit præferendus.*

In eodem Chron.

In cap. *Nouit.* de iudic. lib. 2. Decret.

Lib. 6. cap. 9.

An. 987. num. 2.

Lib. 9. Commẽt. Pij Papæ II. anno 1475.

Sed iam propiùs ad inchoatam assertionem. Defecit in Carolo Duce & in Othone eius filio tota stirps virilis Caroli Magni, iure omni ad Gerbergam & Ermengardim, Caroli Ducis filias, deuoluto. PHILIPPVS IV. Rex Catholicus à Gerbergâ natu maiore rectâ serie originem sortitur; à minore verò ERMENGARDE, potiore gradu quàm Franciæ Rex. Vnde sequitur, ex duplicato vtriusque sororis iure, omnem Caroli Magni & successorum eius Imperatorum & Regum hereditatem, natalium splendorem, ac meritorum gloriam, ad PHILIPPVM IV. Regem Catholicum legitimè pertinere; & eò magis; quòd, ipso asserente Cassano, *Regales actiones numquam præscribantur*. Constat enim, à Maioribus PHILIPPI IV. Regis, eo tempore quo de adipiscendo Regno & Capeto exigendo agebatur, vicinitate gradus, ætatis prærogatiuâ, & ortus à CAROLO MAGNO sinceritate, Maiores Regis Francorum hodierni superatos esse.

Lib. 1. cap. 1. & passim.

Verùm enimuerò recentiores quidam Historici, vt Capetinæ vsurpationi fucum obtendant, obijciunt Carolum Ducem Lotharingiæ, Gerbergæ & Ermengardis parentem, idcircò à Francis fuisse derelictum, quòd Imperio Germanico nimis addictus esset: sed contrarium euincitur ex his Sigeberti verbis: *Ludouico Francorum Rege mortuo,* FRANCIS REGNVM TRANSFERRE VOLENTIBVS AD KAROLVM DVCEM, *fratrem Lotharij Regis; dum ille rem ad consilium differt,* REGNVM FRANCORVM VSVRPAT HVGO, *filius Hugonis Parisiensis.*

Massonus lib. 3. Annal. & alij.

Anno DCCCCLXXXVII.

In Chron. Id ipsum fatetur Nangius quoque, etsi Capetinæ stirpis fautor plerumque ineptus: *Ludouicus Rex Francorum sine herede moritur: tunc* FRANCIS REGNVM TRANSFERRE VOLENTIBVS AD PATRVVM EIVS KAROLVM, *Ducem Lotharingiæ, fratrem Lotharij Regis; dum ille rem ad consilium defert, &* ACCIPERE REGNVM TARDAT, REGNVM FRANCORVM CAPIT HVGO CAPVCII, *Comes Parisiensis & Dux Francorum, filius Hugonis Magni, Comitis quondam Parisiensis.*

Ex MS. Cod. Nivellensi, qui seruatur Bruxellæ in Bibliot. Regiâ. Accedit antiqua Ducum Brabantiæ Genealogia, quæ desinit in Ioanne III. Duce: *Eodem anno* REBELLAVIT *contra* KAROLVM DVCEM HVGO *Comes Parisiensis, dictus* CHAPEL, *cuius antecessores malitiosè conati sæpè fuerant prosapiam* KAROLI MAGNI *Regno Francorum exhereditare. Hic etiam* HVGO *noluit pati, quòd* KAROLVS *Dux vngeretur in Regem, cùm tamen* FRANCIGENÆ *conarentur Regnum transferre ad ipsum* KAROLVM REGNI HEREDEM. Dux idem Carolus à Dinteto dicitur *Heres Franciæ*, & ab alijs *Rex* nuncupatur, &

Lib. 2. cap. 31. In Chronic. regnasse dicitur. Hugo Floriacensis, post relatum Ludouici V. Regis obitum, statim subdit: *Cui successit in* REGNVM KAROLVS. *Eodem anno* REBELLAVIT *contra* KAROLVM HVGO *Dux Francorum.* Ioan-

In Chron. Bertiniano. nes Iperius Abbas S. Bertini, sub annum DCCCC. LXXXVII. *Cui successit* [Ludouico Regi] *patruus eius* KAROLVS, *frater Lotharij prædicti. Hugo verò Capet, more patrum suorum, odio motus antiquo, genus Karoli Magni cupiens eradere de Regno Francorum, contra* REGEM KAROLVM, *nedum tamen coronatum, rebellauit.* Et inferiùs, agens de Anselino Laudunensi Episcopo, Caroli proditore: *Dormientibus cunctis,* KAROLVM REGEM, *Dominum suum, vinctum cum vxore Hugoni Capet*

Libro 1. de Vitâ suâ. *tradidit.* Guibertus Abbas S. Mariæ Nouigenti, circa annum M. C. X. sic de Anselino eodem: *Dominum suum* REGEM, *innocentem puerum,* (Carolum videlicet in iuuenili ætate constitutum) *cui sacramenta fidelitatis præbuerat, prodidit; & in* EXTERNVM GENVS, *magni* CAROLI *cursum Genealogiæ transfudit: quod facinus die Cænæ Dominicæ patrauit.*

In Chron. Denique Andreas Marchianensis, sub an. DCCCC. LXXXVIII. REGNAVIT *Karolus, frater Lotharij Regis, annis quatuor.*

Habes propensam Francorum voluntatem in CAROLVM Ducem, illumque pro Rege agnitum; vides CAPETI odium, atque vsurpatio-

In Chron. nem, de quâ etiam alij disertè: Albericus anno DCCCC. LXXXVIII. *Dux* HVGO KAROLI MAGNI *sobolem extirpauit à Regni solio.* Item

Lib. 3. initio, & alibi. Edmundus Dinterus: *Hugo Caputius, Comes Parisiensis & Dux Francorum, contra* DOMINVM *& consobrinum* SVVM, CAROLVM *Ducem Lotharingiæ,* REGNVM FRANCORVM, *contra præceptum Romanæ Ecclesiæ, quæ omnes inuasores Regni anathematizauerat, iniustè inuasit.*

Regnum

Regnum igitur Francorum, quod paternâ & auitâ hereditate ad CAROLVM Ducem attinebat, CAPETVS vsurpauit. Sed nihilo seciùs Caroli filiæ GERBERGA & ERMENGARDIS ius paternum in Brabantiæ Burgundiæque stirpis Duces, ac deinde in AVSTRIACÆ gentis Principes (quorum caput est PHILIPPVS IV. Rex) legitimâ serie transfuderunt; semotâ nempe Salicâ Lege, quæ nec ad Francos occiduos pro successione Regni attinuit vnquam; neque per illam Franciæ Occidentalis Regnum obtinuit CAPETVS, vt iamiam ostensuri sumus.

CAPVT V.

Salica Lex, quæ feminas arcet ab hereditate, à Francis Ortiuis sancita & obseruata, ad illos verè ac propriè pertinet, non verò ad Occiduos, qui sunt Franci hodierni.



EX communi Francorum sententiâ, Salica Lex solis maribus sceptrum & hereditatem defert hisce verbis: DE TERRA VERO SALICA IN MVLIEREM NVLLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT, SED HOC VIRILIS SEXVS ACQVIRIT: HOC EST, FILII IN IPSA HEREDITATE SVCCEDVNT. Verùm id apud Francos Orientales sancitum existimat Iacobus Cuiacius, non apud Occidentales: *Separatis libris*, inquit, *habetur Lex Salica, & lex Francica: hæc est Occidentalium, illa Orientalium.* Conradus II. Imperator (qui ab auctore Chronici Weingartensis dicitur *Conradus Francus*) vulgò nuncupatus est SALICVS, quia oriundus erat è terrâ Salicâ, Wormacensi nempe, cis Rhenum (Bruxellæ scribo) intra fines Franciæ Orientalis, seu vetusti Lotharingiæ Regni. Eadem dudum origo Maioribus Conradi Salici, cuius quippe proauum cognominem Albericus, anno DCCCC.XLIV. facit patriâ *VVormacensem*; & anno M. XXIV. *VVormatiæ Ducem.*

Titulo 62. §. 6.

Lib. 1. de Feudis tit. 1.

Anno M. XXIV.

In Chron.

S. Norbertus, Xantis Cliuiæ, Diœcesis Coloniensis oppido natus, qui à Francisco Haræo cognominatur *Lotharingus*, ab Hugone Cameracensi, primo eius socio, & in Præmonstratensis cœnobij dignitate primariâ successore, fuisse scribitur DE ILLVSTRI PROSAPIA FRANCORVM AC GERMANORVM SALICORVM; hoc est, AVSTRASIORVM, qui erant Franci Ortiui, dicti postcà LOTHARINGI; quibus qui Regio iure imperabant, ORIENTALIS FRANCIÆ REGES inscribebantur. Ad illos ergo (magni Cuiacij iudicio) verè & propriè pertinet Salica Lex, cuius vi mares soli Maioribus suis in omnia

In Proleg. Annal. Brabant.

In eius Vitâ circa annum M. C. XI.

iura ſuccedunt. Eiuſdem cum Cuiacio ſententiæ fuit Baſilius Ioannes Heroldus, qui Principem Treuirorum Electorem ſic allocutus eſt anno M. D. LVII. *Munus ſuſcipe dignum Germano atque ingenuo viro, proprium* VIIVIRO, *in* SALICORVM, *hoc eſt, veteri illo ac verè* GERMANO IMPERIO, *Tabularij magiſtro*, IOANNE à LEYEN, *& Archiepiſcopo, & Principe digniſſimum*. Conſtat autem Archiepiſcopi Treuirenſis Metropolim, ad Moſellam fluuium, in Regno Lotharij ſitam eſſe; eiuſque Suffraganeos, Metenſem, Tullenſem, & Virdunenſem Epiſcopos, in ſuperiore Lotharingiâ ſedes ſuas ac Diœceſes habere. Sed expedit ortum Legis altiùs repetere, & ſolicitè inueſtigare.

In Epiſtolâ præfixâ Salicis Legibus, quas edidit ex MS. Fuldenſi.

Cùm Iulianus Imperator leuandarum à tributis immanibus Galliarum rationem iniret, Datiano & Cereali Coſſ. (hoc eſt anno Chriſti CCC. LVIII.) Belgicam ſecundam adijt, *petijtque primos omnium* FRANCOS, *quos conſuetudo* SALIOS *appellauit, auſos olim in Romano ſolo, apud* TOXIANDRIAM-LOCVM, *habitacula figere prælicenter; cui, cùm* TVNGROS *veniſſet, occurrit legatio prædictorum*. Hæc Ammianus Marcellinus, Iuliani miles ac ſocius, qui Saliorum nomen deducit à conſuetudine, quam haud dubiè primùm induxerit ipſa terra & habitatio Salica, quemadmodum in nominibus pleriſque contigit gentilitijs. Narrat deinde Ammianus, quomodo inibi Cæſar, Francis perculſis, ſtudio peruigili properans vtilitatem fundare Prouinciarum, *munimenta tria, rectâ ſerie, ſupercilijs impoſita fluminis Moſæ, ſubuerſâ dudum obſtinatione barbaricâ, illicò inſtaurauit*. TOXIANDRIA-LOCVS, qui (iudicio Petri Diuæi, Chriſtophori Brouweri, & Nicolai Vignerij) in Lotharingiæ Inferioris pago Taxandrio, etiamnum dicitur *Teſſanderlo*: Tungri populi in eodem tractu, & Moſa fluuius illac præterfluens, notæ ſunt certiſſimæ habitationis (tempore Iuliani Imperatoris) Francorum Saliorum in locis illis, inter Scaldim & Moſam fluuios, in quibus conditam fuiſſe à Francis Ortiuis, ſub Pharamundo Rege, Legem Salicam oſtendo perſpicuè.

Lib. 17.

Lib. 2. Rer. Brabant. Lib. 4. Annal. Treuirenſ. Tomo 1. Biblioth. pag. 881.

In Chron.

Ita Sigebertus anno CD. XXII. *Franci vti cœperunt legibus, &* LEGEM SALICAM *dictauerunt per quatuor gentis ſuæ Proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus, VViſogaſt, Boſogaſt, Salagaſt, VVidigaſt, in villis Germaniæ, Selehaim, Bodohaim, VVindohaim. Hi quatuor Proceres, per tres mallos conuenientes, cauſarum origines ſollicitè tractantes, de ſingulis diſcutiendo; ſicut* LEX SALICA *declarat, iudicare decreuerunt*. Illæ tres villæ (iudicio Godefridi Vendelini, abſtruſioris litteraturæ viri) ſuperſunt hodieque in Germaniæ Inferioris campaniâ Brabanticâ, hiſce nominibus, Selheim/ Bodersheim/ Windershoven. Et Selheim quidem variante dialecto ſonat Teutonicè *Saliorum habitationem*, cui

ex alterâ parte Tameræ fluuij opponitur *Salicus vicus*, vulgò **Zelck**: nec non & agri inter **Herkam** & **Halen** hodieque vocantur **Vrancktijck**/ quod est, FRANCIÆ REGNVM; & infra illos prata Salica, **Zeelbemden** nuncupantur; manifestè Francorum Saliorum primæ sedes.

Pergit Sigebertus, anno CD. XXX. *Clodius filius Faramundi, Rex crinitus, regnat super Francos annis viginti*. Francos intellige Salios & Ortiuos, quibus dumtaxat Clodio Rex præerat, quippe qui arma sua in Gallias non intulit vltra Mosam, Mosellam, Scaldim, & Somonam fluuios; intra quos, pulsis Romanis, Regnum suum stabiliuit, in quo Legem Salicam latè obseruatam fuisse constat ex monumentis fide dignis, quorum exempla singillatim proferam.

In Auerbodiensi Ordinis Norbertini Monasterio, quod in Ducatu Inferioris Lotharingiæ situm (prope Disthemium & Asperum D. Virginis collem) leucâ dumtaxat horariâ distat à Toxiandria loco, seruantur literæ Ludouici Comitis Lossensis (qui posteà Godefridi IX. Inferioris Lotharingiæ Ducis socer) quæ sic habent in autographo: Ex Chartul. Auerbod. fol. 221.

IN NOMINE *Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti*: EGO LODOWICVS *Dei patientiâ Comes Lonensium, notum facio præsentibus & futuris, quòd VValtherus Decanus sancti Gereonis, & frater eius Hubertus, libertatis suæ prædium, quod possidebant in Eike, quæ super Mosam est, cum familiâ ad ipsum pertinente, & omnibus appendicijs eius, tacti spiritu timoris Dei, Ecclesiæ Auerbodiensi legauerunt*, OBSERVATA SALICÆ LEGIS OMNI CAVTELA. *Idem verò Gualtherus Arnulfum de Diest, hominem liberum, Aduocatum suum faciens, donationem prædij sui per ipsum ad me pertulit, vt sub defensione & introductione mea, Ecclesia illud vsu caperet. Introduxi itaque Abbatem Andream in possessionem, & iurisdictioni eius ex integro supposui. Cùm autem careret Aduocato idem prædium, causâ pacis & amplioris tutelæ, elegit me Ecclesia Auerbodiensis ibi in Aduocatum, determinato certo reditu pro Aduocatiâ per annos singulos, sex solidos videlicet, quos de manu Abbatis, vel Magistri qui loco præerit, minister meus accipiet, & perferet ad me. Erit verò tam ipsum prædium, quàm familia collata cum prædio, liberum ab omni Aduocatorum exactione, siue imprecariâ vel angariâ, vel placitis, vel hospitijs: æstimationem bonorum defuncti non consequentur ab heredibus, nihil à maritandis, nihil ab ijs qui defunguntur ab vxoribus expediti. Vrgente autem necessitate adductus ad placitum, tertium inde consequar denarium, & nihil amplius. Hoc ergo vt illibatum apud posteros meos permaneat, præsentia scripta sigilli mei impressione communio, ne res acta vacillet,*

vacillet. Testes sunt: Arnoldus de Diest: Arnoldus de Kessinc: Godefridus de Materberg: Cono de Diepenbeke: Conradus de Anbertinghe. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo, centesimo, quinquagesimoquinto, Indictione III. concurrente XV. Epactâ V. regnante Imperatore nostro Frederico.

Planum est ex litteris illis, obseruatam fuisse duodecimo sæculo Salicam Legem in Lotharingicâ Francorum Orientalium habitatione, de quibus haud dubiè capiendus Otho Frisingensis Episcopus, vbi sic de Lege Salicâ: *Hac nobilissimi Francorum, qui* SALICI *dicuntur, adhuc vtuntur.* Viuere desijt Otho Episcopus, Friderici I. Imp. patruus, anno Christi M. C. LIX. teste Radeuico: Chartam dedit Ludouicus Lossensis Comes anno M. C. LV. in quâ Legis Salicæ in Lotharingiâ Inferiore strictè obseruatæ luculenter meminit: vnde constat apertissimè illos ætate fuisse pares; adeoque Othonem Episcopum de Francis Ortiuis seu Principibus Lotharingicis locutum, non autem de Occiduis, qui nec SALICI dicebantur; nec vigebat apud illos (quoad Regni successionem) Salicæ Legis vsus: annis enim prænotatis regnabat in Occidentali Franciâ LVDOVICVS VII. ius habens ab atauo HVGONE CAPETO Rege, quem vigore ductuque Salicæ Legis ad Regni gubernacula promotum nemo verè dixerit.

Lib. 4. cap. 32.

Libro 2. cap. 11.

Ad hæc, Weingartensis Monachus ita loquitur: GVELFO, *filius Rudolphi, vxorem duxit* DE GENTE SALICA, *de Castro* GLIHBERG, IVITHAM *nomine, sororem Henrici Ducis Noricorum, & FRIDERICI Ducis* LOTHARINGORVM, *&* ADELBERONIS *Episcopi Metensis.* Mendum absque dubio irrepsit in scriptionem, positumque *Glibberg* pro *Lutzberg*, vt nonnulli Germani *Luxemburgum* efferunt; vel certè pro *Lucilibure*, aut *Liceleborc*, vt veteres tabulæ. Ratio enim fundamentalis, cur oppidum Luxemburgense per *castrum Glibberg* intelligi debeat, ea est; quòd constet solidis argumentis IVITHAM illam, GVELPHI coniugem, fuisse filiam FRIDERICI I. eius nominis Comitis Luxemburgensis: vnde habitâ re semel, vox, quasi rerum pedissequa, rem sequi debet. Præterea, sicuti IVITHA, in Welphorum Chronico, *de castro Glibberg* cognomen accepit; ita quoque Comites olim ac Dynastæ Luxemburgenses à castello suo cognominari solebant. Exemplum in GISELBERTO, IVITHÆ fratre: GISELBERTVS *quidam Comes de Castello* LVZELEMBVRC. In Contrado Giselberti filio, Iuithæ nepote: CONRADVM *Comitem de Castello, quod dicitur* LVCELENBVRG. In Willelmo Conradi filio, Iuithæ pronepote: *Quodam Comite VVilhelmo, filio* CONRADI *Comitis de Castello, quod vulgò* LVTZENBVRG *vocatur, Ducatum illis præbente.*

In Chron. Welphorum.

Apud Chesne, in Histor. Luxemburg.

Gesta Episc. Treuir. MS. Schaffnaburg. anno M. LXXVI. Gesta eadem.

Addit

Addit porrò Weingartensis, IVITHAM illam Luxemburgensem fuisse DE GENTE SALICA, quia prosapiam ducebat ab antiquâ stirpe Lotharicorum Principum, quos Frisingensis vocat *Francorum nobilissimos & Salicos*; quippe qui genus repetebant à CLODIONE COMATO, Franciæ Orientalis Rege, in cuius regiâ sede, Cameraco, Salicam legem antiquitus viguisse, disces è Vindiciani Cameracensis Episcopi ad Ioannem V. Papam Epistolâ, quam sic adfert Baldericus Nouiomensis ac Tornacensis Episcopus. Lib. 1. Chron. cap. 25.

NOTVM SIT *Paternitati vestræ, seu omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ prolibus, si aliquid de rebus nostris, locis Sanctorum, vel in substantiâ pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æternam benedictionem retribui confidimus. Nos quidem de tantâ misericordiâ & pietate Domini confidentes, in Conuentu venerabilium Episcoporum nostrorum, coram Rege piissimo Theoderico, in generali placito, hanc Epistolam roborauimus, roboratamque in perpetuum fore optamus. Lex priscorum quoque exposcit auctoritatem, vt quicumque voluerit de rebus suis proprijs vendere, cedere, condonare, suum strumentum* SECVNDVM LEGEM SALICAM *licentiam habeat alligare*, &c. *Data octauo Idus Maij anno septimo Regni Domini nostri Theoderici Regis, Indictione* II. hoc est, anno Christi DC. LXXXV. Cameracum in Orientali Franciâ situm erat; quod deinde Regni Lothariensis ciuitatem fuisse, colliges è Sigeberto anno M. XXXIII. Et si Albericum libet audire ad annum CD. XXXVI. *Rex Clodio*, inquit, *Tornacum obtinuit primò, & inde Cameracum, & vsque ad Summam fluuium.*

Verùm enimuerò nauigemus iam oportet aduerso flumine, vt Salici fontis ortum reconditiorem tutiùs inuestigemus. Franci Germaniæ Superioris indigenæ Rhenum citiùs transiuerunt quàm vulgò creditur. Sub imperio Gallieni ignauissimi Imperatoris (hoc est sæculo tertio) perrupto Rheni limite, Germaniam inuasere Inferiorem. Aurelianus paulò pòst totâ Galliâ vagabundos, ad Mogonciacum citra Rhenum profligauit. Sæculo dein quarto ineunte, pars illorum iam Romanis fœderata, à Constantino magno Imperatore intra Gallias ad habitandum fuit collocata. *Quid loquar rursus* (ait Eumenius Rhetor) *intimas* FRANCIÆ NATIONES, *non solùm ab his locis, quæ olim Romani inuaserant, sed à proprijs ex origine suis sedibus, atque ab vltimis Barbariæ littoribus auulsas, vt in desertis* GALLIÆ REGIONIBVS *collocatæ, pacem Romani Imperij cultu iuuarent, & arma delectu*. Testatur subinde Ammianus (vt iam vidimus) eiusdem sæculi anno CCC. LVIII. FRANCOS iam tum dictos SALIOS; cis Rhenum apud Toxiandriam sedes habuisse: illorum quoque in Gal- In Panegyr. Constantini. Lib. 17.

In Chron. lias migrationem sic insinuat Prosper Aquitanus: *Felice & Tauro Coss.* (hoc est anno Christi CD. XXVIII.) PARS GALLIARVM *propinqua Rheno, quam* FRANCI *possidendam occupauerant, Aëtij Comitis armis recepta.* Pars illa Galliarum (meo quidem iudicio) non alia fuit, quàm quæ postmodum *Austrasia* & *Francia Orientalis* dicta est, cuius Regia Sedes erat *Diuodurum*, caput Mediomatricorum; sub quibus Ptolemæus Λεῦκοι, seu *Tullenses* collocat: Strabo enim disertè: Μεδιοματρικοὶ κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον: *Mediomatrici accolunt Rhenum* : hoc est, ad Prosperi mentem, *propinqui sunt Rheno*, scilicet amplitudine finium & iurisdictione. sic enim Cæsar: *Rhenus oritur à Lepontijs, qui Alpes incolunt, & longo spatio*, PER FINES *Nemetum, Heluetiorum, Sequanorum*, MEDIOMATRICORVM, *Tribocorum, Treuirorum, citatus fertur.*

Lib. 2. cap. 9.

Lib. 4.

Com. 4.

In Epist. ad Athenienses. Sed pergamus per vetustatis nubes Salicum subire fontem. Iulianus Imperator, Francos populos, quos ad Toxiandriam deditios exceperat, Μοῖραν τῶν Σαλίων vocat, hoc est *partem Saliorum* : certo indicio aliam Saliorum partem alio loco citra Rhenum (nempe ad *fluuium Saliam*, vt statim ostendemus) iam antè consedisse. Francos enim, qui adhuc trans Rhenum habitabant, Iulianus alibi sine adiectione nuncupat Φράγγους τοὺς ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον, *Francos vltra Rhenum*; quos tamen Ammianus, eius in expeditionibus socius, *Ansuarios* cognominat: *Iulianus*, inquit, *in limitem Germaniæ Secundæ est egressus; omniq́ue apparatu, quem flagitabat instans negotium, communitus, Traiectensi Mosæ oppido* (Maestricht) *propinquabat. Rheno deinde transmisso*, REGIONEM *subitò peruasit* FRANCORVM, *quos* ANSIVARIOS *vocant, inquietorum hominum, licentiùs etiam tunc percursantium extima Galliarum.* Ex quibus colligi datur, Francos Orientales Cisrhenanos, nominatos fuisse SALIOS; Transrhenanos verò ANSIVARIOS. Ad has porrò variantes populorum nomenclaturas pertinent ista Procopij: Οὗτοι ἅπαντες ὅσοι τὸ παλαιὸν ἀμφὶ Ῥῆνον ἑκατέρωθεν ποταμὸν ᾤκηντο, ἰδίᾳ μέν πως. ὀνόματος ἕκαστοι μετελάγχανον, ἓν δὲ ἔθνος ἐς Γερμανοὺς ἐκαλοῦντο: *Hi omnes quotquot circa vtramque Rheni ripam incolebant, proprium quoddam nomen singuli habebant, quorum vna natio Germani dicebantur.*

Orat. 1. in laudem Constátij.

Lib. 20.

Lib. 4. Rer. Goth.

Quandoquidem igitur nullis antiqui æui testimonijs constat, Francos vltra Rhenum commorantes, nuncupatos fuisse *Salios*; quippe quos cis Rhenum domicilia iam habentes Iulianus Imperator, & Ammianus Marcellinus (Claudiano, Zosimo & Apollinari antiquiores) eo *Saliorum* cognomento primi affecêre; ne in posterum quod apud nos est, longiùs & frustrà perquiratur; ego planè sentio, *Francos Cisrhenanos* dictos fuisse *Salios*, à fluuio Saliâ; qui oritur à Lindrio lacu, & apud Metas influit in Mosellam; de quo canentem audire

dire iuuat Fortunatum Pictauiensem Præsulem, Gregorio Turonensi coæuum, in carmine ad Villicum Episcopum Metensem: Lib. 3. cap. 14.

Gurgite cæruleo pelagus MOSELLA *relaxat,*
Et mouet ingentes molliter amnis aquas;
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lauat herbarum leniter vnda comas:
Hinc dextrâ de parte fluit, quâ SALIA *fertur,*
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hic vbi perspicuis MOSELLAM *cursibus intrat,*
Alterius vires implet, & ipse perit.
Hoc METIS *fundata loco, speciosa, coruscans,*
Piscibus obsessum claudit vtrumque latus.

SALIA ergo fluuius non ignobilis, Mosellam cursu pauperiore defluentem, aquarum pabulo implet. Illius sic obiter meminit Ioannes Abbas in Vitâ S. Glodesindis Metensis, quæ viuebat sæculo septimo: *Clericus Monasterij ipsius, vicem officij Ecclesiastici in ordine proprio administrans, cui nomen Fulgebertus erat,* FLVVIVM *ciuitati à parte Orientali contiguum, qui* SALIA *dicitur, causâ aliquâ traijcere gestiebat.*

SALIÆ fit etiam mentio in chartâ permutationis inter Lodouinum Abbatem Gorziensem, & virum nobilem nomine Erembertum, quæ sic habet: *Dedit igitur memoratus Abbas* LODOVINVS, *ad partem Eremberti, in* PAGO SALNENSI, *in vico qui dicitur Bodesio, mansum vnum, &c. E contra dedit Erembertus in ipso pago pratum quod habet in longum perticas XXIII. & dimidiam: in vnâ fronte, perticas VI. in aliâ fronte, perticas V. in vno latere, ratio S. Martini: in alio latere & vnâ fronte, Bernardus tenet: in aliâ fronte* FLVVIVS SALIA *currit, &c. Facta commutatio in Gorzia Monasterio, anno ab Incarnatione Domini* DCCC. XC. *Indict.* XIII. *ep.* XXVI. *conc.* III. *anno* III. *regnante Domino Arnulfo Serenissimo Rege.* Chartul. Gorz. pag. 112.

Sed eleganter nostrâ ætate Brouwerus sic Saliam descripsit, cuius lusum ex editissimâ turri Basilicæ S. Stephani Metensis aspectauerat: *Oritur is in confinio Sarauii è Lindrio stagno, haud procul Vinstingâ, ex Oriente surgens in Occasum; atque hinc ex Meridie versus in Septentrionem, haud obscura Mediomatricum oppida, Dieuzam, Marsalum, Vicum, Mommeuyum, præterfluit. At in hemisphærio ciuitatis, quà longissime prospicitur ab Occasu, varijs adlabitur mæandris, nec coalescit antè quàm cordis speciem efficiat; quâ absolutâ rursum coïens, appetit vrbem, non vnâ viâ; verùm hàc ab Ortu alluens, isthàc ambiens à Meridie, vbi ciuium varijs officijs adeptus, in vnum continenter alueum cum Mosellâ se colligit.* In proparasceue Annal. Treuirens. cap. 17.

Lib. 7. cap. 4. A Sale autem Lothariensis ille fluuius *Salia* dictus est, eodem Fortunato teste, in carmine ad Gogonem, vbi Galliæ Belgicæ plerosque fluuios sic enumerat:

Isara, Sara, Chares, Scaldis, Sabá, Somena, Sura:
Seu qui METTIN *adit*, DE SALE *nomen habens.*

Horum Scaldis & Somona (*l'Escault & la Somme*) influunt in mare: Charus & Saba (*la Chere & la Sambre*) in Mosam: Isara (*l'Oise*) in Sequanam: Sara & Sura (*la Sarre & le Saur*) in Mosellam; sicut etiam Salia (*la Seille*) quæ à *Sale*, inquit Fortunatus, *nomen habet.* Scienter equidem: Saliæ namque fluuio propinqui sunt salsi Lotharingiæ fontes, qui scaturiunt ad Dieusam, Marsaluin, Medioùicum, Salonam, & Castrum Salinense: *Dieuse, Marsal, Moyenuic, Salone, & Chasteau-salin*: quibus locis aquæ muriaticæ coctura igniaria in album salem densantur: nec longè inde abest *Salina Vallis* Ordinis Norbertini Monasterium.

Francos porrò, seu vi per ipsos factâ, seu iubente Romano Imperatore, Rhenum transgressos, prima domicilia fixisse ad Lothariensis fluuij *Salia* terras, ibique *Salium cognomen* adeptos esse, iure mihi persuadeo; propterea quod alij populi (de Regno Lotharingiæ omnes) à fluuijs, quorum ripas incolebant, nomina sunt sortiti, vt à Mœno (qui Reginoni *Mogonus* est) *Mogonciaci*: à Rurâ, *Ribuarij*, vulgò veterum Gallorum, *les Ruyers*: ab Elello, *Elsatij*: ab Hainâ, *Hainonij*: à Mosellâ, *Mosellani*: quidni & à Saliâ, *Salij*?

Francos item è Superiore Germaniâ migrantes, substitisse ad salsas propè *Saliam* fluuium aquas, admonet egregiè populorum Germaniæ (qui à mari dissiti erant, & nouas sedes quærebant) studiosa solicitudo in Salinis obtinendis: quod de Burgundis Ammianus disertè, Lib. 28. qui *in Capellatio*, inquit, SALINARVM *finiumque causâ, Allemannis sæpè iurgabant*: qui postmodum transito Rheno, fontes alios sale abundantes occuparunt in Sequanico, ad vrbem Salinensem, Ledonem Salnerij, Grosonium, & alia loca.

Ardentioris autem illius studij causa erat, varia religionis species erga fœcundos sale fontes & fluuios, pro quâ audi dissidia & pugnas (sub Neronis imperio) inter alios eiusdem Germanicæ gentis populos: *Eadem æstate* (verba sunt Taciti) *inter Hermunduros Cattosque certatum magno prælio, dum* FLVMEN GIGNENDO SALE FOECVNDVM *& conterminum vi trahunt; super libidinem cuncta armis agendi, religione insitâ, eos maximè locos propinquare cælo, precesque mortalium à Deis nusquam propiùs audiri: inde indulgentiâ numinum illo in amne illisque syluis* SALEM *prouenire, non, vt apud alias gentes, eluuie maris arescente vndâ,* Lib. 13. Annal.

sed

sed super ardentem arborum struem fusâ, contrarijs inter se elementis, igne atque aquis concretum.

Ego certè non aliter Francos cum Gallis & Romanis, quàm Burgundiones cum Allemannis, & Cattos cum Hermunduris, decertasse existimo, vt SALIÆ fluuij oras, salsis fontibus contiguis diuites, occuparent; tum religionis causâ, tum etiam vtilitatis, *cùm sal adeò necessarium sit* ELEMENTVM, *vt vita humanior sine sale degere nequeat.* Plinius lib. 31. cap. 7.

Cùm hæc scripsissem, repperi Papirium Massonum *Salicæ Legis* nomen à *Saliâ* Mediomatricum fluuio etiam deriuasse. Gauisus sum me in viri doctissimi vestigijs pedem posuisse, etsi Annales eius pridem non euolueram. In eâ certè mihi decretum manere sententiâ, dum meliorem inuenero, vel probabiliorem litteratorum expromat industria. Lib. 1. Annal. in Childeberto.

Igitur iam adductis rationum momentis, addo ad integram meæ assertionis lucem, SVPERIORES LOTHARINGOS Ragimbaldi Comitis ingenuos clientes, qui ad SALIAM & MOSELLAM fluuios habitabant, verè fuisse SALICOS; quippè qui sæculo decimo SALICIS viuebant LEGIBVS, vt ex istâ Gorziensi chartâ est manifestum.

QVANTVM *humanus intellectus valet mente sagaci excogitare, oportet vt vnusquisque pro salute animæ suæ solicitè emigilet, quatenus districtus iudex neminem reperiat imparatum, dum venerit; & ne inueniatur quod dampnet, sed potiùs quod coronet: hoc est, vt vnusquisque, dum in propria libertatis subsistit iure, de caducis & transitorijs in æterna tabernacula vitam sibi quærat mercari perpetuam; & retributiorem sibi faciat Deum, vt inter iustorum consortium desiderabilem obtineat locum. Hoc etenim ego* RAGIMBALDVS, *filius* RAGIMBALDI *&* HERIBVRGIS, *mente reuoluens sæpè; & quoniam sicut scriptum est, res Ecclesiæ vota sunt fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, cogitaui vt aliquid de rebus à parentibus supradictis michi concessis, ob remedium animarum suarum, & vt ipse veniam de peccatis meis adipisci queam, ac vt in die districti examinis securus adsistens, illam desiderabilem Domini vocem audire valeam; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum; ad partem sanctæ* GORZIENSIS *Congregationis darem, quod & feci:* TRADIDI *namque* PER MANVS FIDELIVM MEORVM, LEGE SALICA VIVENTIVM, WINEMANNI *videlicet, &* WACHINI, *atque* GIRVVLFI, *prædium meum* IN PAGO ET COMITATV SALNENSI *situm*, VITRENEICVRTEM *dictum, cum omnibus suis ædificijs & appendicijs, tam in domibus, quàm in mansis, Ecclesijs, campis, pratis, vineis, syluis, pomarijs, villis, villulis, mancipijs vtriusque generis, pascuis, piscatorijs, aquis, aquarúmve decursibus, pontibus, ingressibus, & regressibus, mobilibus & immobilibus, &* Ex Chartul. Gorziensi, pag. 150.

 in

in cunctis quæ dici vel nominari possunt, ad ipsam Curtem pertinentibus, tam de concessis à parentibus, quàm à me adquisitis, vt quemadmodum ego illi dictum tradidi Alodium, ita ipsi parti altaris sancti Petri, quod est in præfato Gorziensi Monasterio, vbi etiam venerabile pignus, corpus scilicet SANCTI GORGONII *habetur, vnde quoque, Sanctitatis memoriæ,* AGENOLDVS *esse dignoscitur Abbas, traderent & vestirent: eâ scilicet ratione, vt quamdiu* FREDELINDIS *coniux mea vixerit, vsu possideat fructuario, nullum ex eis habens pontificium minuendi, quin potiùs augendi, emeliorandi, restituendi: ac proinde annis singulis in festiuitate sancti Gorgonij, quæ est V. Idus Septembris, pro vestiturâ argenti libram persoluat. Post eius quoque discessum, quandoquidem Deus voluerit, statim, & absque alicuius contradictione, heres, cum suis omnibus, ad ius & ditionem Abbatis dictæ Congregationis, & ad præbendam Monachorum, inibi Deo degentium, reuertantur: habeantque talem ex eis potestatem, qualem de reliquis ad eorum præbendam pertinentibus. Si autem ex ipso censu negligens aut tarda extiterit, legemque facere distulerit, similiter faciant. Deprecatus sum insuper, vt huius facti scriptum in pleno mallo leuaretur, & à* COMITE, *Scabiniis, alijsque Deum timentibus firmaretur. Si autem aliquis heredum meorum aduersus hanc donationem à me factam insurgere voluerit, tamque infringere tentauerit, priùs iram Dei incurrat, ac sanctæ Dei Ecclesiæ, cui vim intulerit, libras auri centum, argenti mille persoluat, & quod repetit euendicare non valeat. Actum in villâ* DEXTERIACA *in pleno mallo, anno ab Incarnatione Domini* D. CCCC. LVII. *Indict.* XV. *ep.* XVII. *conc.* III. *anno* XXI. *Regni* OTTONIS *Imperatoris.*

† TEVTBERTI *Comitis. Isti sunt Scabinij.*

† *Sigeberti.*	† *Luizonis.*
† *Raginardi.*	† *Aldrici.*
† *Hugonis.*	† *Item VValtarij.*
† *VValtarij.*	† *Roberti.*
† *Ripaldi.*	† *Adelberti.*
† *VVarnardi.*	† *Formari.*
† *Angelbaldi.*	† *Ottonis.*

† *Ego Adelardus Presbyter indignus, ad vicem Nortmanni Cancellarij, scripsi.*

Tit. 66. §. 2. 3. In Legis Salicæ Capitulis mentio habetur *hominum ingenuorum, qui Lege Salicâ viuunt*: cuiusmodi erant clientes illius Ragimbaldi munifici datoris, qui Comitali dignitate in Lotharingiâ superiore illustris erat, pluresque nobiles ob prædia beneficiaria fide sibi obstrictos habebat, *Lege Salicâ viuentes.* In chartâ Friderici I. Ducis, anni CM. LIX. (quam alibi referemus) admotum exstat cum alijs hoc signum:

signum: † RAGIMBALDI COMITIS. In alterâ item Ermenfredi Gorziensis Abbatis, anni CM. LXXXIV. mentio fit *hominum de potestate Bruoch, quæ à piæ memoria* RAIMBALDO COMITE, *perpetuò possidenda, tradita est sancto Gorgonio.* Chartul. Gorz. pag. 163.

Gorziense porrò in Lotharingiâ Monasterium, à Ragimbaldo Comite ditatum, construxerat Chrodegangus Metensis Episcopus, Pipini Regis, ex Sorore Landradâ, Sigiramni Hasbaniæ Principis vxore, nepos, ac dotare incœperat an. DCC. XLV. *in fine Haldiniacâ, in Comitatu Scarponensi, vbi Gorzia fluuiolus consurgit*, à quo principi cœnobio nomen. Satrapiæ verò nomenclaturam dedit SCARPONA (vulgò *Charpaigne*) castrum olim ad Mosellam munitissimum, *medio itinere Tullum inter & Metas*, vbi passim numismata, inscripti lapides & alia Romanæ antiquitatis monumenta eruuntur: locus idcircò magis celebratus, quòd ibi IOVINVS Magister Equitum, sub Valentiniano Imperatore diuagantes licentiùs Allemannos ad internecionem extinxit, anno CCC. LXVI. Anton. in Itiner. Ammia. lib. 27.

Ceterùm antiquum Scarponensem Comitatum componebant istæ villæ: *Buxeriæ, Pinna, Pontibannum, VViteluilla, Vuasaticum, Banonocurtis, Scamnis, Aconisuilla, VVittoneuilla, Horneius, Buriago, Badulloуilla, Nouiantum, Theocurtis, Mandris, Igmerocurtis, Ranulfuilla, Raginbercurtis, Generardifossa, Arnalduilla*, & multæ aliæ.

Ad Salnensem verò pagum (siue territorium, quod vulgò *le Saulnois*) à Saliâ fluuio & Salinis denominatum, pertinebant loca quinque sale opulenta; quæ iam enumerauimus, & prætereà villæ istæ: *Bioniscurtis, Gerberticurtis, Monsuironis, Domnobusiuilla, Vitreneicurtis, Cuueriacus, vicus Bodesius*, & alij.

E peruetustis Gorziæ chartis antiqua illa vicorum nomina decerpsi, quæ si cum hodiernis appellationibus conferantur, perspicuè constabit illos omnes à Metensi ciuitate, Tullo, Mussiponte, & Nanceio, præcipuâ Ducum vrbe, non procul absuisse.

Restat vt superatis fontis Salici scopulis sequamur profluentem, & sic accedamus propiùs ad nostrum æuum. Edmundus Boullayus Caroli II. Lotharingiæ Ducis primus Fecialis, vbi agit de dissidio (de quo nos alibi pluribus) exorto inter Antonium Comitem Vaudanimontis, & Isabellam patruelem suam, vxorem Renati Andegauensis, post obitum Caroli I. Ducis, anno M. CD. XXX. dissensionis argumentum sic exponit: *Illa controuersia (quantum legi & didici è quibusdam illius æui pactionibus) ideò excitata fuit, propterea quòd Comes Antonius asserebat, non posse filias* LEGE SALICA *Ducatus Lotharingiæ hereditatem nancisci; ac idcircò Renatum nomine vxoris suæ Isa-* In Geneal. Lothar.

bellæ

Tom. 2. lib. 5. cap. 91. *bellæ Ducem esse non posse*. Idem narratur à Francisco Belleforestio, Henrici III. Franciæ Regis Historiographo, sed alijs hisce verbis: *Motionis Vaudemontani Comitis, vt militum copias cogeret aduersus Andegauensem, affinem suum, in subsidium Burgundi, causa fuit controuersia de Ducatu Lotharingiæ, quem ipse ad se pertinere contendebat, vtpote aptiorem iuri successionis, quàm esset filia Caroli Ducis; cuius ipse nepos erat ex fratre Friderico: asserebat enim*, DVCATVM LOTHARINGIÆ SA-

Cap. 95. LICVM ESSE, *nec debere ad feminam deuolui*. Profert alibi idem Scriptor iudicium suum de illâ eadem lite hocce verborum sensu: *Intereà Burgundus, qui Renatum Ducem in vinculis tenebat, videns eum solutionis cupidum, vt proficisci posset in Italiam, cœpit liberationis eius rationes proponere; idque per connubium Yolandæ Renati Filiæ natu maioris cum Frederico Antonij Vaudemontani primogenito, vt sic, pace inter illos conciliatâ, Ducatus Lotharingiæ remaneret penes Vaudemontanum, ad quem legitimè pertinebat, quia* TERRA LOTHARINGICA EST SALICA.

Tomo 3. pag. 438. Denique Laurentius Bouchelius in Bibliothecâ Iuris Francici ad mentem nostram & ad veritatem ipsam sic eloquitur: *Super ea* LEGE SALICA *Fridericus Vaudemontanus* (fallitur in nomine; Antonius is erat, Friderici filius) *statuebat fundamentum litis, quam habebat aduersus Renatum Andegauensem pro Ducatu Lotharingiæ, dicens*, DVCATVM ILLVM ESSE DE TERRA SALICA, *nec idcircò posse ad feminas transferri: quo eodem iure consequenter* DVX LOTHARINGIÆ *illum hodie possidet*. Non est clarior serena dies.

Apparet igitur ex his quæ hactenus in medium attulimus, primùm quidem, LEGEM SALICAM sæculo quinto ineunte sancitam fuisse in pago Taxandrio, apud Francos Orientales Cisrhenanos, qui priùs à *Saliâ* Mediomatricum fluuio *Salij* fuerant denominati; quique dicti deinde *Austrasij*, ac postremò *Lotharingi*; quos Otho Frisingensis idcircò vocat FRANCORVM NOBILISSIMOS, ET SALICOS; è quibus Conradus II. Imperator sæculo vndecimo, & S. Norbertus duodecimo, *Salici* sunt cognominati.

Prætereà constat ex litteris Vindiciani Cameracensis Episcopi, & Ludouici Comitis Lossensis, sæculo septimo & duodecimo obseruaram fuisse in Oriuæ Franciæ seu Lotharingiæ Regno Salicam Legem: quam à Francis Occiduis siue Neustrasijs in vsum fuisse admissam, nullis hactenus prisci æui innotuit instrumentis.

Euidens est tertiò, è Ragimbaldi Comitis Lotharingi tabulis, Superiores Lotharingos, Saliæ & Mosellæ accolas, sæculo decimo vixisse iuxta Legem Salicam, acceptam à Maioribus; atque ad obseruanda eius capita strictè obligatos fuisse.

Quartò

Quartò & postremò, indubitatæ veritatis est, ex Lotharienſium Francorumque Historiis, sæculo decimoquinto palàm aſſertum, & verò armis vindicatum ab Antonio Comite Vaudanimontis, DVCATVM LOTHARINGIÆ SALICVM ESSE, haud dubiè propter Salicæ Legis per manus & ætates ad illum vſque traditionem, quinimò & ad vſque tempora Boullaij, Belleforeſtij, & Bouchelij, quorum narrationes Pariſijs ſunt editæ, prioris anno M. D. XLIX. alterius M. D. LXXIX. tertij denique M. DC. XXIX.

Quæ cùm ita ſint, & ad faciendam meæ ſententiæ fidem validiſſima ſuppetant argumenta, *minimè ſunt mutanda* (vt Pauli I. C. verbis vtar) *quæ*, tot retrò ſæculis, *interpretationem certam ſemper habuerunt*: adeoque repetito principio, certiſſimum eſſe concludo, LEGEM SALICAM *à Francis Ortiuis ſancitam, ad illos propriè pertinere; non autem ad Occiduos*: præterea, *Lotharingiæ Superioris Ducatum eſſe Terram Salicam*; atque idcircò, ex Lege Saliorum, ad ſolos maſculos pertinere ius ſucceſſionis ad illum Principatum; vt etiam olim ad Ducatum Lotharingiæ Inferioris, donec Cæſarum indulgentia ſequiori ſexui ad ſucceſſionem locum fecit; vt alio loco fusè oſtenſuri ſumus. Lege 23. ff. de Legibus.

CAPVT VI.

Regnum Franciæ Occidentalis non eſſe Salicum oſtenditur ex more à Francis Occiduis ſeruato in ſucceſſione Regum; qui multis firmatur exemplis.

IN hac auctoritatum ſerie præibunt, & velut fundamenti loco erunt magni & ſancti viri Fulconis verba, qui Archiepiſcopus quondam Remenſis electus anno DCCC. LXXXII. & Francogallus natione, *vir valdè nobilis, & Palatinis aſſuetus officijs, totius Regni curam agebat* octonis abhinc ferè ſæculis. Affirmat itaque in epiſtolâ ad Arnulphum Imperatorem, *Morem gentis Francorum ſemper fuiſſe, vt, Rege decedente, alium de eadem ſtirpe vel ſucceſſione, ſine reſpectu vel interrogatione maioris aut potentioris Regis, eligerent*. Ex quibus colligitur in primis, *Ius Regni Franciæ* (vt ait Æmilius) *non ſingulorum hominum, ſed ſanguinis eſſe*: electionem deinde, quæ ex Procerum ſuffragijs pendebat, aduerſari SALICÆ Legi, per quam ius totum hereditariè, non electiuè, ad virilem ſexum transferebatur: Fulconem denique, quia nominatim maſculinam ſucceſſionis lineam non expreſſit, non excluſiſſe femininam, per quam pleroſque conſtat (& ex ijs nonnullos ipſius Fulconis æuo) ad regendum

Flodoardus lib. 4. Hiſtor. Rem. c. 1. & 5.

Libro 3. Hiſtor. Franc Vigi. de Hotomannum Francogalliæ cap. 6.

dum Franciæ clauum fuisse accersitos, adeoque non per Legem Salicam, quæ ius hereditatis omne feminis adimit, & eas à virili administratione remouet. Iam qui Fulconi succenturientur auctores, crebris exemplis demonstrare operæ pretium est, & eius verba alijs, ijsque ponderosis, fulcire.

EXEMPLVM I.

DE MEROVEO REGE.

CLodione Rege, Pharamundi filio, supremum diem obeunte, Regni Francorum habenas suscepit MEROVEVS, à quo Franci nominati [1] *Merouingi*. Is, [2] Gregorio Turonensi teste, *de stirpe Clodionis* fuit; & [3] Aimoino tradente, *Clodionis affinis*: imò etiam, si Henricum [4] Huntindoniensem audimus, *Clodionis cognatus*; non tamen filius, sed altero patre Meroueo natus: sic enim Genealogia Regum Francorum ex vetusto Codice Conciliorum & Capitulorum: [5] *Primus Rex Francorum* FARAMVNDVS: *Secundus* CHLVDIO *filius eius: Tertius* MEREVEVS *filius Mereuei: Quartus* CHILDERICVS *filius Mereuei*. Rorico in gestis Francorum: [6] *Clodione defuncto*, MEROVICVS *ad regendum populum* ELIGITVR, *& in Ambianorum ciuitate regali solio sublimatur*. Rex igitur non est electus à Francis Meroueus ad normam Salicæ Legis, quæ cùm in suis adhuc esset incunabulis (condita quippe anno CD. XXII.) Regni hereditatem filijs Clodionis dabat, qui tamen à Francis fuêre prætermissi. Posteros Clodionis Regis, qui hactenus ignoti fuerant, habes in veteri Stemmate, quod ex MS. Codice Legis Salicæ Chesneus publici iuris fecit.

1 Sigebert. anno 448.
2 Lib. 2. cap. 9.
3 Lib. 1. cap. 6.
4 Lib. 7. Histor. Angl.
5 Chesne Tomo 1. Script. Franc. paginâ 793.
6 Lib. 1.

Chesneus loc. cit.

EXEMPLVM II.

DE ÆGIDIO REGE.

FRanci, eiecto Childerico Rege, ÆGIDIVM, Ducem Romanorum, vnanimiter sibi Regem adsciuêre: qui regnauit in Franciâ annis octo. Patricius Romanus erat, nec è stirpe Francorum oriebatur. At ego existimo vxorem illius Francorum sobole genitam fuisse, quia SIAGRIVS *filius eius vrbem Suessionensem hereditario iure possedit*. Quâ autem ex causâ, quóve tandem iure apud Francos regnarit ÆGIDIVS, haud factum constat ex Legis Salicæ præcepto ac ritu, quo neque in genere extrancos, neque in feminas, vlla portio hereditatis cadit.

Gregor. Tur. l. 2. cap. 12.
Aimoin. lib. 1. c. 7.
Sigebert. anno ccccix.
Aimoin. lib. 1. c. 2.

EXEM-

EXEMPLVM III.

DE CAROLO MARTELLO.

Genealogia vetus Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ, quæ desinit in Ioanne III. Duce: PIPINVS *genuit de * Pliade, sorore Dodonis*, KAROLVM MARTELLVM, *virum elegantem & egregium, Ducem inuictum, imò victoriosissimum, qui patrios limites transgrediens, multa Regna sibi subiecit; qui* REQVISITVS, REX FRANCORVM *fieri noluit, gloriosius ducens Regibus imperare, quàm Rex esse.* Idem planè sensus est versuum, qui in eodem codice sunt descripti:

Ex ms. Cod. Niuellensi.

* Alpaidem vocat Dinterus lib. 1. c. 25. sororem Dodonis de Ardennâ, quæ apud Erp in Brabantiâ quiescit.

Ecce Brabantinus Dux quartus in orbe triumphat,
M A L L E V S *in mundo specialis Christicolarum,*
Dux Dominusque Ducum, Regum quoque Rex fore spreuit.
Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.

MARTELLVS tamen ab Anastasio Bibliothecario, & à Bedæ continuatore, scriptore æquali, disertè nuncupatur *Rex Francorum*; eiusque tumulo, in Basilicâ S. Dionysij, communi Regum Franciæ conditorio, inscriptum legitur: KAROLVS MARTELLVS REX. Siue igitur Rex Francorum re ipsâ fuerit MARTELLVS, siue duntaxat postulatus à Francis ad capessendum Regnum; neutro modo id factum ex decreto Salicæ Legis: quia Martellus stipite masculino Merouingus non erat.

In Zachariâ & Stephano tertio.

In Epitome Script. Angl. an. DCCXLI.

Doublet in Histor. S. Dionysij, lib. 4.

EXEMPLVM IV.

DE PIPINO REGE.

Petrus Bibliothecarius in Historiâ Francorum abbreuiatâ: *Anno* DCC. LI. PIPINVS *legatos misit ad* ZACHARIAM *Pontificem Maximum, vt qui* EX ANTIQVA MEROVINGIORVM STIRPE *fuerit, regnaret in Galliâ: exaudit Pontifex, & mandat Gallis, vt in eorum Regem haberent Pipinum.* Annales Francorum Bertiniani: *Pipinus*, SECVNDVM MOREM FRANCORVM, *electus est ad Regem, & vnctus per manum sanctæ memoriæ Archiepiscopi Bonifacij, & eleuatus à Francis in Regno, Suessionis ciuitate.* Pius PP. II. in oratione quam habuit in Comitijs Mantuanis anno M. CCCC. LIX. PIPINVS, *quamuis Francus*, REGIO SANGVINE NATVS, *gradu tamen remotior erat: hanc ille ex Apostolicâ Sede gratiam tulit*; nempe vt ipsi Regnum Franciæ committeretur; *quod per rectam lineam in aliam familiam deferebatur.*

Apud Chesneum Tom. 3. Scriptorũ Franciæ. Anno DCC L.

Ex ms. Cod.

Non prodibat à Merouingorum stirpe masculinâ PIPINVS, sed

femininâ tantùm, per BLITHILDEM Clotarij Regis filiam, Ansberto Duci Austrasiæ nuptam: electus tamen fuit SECVNDVM MOREM FRANCORVM. Clarè antiquus auctor Vitæ S. Genulphi Confessoris: *Hic verò* PIPINVS *pius Dux, ex Ducibus atauis, proauis, & auis, & patre Duce genitus,* EX *præfatâ* BLITILDE GENVS REGIVM DVCENS, *multis militiæ virtutibus insignis, post depositionem* HILDERICI, *totius militiæ voto, vnà cum auctoritate* ZACHARIÆ *Papæ, primus ex suâ lineâ in Regno Francorum Rex sublimatus est.* Quocircà patet ex illo more, legi etiam solitos Reges, qui per feminas solùm è stirpe Regiâ oriundi essent: non ergo ex Salicæ Legis præcepto, quæ mulieri nullam impertitur hereditatis portionem.

Libro 2. cap. 5.

EXEMPLVM V.
DE WIDONE REGE, SPOLETANO DVCE.

Bellefores. Tillet. Fauchet.

CVm propter nimis teneram Caroli Simplicis ætatem, instantemque Normannorum persecutionem, de alio Rege eligendo Franci consilium inijssent, WIDONEM Spoletanum Ducem ex Italiâ euocarunt, qui in Francorum Regem à Lingonensi Episcopo consecratus est. De illo sic Luitprandus Ticinensis: *Franci itaque* ODONEM *(quoniam* WIDO *aberat) Regem constituunt.* WIDO *autem Franciam petit: cumque Burgundionum Regna transiens,* FRANCIAM, *quam* ROMANAM *dicunt, ingredi vellet; Francorum nuntij ei occurrerunt, vt reuerteretur; nuntiantes, eò quòd longâ expectatione fatigati, dum sine Rege diutiùs esse non possent,* ODONEM *cunctis petentibus elegissent.*

Lib. 1. cap. 6.

STEMMA *VVidonis Regis.*

1. Carolus Magnus.

2. Ludouicus Pius.		2. Pipinus Rex Italiæ.	
3. Carolus Caluus.	Gisla vxor S. Euerardi Ducis Foroiuliensis.	N. vxor Lamberti Ducis Spoletani.	N. iuncta Patri Fulconis Remensis.
4. Ludouicus Balbus.	Berengarius Rex Italiæ, Imp.	Wido Dux Spoleti, Rex Franciæ & Italiæ, Imper.	Fulco Comes Palatij Francorum, Archiepiscopus Remensis, cognatus Widonis Regis.
5. Carolus Simplex propinquus Widonis Regis.	Gisla mater Berengarij II. Regis Italiæ.	Lambertus Rex Italiæ, Imper.	

Fulco

Fulco Remensis, ab excessu Ludouici Balbi Regis, WIDONEM *Principem,& paruum* PROPINQVVM EIVS KAROLVM, *de regali stirpe remansisse*, apertè testatur. Wido enim (vti Luitprandus tradit) *quandam traxerat à Francis affinitatis lineam*: de quâ (inquit Dupleix) *maximè gloriabatur*: expressit illam Paulus Æmilius, vbi laudat *Berengarium &* WIDONEM, *Proceres Romanæ iuuentutis*, PER MATRES FRANCIS, *per auias Longobardis cognatione iunctos*. Apud Flodoard. Hist.Rem. lib. 4. c. 5. Lib. 1. c. 6. Tom. 1. pag. 679. Lib. 3. Histor. Franc.

Albericus insuper, post narratum Hincmari Archiepiscopi Remensis obitum, anno DCCC. LXXXII. subijcit: *Succedit* FVLCO, *vir nobilis, cognatus Regis Italiæ* GVIDONIS. Rursus anno DCCC.XCII. GVIDO *cognatus eiusdem Archiepiscopi* [Fulconis] *in Italiâ regnare incepit*. Quâ de causâ ipsemet Fulco se profitetur, *consanguinitatis necessitudine* LAMBERTO *Imperatori*, WIDONIS *filio, deuinctum*. Quia ergo cognati erant GVIDO & FVLCO, ego planè existimo matres illorum sorores fuisse, & verè filias Pipini Regis Italiæ, de quo sic Eginarthus: *Pipinus vnicum filium suum Bernardum, filias autem quinque, Adelhaidem, Atalam, Gundradam, Bertraidem, ac Thedradam superstites reliquit: in quibus Rex* [CAROLVS MAGNVS] *pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cùm filiò defuncto, nepotem patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecisset*. In Chron. Flodoard. lib. 4. c. 5. In Vitâ Caroli Magni.

Profectò, cùm de illarum quinque CAROLI MAGNI neptium statu & conditione nihil inueniatur ab antiquis auctoribus litteris consignatum, vero simillimum puto, alteram Lamberto patri Guidonis, alteram verò Fulconis patri fuisse collocatam: vnde, ob regalem illam consanguinitatem Fulco (tunc Abbas, nondum Episcopus) in Clericorum Remensium narratione dicitur fuisse *cum Carolo* [Caluo] *Rege gratissimus & potentissimus*; nec non à Flodoardo, tempore Caroli Simplicis, *totius Regni curam agens*. Apud Chesneū Tom. 2. pag. 343. Lib. 4. c. 5.

Ceterùm vocatus fuerat à Francis GVIDO ad regnandum, pro more à Fulcone memorato; quia per matrem propinquus erat Caroli Simplicis, non autem LEGIS SALICÆ instituto.

EXEMPLVM VI.

DE ODONE REGE,

HVGONIS CAPETI PROPATRVO.

CArolum Crassum Imp. ac Franciæ Regem, *quidam ex Orientalibus Francis adiens, nomine* ODO (verba sunt Witichindi Saxonis) *vir fortis & prudens, egit consilio suo, vt cùm Danis benè pugnare-* Lib. 1. anno DCCC. LXXXV.

 tur,

tur, qui iam multis annis Caroli Regnum vexabant; vnaque die ex iis centum millia caederentur. Ex hoc, ille ODO *clarus & insignis habitus, & à Rege secundus significatus, cùm ad eum venerit vno tantùm seruulo comite contentus.* Ex Francis Orientalibus dicitur fuisse ODO, quia Maiorum ortu Sueuus erat: Orientalis enim Francia, siue Teutonicum Regnum [1] comprehendebat olim *Baioariam*, SVEVIAM, *Saxoniam, Thuringiam, Frisiam & Lotharingiam.* Abbo tamen [2] Monachus sancti Germani Parisiensis ODONEM vocat *Neustricum*, fortè quia in Neustriâ natus erat. Ille porrò exiguus vnius pedissequi comitatus, penuriam rei familiaris arguebat in ODONE, quem deinde fortuna sublimiter euexit: sic enim [3] Sigebertus anno DCCC. XC. *Franci neglecto* CAROLO, *filio Ludouici Balbi, puero vix decenni, Regem sibi praeficiunt* ODONEM, *filium Roberti Ducis.* [4] Otho Frisingensis: OCCIDENTALES *Franci* ODONEM, *Roberti filium, virum fortem, consensu Arnulphi Regis, Regem creant.* Fulco Remensis, qui tunc (vt antè diximus) *totius Regni curam agebat*, quantum potuit, ODONIS obstitit electioni; sed fatetur, posteà se *coactum fuisse eius* HOMINIS (contemptim dictum) *dominatum suscipere,* QVI AB STIRPE REGIA EXISTENS ALIENVS, *regali* TYRANNICE *abusus est potestate.* Hortatur deinde ARNVLPHVM Imperatorem, *vt perpendat quid contingere possit, si eum debitus casus repoposcerit, cùm iam* TOT DE ALIENA STIRPE REGES *existant, & adhuc sint plures, qui regium nomen affectent.* Quibus verbis perstringit Rodulphum Burgundiae Regem, Robertum Odonis fratrem germanum, & alios dominatum ambientes. Orat denique, *ne Rex* ARNVLPHVS (qui consenserat in Odonis electionem) *sceleratis acquiescat consiliis, sed misereatur gentis Francorum, &* REGIO GENERI *subueniat decidenti, satagens vt in diebus suis dignitas successionis suae roboretur, &* HI QVI EX ALIENO GENERE REGES *extabant, vel existere cupiebant, non praeualerent contra eos, quibus* EX GENERE HONOR REGIVS *debebatur.* Quâ loquendi ratione Fulco distinguit iterum legitimam Carlouingorum stirpem & progeniem ab alieno & illegitimo Regum nouorum genere & sanguine. quâ de re Meyerus clarè: *Balduinus Flandriorum Comes molestissimè ferebat, superstite* CAROLI MAGNI *progenie, ius Regni* ALIENO *deferri, summaque iniuriâ transferri in familiam Andegauensem.* Etenim ROBERTVS Fortis Marchio, ODONIS parens, filius erat CONRADI, filij VELPHONIS Comitis Altorffij in Sueuiâ; mater autem eiusdem Roberti Fortis erat ADELAID, filia Hugonis F. Abbatis, filij CAROLI MAGNI ex concubinâ nomine Reginâ, vt antè probauimus. Ob illam tamen haud sinceram cum Carlouingis cognationem ODO coronam Francicam

adeptus

[1] Frising. lib. 6. c. 11. Albericus anno DCCCXCIII.
[2] Lib. 2. de Bellis Parisiens. vrbis.
[3] In Chro.
[4] Lib. 6. cap. 10.

In Epist. ad Arnulphum Imper. apud Flodoard. lib. 4. c. 5.

Libro 2. anno DCCCXCIV.

Cap. 1.

adeptus est: quo eodem fretus ortu RODVLPHVS, Odonis & Roberti Regum patruelis, *coronam sibi imposuit, Regemque Burgundiæ se salutari fecit*: ita namque *suam à* CAROLO MAGNO *deducebat originem, seque proinde Regno & Imperio dignum & capacem legitimè asserebat*. O tempora, ô mores! vbi gentium tunc erat, vbi latebat Salica Lex, quam Franci asserunt *ratam, firmam, cum imperio natam, quâ vnâ libertas dignitasque Francici constat nominis, ne alienigenarum imperio ditioneque premantur*? Illi certè malo medicinam non attulit Edictum Saliorum, Francis Occiduis tunc inauditum: quandoquidem Reges stirpe extranei tanto tempore in Franciâ regnarunt, quorum hodieque sceptrum posteri moderantur.

Regino anno DCCC. LXXXVIII. Guillimannus Heluet. lib. 2. c. 13. Vindic. Gallicæ cap. 16.

EXEMPLVM VII.

DE ROBERTO I. REGE,

HVGONIS CAPETI AVO.

GVido de Basochijs Cantor S. Stephani Catalaunensis, apud Albericum, anno DCCCC. XX. ROBERTVS *Odonis Regis frater, magnæ potentiæ Dux, amicorum suorum (scilicet Rodulphi tunc Burgundiæ Ducis, & Veromandensium simul & Campaniæ Comitis Heriberti) fultus auxilio, Regnique ferè totius consilio*, KAROLVM *Simplicem, Regem Francorum, deturbauit auito solio; quod ipse Rex factus ascendit*: haud equidem admotis Salicæ Legis scalis: non aliam enim à CAROLO MAGNO trahebat originem Robertus quàm Odo frater eius, prædicatam tamen à se vehementer, palamque dilaudatam: *Eodem enim iure, consensioneque, quâ quondam* PIPINVS *regnasset Austrasius, fratrem suum regnasse dictitabat.*

In Chronico.

Meyerus lib. 2. anno DCCC. XCIX.

EXEMPLVM VIII.

DE REGE RODVLPHO,

ROBERTI I. REGIS GENERO.

RODVLPHVS, Richardi Burgundiæ Ducis filius, vxorem duxit EMMAM, Roberti I. Regis filiam, & sororem HVGONIS magni Francorum Ducis, cuius industriâ militari Regnum dirigebatur. Is HVGO cernens solium possessore destitutum, sciensque, Regis instaurationem ex suo pendere arbitrio, misit ad sororem EMMAM, consultum quemnam illa potissimùm ad regale eligeret culmen, ipsumne,

Glaber Rodulphus l. 1. cap. 2.

ipſiumne, qui frater erat, an potiùs MARITVM RODVLPHVM. Illa itaque prudenter admodum & conſultò reſpondet, *Malle ſe Regis mariti genu oſculari quàm fratris*. Quæ cùm audiſſet HVGO, gratanter annuit, Regniq; habenas & dignitatem RODVLPHO permiſit: qui Rodulphus carens omni prole, ſolus ſui generis Regno potitus obijt. Hactenus Glaber, qui Regi Rodulpho ætate penè ſuppar fuit. Nunc alterum audiamus, auctorem nempe Fragmenti Hiſtoriæ Francorum, ex veteri membranâ Floriacenſi: RODVLPHVS, *magni & inclyti Ducis Burgundionum* RICARDI *filius, Regno ſublimatur totius Franciæ anno ab Incarnatione Domini* * DCCCC. XVII. *qui ſtrenuus armis, conſilio prouidus, largus muneribus, Regnum quod ſuſceperat, in magnâ pace & tranquillitate tenuit. Hic poſt nonumdecimum Imperij ſui annum, Incarnationis verò Dominicæ* DCCCC. XXXVI. *obijt, ſepultuſque eſt Senonas, in Monaſterio S. Columbæ virginis, relinquens ibi ſuam coronam, & capellam altari, cum calycibus, filacterijs, libris argento & auro decoratis, & alijs inſignium ornamentis*. Auctor libri de Diuerſis caſibus Deruenſis Monaſterij tradit, RODVLPHVM iſtum Regem *nequaquam tyrannicè, ſed diuinæ pietatis prædeſtinatione, ob meritum ſuæ probitatis*, ELECTVM *à Pontificibus ac Proceribus totius Gallici Regni*.

Cheſne Tom. 2. Script. Franc.

* Melius Flodoardus & Odorannus, anno DCCCC. XXIII.

Ex promptuario antiquit. Tricaſſ. Nicol. Camuzatij.

Atqui RICHARDVS, Rodulphi huius Regis pater, haudquaquam Regiâ Francorum oriundus ſtirpe erat, ſed mater eius ALAYDIS Odonis & Roberti Regum erat patrueliſ; cuius intuitu, vel ſi placet, EMMÆ coniugis, filiæ Roberti I. Regis, Rodulphus Francorum Rex conſtitutus eſt: & ſic minimè ex Legis Salicæ decreto.

EXEMPLVM IX.

DE BLANCHIA REGINA.

In otijs Imperialibus.

GEruaſius Tilleberienſis, Arelatenſis Regni Mareſcallus: LVDOVICVS *Rex* [V. eius nominis] *ægritudine graui correptus decubuit; nec diutinam paſſus languoris inſtantiam, teſtamentum conditurus, Reginam ſibi vnicè dilectam, &* HVGONEM [Capetum] *ad iuranda mandata quæ daret, coëgit; iureiurando hinc inde præſtito*, DONAT REGNVM VXORI SVÆ, *ſub præſtiti Sacramenti fide Hugonem obteſtans, vt poſt datam legibus diem, ducat in vxorem* BLANCHIAM, *Regno ſuo potiturus & dominio. Sepulto Rege cum pietate & reuerentiâ Regi debitâ*, HVGO BLANCHIAM *ſibi tempore & ordine canonico duxit ſolemniter*. Si Legi Salicæ in Occiduæ Franciæ Regno vis aliqua aut locus fuiſſet, proculdubiò Ludouicus Rex Blanchiæ vxori Regnum donare non potuiſſet. At ipſi Hugoni datum, ſic refert Odorannus: *Anno*

In Chron.

DCCCC.

DCCCC. LXXXVII. *obijt* LVDOVICVS *Rex iuuenis, qui nihil fecit, donato Regno* HVGONI *Duci, qui eo anno Rex factus est à Francis.* Sed nec ista donatio per Legem Salicam valida esse poterat, quia Hugo Capetus Carlouingos Reges legitimè non attingebat, nisi quòd, ratione matris suæ Hadwidis Saxonicæ, consobrinus erat Lotharij Regis, & fratris eius Caroli Ducis. Iam seorsim de Hugone.

EXEMPLVM X.

DE HVGONE CAPETO REGE.

GVido de Basochijs apud Albericum, anno DCCCC. LXXXVII. *Post Francorum Regem* LOTHARIVM, *& eius filium, quintum & vltimum de* KAROLI MAGNI *progenie,* LVDOVICVM, *frater eiusdem Lotharij* KAROLVS, *quia videbatur quòd Hugonis magni filium* HVGONEM *Ducem à Regni vellet alienare negotijs (nam vxorem etiam eo duxerat inconsulto; scilicet filiam Comitis Hereberti Trecensis) ab eodem* HVGONE, *priusquam coronaretur in Regem, obsessus in Lauduno, & suorum magis fraude quàm hostium virtute captus est; & apud Aurelianensem vrbem carceri iniectus, de quo nonnisi mortuus est eiectus. Iste Dux* HVGO, *annitente primò Richardo Normannorum Duce, ceterisque Regni Principibus, electus est & prouectus in Regem, contradicente licet* ARNVLFO *Remorum Archiepiscopo, qui frater fuerat Regis Lotharij, sed non vterinus.* Meyerus in Flandriæ Annalibus: *Capeti coronationi, quæ Nouiomago facta est,* ARNVLPHVS *Flandriæ Comes interesse noluit, propter tantam iniuriam* MAGNI KAROLI *agnationi, quâ & ipse ortus erat, ab illo factam.* Paulus Æmilius de eodem Arnulpho: *Comes Flandriæ, per proauiam* [Iudith, Caroli Calui filiam] MAGNO *iustâ cognatione iunctus, coronationi* HVGONIS *interesse noluit, Regum Francorum beneficiarius.* Cautè dictum, *iustâ cognatione*; quia Capetus iniustâ & illegitimâ lineâ, eâque femininâ, genus à CAROLO MAGNO ducebat: vnde constat, illum per Salicæ Legis valuas Franciæ Regiam haud ingressum.

In Chron.

Lib. 2. anno DCCCC. LXXXVII.

Lib. 3.



H CAPVT

CAPVT VII.

Continuatur exemplorum series, de Principibus qui Regnum Franciæ Occidentalis femineo iure sibi deberi contenderunt.

EXEMPLVM XI.

DE ADELA, HVGONIS CAPETI NEPTE, ROBERTI II. REGIS FILIA.

HENRICO I. Francorum Rege extincto, anno M. LX. PHILIPPO eius filio ac Regi tutor designatus fuit BALDVINVS Pius, Flandriæ Comes, Adelæ Henrici sororis vir; eâ lege, vt si ipse Philippus sine liberis vitâ excederet, BALDVINVS ipse coronam adipisceretur, iure ad eam vocatus ex parte vxoris, quæ pupilli Regis amita esset. Verba sunt veteris Flandriæ Chronici; veteris, inquam, nam id illi dare nomen haud veretur
Pag. 125. Baro Autuellius in Historiâ Blancæ Reginæ; nec non & ipsemet Dionysius Sauuagius, Henrici II. Francorum Regis Historiographus,
Lugduni anno M.D. LXII. Cap. 2. qui primus hoc ipsum è tenebris protulit: *Cùm obijsset*, inquit, HENRICVS *Franciæ Rex, qui* ROBERTI *prædicti filius fuit, & Comitissæ Flandrensis frater, superstes illi fuit natus vnus*, PHILIPPVS *nomine, datus in tutelam* (Garde) BALDVINO *Comiti, à Franciæ Baronibus, qui & ipsi fidem præstiterunt Infantis* PHILIPPI *nomine; eâ conditione, vt si Infantem sine heredibus mori contingeret, prædictus Comes* BALDVINVS FRANCORVM REX ESSET EX PARTE VXORIS SVÆ, *quæ dicti Infantis amita erat*. Fuit is auctor rerum gestarum indagator diligentissimus, Francicæ & Vernaculæ linguæ sui temporis sciens, qui historiam suam litteris consignauit eo tempore, quo Flandriæ Comites
Galopinus edidit Montibus Hannoniæ an. M. DC. XLIII. Cap. 12. Francis addicti erant. Eius porrò sententiam bellè firmat aliud Chronicum vetus MS. Monasterij S. Gisleni, cuius auctor gesta Comitum Flandriæ breuiùs prosequitur ab anno DCC. XCII. ad annum vsque M. CC. XII. *Mortuo* HENRICO, inquit, *Franciæ Regis* ROBERTI *filio, filium eius* PHILIPPVM *præfatus Comes* BALDVINVS *vsque ad ætatem eius Regno habilem nutriendum suscepit, & Regnum viriliter gubernauit, iuratâ sibi fidelitate ab omnibus Regni Principibus; saluâ tamen fidelitate* PHILIPPI *pueri, se viuente; sin autem, omninò; vtpote*
Lib. 6. in Phil. I. Rege. IVSTO HEREDI REGNI PER VXOREM. Certè haud alio sensu apud Hallianum legitur, Aquitanos de tutelâ Philippi Regis valdè sollicitos

tos fuisse; quippe qui proponebant, *Balduinum Comitem, cum integrâ Regni & pueri gubernatione, Sceptrum affectare posse, quia defuncti* HENRICI *Regis sororem matrimonio sibi copulauerat*. His non absimilia loquitur Iacobus Marchantius, qui *Vascones* ait *veritos, ne* BALDVINVS *Regnum appeteret; quòd Henrici Regis soror ei nupserat, & quòd à* CAROLO MAGNO *instâ serie esset oriundus*. Nulla ergo tunc fiebat mentio Salicæ Legis; quandoquidem Balduinus Flandriæ Comes, vel vxoris suæ singulari iure, Solio Regni destinabatur; vel ne illud pupilli sui damno vxoris causâ ambiret, à Francis metuebatur. In Flandriâ l. 2.

EXEMPLVM XII.

DE ENGVERRANNO MAGNO COVCIACO, REGE DESIGNATO.

POst fata Ludouici VIII. Regis, anno M. CC. XXVIII. Franciæ Principes ac Magnates, Philippus Comes Clarimontis, defuncti Regis frater; Petrus Drocensis, Dux Britanniæ; Hugo Lusinianus, Comes Marchiæ; Hugo de Castellione, Comes sancti Pauli; Simon de Dammartino, Comes Pontiui; ENGVERRANNVS Magnus, Couciaci dominus; & multi alij, molestè ferebant se à politicâ Regni administratione per Blancam Reginam, Ludouici pueri matrem, excludi; vel ideò præsertim, quòd Regina ROMANI S. Angeli Cardinalis fide consilioque vteretur; asserentes, non decere Francos Principes femineo regi imperio & externo. *Barones itaque intrauerunt Campaniam, & magnam prædam fecerunt, cum adiutorio Henrici Archiepiscopi Remensis. Misit autem Comes Campaniæ ad Regem pro succursu. Et quia vidit Regina, quòd omnia fiebant in præiudicium Regis & suum, cùm sciuisset quòd* ENGVERRANDVS DE COVCI *iam fecerat fieri* CORONAM, *sperans esse* REX; *licet dicerent quòd facerent Regem Comitem Bononiensem; parauit exercitum, & duxit Regem prope Trecis*. Hæc auctor Chronici veteris, qui vt fidelissimus laudatur à Barone Autuellio; cui planè consentit Flandricus alter, editus per Dionysium Sauuagium, quo in superiori exemplo iam vsi sumus: additque iste amplius; *à Proceribus decretum iam fuisse*, ENGVERRANNVM COVCIACVM *facere Regem Franciæ*: cuius consilij causam, & oblati honoris originem exhibet Couciaci genus.

Nangius. Guaguinus. Æmilius.

Chron. vet. ex Biblioth. Thuanâ.

In Blancâ Reginâ, probat. pag. 27. & 38. Cap. 19.

STEMMA *Enguerranni Magni de Couciaco.*

1. Hugo Capetus Rex.

2. Robertus II. Rex.

3. Henricus I. Rex.

4. Philippus I. Rex.	4. Hugo Comes Viromanduæ.
5. Ludouicus Grossus Rex.	5. Mathildis vxor Radulphi de Baugenciaco.
6. Robertus Comes Drocarum.	6. Agnes coniux Enguerranni de Couciaco.
7. Alix iuncta Radulpho de Couciaco.	7. Radulphus de Couciaco: vxor Alix Drocensis.

8. Enguerrannus Magnus de Couciaco, Rex designatus.

Coronam Regni non aliam ob causam Couciaco deserte decreuerant Franciæ Principes, nisi quia Lineâ duplici à Regibus per feminas oriebatur: non ergo ex normâ Salicæ Legis, apud Occiduos Francos, pro successione Regni, necdum auditæ. Itaque si Couciacus, Odonis, Roberti I. & Hugonis Capeti viribus & artibus fuisset instructus, absque dubio Sceptrum adipiscebatur. Postea quam verò oblatam regnandi occasionem amisit, vsus est isto lemmate:

Ie ne suis Roy, ne Duc aussi;
Ie suis le Sire de Couci.

hoc est: *Non sum ego Rex, neque Dux;*
Sum Couciaci Dominus.

qui nempe in Franciâ, supra ceteros gradu & conditione nobiles, regio natalium splendore vndequaque coruscabat; & dicebatur Κύριος (Gallicè *Sire*) haud vulgari inter Regni Optimates nuncupatione.

EXEMPLVM XIII.

DE IOANNA LVDOVICI HVTINI, FRANCORVM REGIS FILIA.

CVm LVDOVICVS Hutinus altero Regni sui decessisset anno, & CLEMENTIAM vxorem prægnantem reliquisset; nato ex eâ IOANNE, octauoque ab ortu die denato, PHILIPPVS Longus Pictauorum Comes, Hutini frater, tantillo tempore & ventris procuratio-

nem

nem & infantis tutelam gessit; eoque mortuo, reliqua fuit Hutini soboles IOANNA, ex Margaretâ, filiâ Roberti Burgundiæ Ducis, procreata, cui tum paterno tum fraterno iure deberi Regnum contendebat ODO Burgundiæ Dux eius auunculus. Defendebant Francorum Proceres, ius Regni virorum tantùm, non etiam mulierum esse, Salicæ Legis verba identidem recitantes; terramque Salicam Regnum Francorum esse interpretabantur. *At quia cum tenellâ virgine, ope & auxilio destitutâ,* PHILIPPVS *Longus negotium habebat, multosque Regni Proceres muneribus, gratijs, & pollicitationibus sibi deuinxerat, non multùm laborauit in asserendo sibi Sceptro, de quo cum parte imbecillâ controuersiam habebat.* Hæc Hallianus; quibus addit Belleforestius, *Ducissam Burgundiæ, cùm videret accinctos Proceres ad Philippi solemne sacrum, obtecisse ius neptis suæ, ac pro illo contestatam denuntiationem emisisse:* præterea, *Burgundiæ Ducem & Flandriæ Comitem, Franciæ Pares, Philippi inaugurationi interesse noluisse. Sed Longum hâc arte aliâ vsum esse, vt Odonem Ducem à neptis patrocinio reuocaret; dedisse illi in matrimonium Ioanniam filiam suam, quæ ex auitâ matris hereditate, Burgundiæ Artesiæque Comes erat.* P. Æmilius lib. 8. Anno M. CCC. XVI. In Ludouico X. Rege. Tom. 1. l. 4. c. 54.

Iaque Dux Odo, copulatâ per illud connubium vtrâque Burgundiâ, & Arrebatibus adiectis, potentior factus, nepti suæ ius quæsitum facilè cessit; imò beneficijs illis deuinctus, consensit in eius matrimonium cum Philippo Rege Nauarræ; & sic Philippo Longo ius, quod illa ad Regnum Franciæ habere poterat, translatum est. Dupleix in Phil. Longo, cap. 9. Sanmarr. l. 14. c. 2.

Tum * primùm audita & producta est in Franciâ Occidentali Salica Lex pro successione Regni; nouem propè, postquam condita fuerat, sæculis; quæ si à Francis Occiduis iam tum cognita fuisset, & apud illos vsu recepta, proculdubiò Dux ODO ad asserendam nepti suæ coronam animum non adiecisset: neque in eo placando, sibique conciliando, Philippus Longus tantum adlaborasset. * Anno M. CCC. XVI.

EXEMPLVM XIV.

DE IOANNA, PHILIPPI LONGI FRANCORVM REGIS FILIA, VXORE ODONIS IV. BVRGVNDIÆ DVCIS.

QVas in Ludouici Hutini filiâ vidimus exortas ob eius ad Regnum ius contentiones & rixas, iterùm, Philippo Procero mortuo, excitauit Odo IV. Burgundionum Dux, idem nimirum, qui antè à Ioannæ Hutini filiæ partibus steterat; verùm iam Anno M. CCC. XXII.

non in gratiam eiusdem, sed Ioannæ coniugis suæ, quæ Proceri Regis filia & heres erat. Quæstionem hanc haud dissimulauit Andreas Chesneus in accuratissimâ Burgundiæ Ducum Historiâ, vbi in Odone IV. hæc habet: *Philippo Procero eius socero sine liberis masculis extincto, ad coronam Franciæ adspirauit* EX PARTE DVCISSÆ VXORIS SVÆ, *deque eâ litem mouit Carolo IV. cognomento Pulcro defuncti fratri: sed celebri decreto anni* M. CCC. XXII. *Carolo attributa fuit, vi fundamentalis Regni Legis.*

Cap. 14.

Scire velim hoc loco, quam ob causam Chesneus, vir alioqui accuratissimus, neque parcus in proferendis quæ argumento suo vtiles sunt Chartis, decretum illud non attulerit: scilicet, si fundamentalis, vt ipse ait, Regni fuisset Lex, haudquaquam toties neruí eius incisi prioribus sæculis fuissent: cuius rei tam multa, eaque contraria, in medium huc vsque exempla attulimus.

EXEMPLVM XV.

DE EDVARDO III. FRANCORVM ET ANGLORVM REGE.

CVm Rex Francorum Carolus Pulcher, Philippi Pulcri filius, sine prole masculâ è viuis excessisset anno M. CCC. XXVIII. aliquot pòst annis, inter PHILIPPVM VALESIVM, Caroli Pulcri patruelem, & EDVARDVM III. Angliæ Regem, Isabellâ Caroli Regis sorore natum, exorta est de Regno controuersia: concedebat iste, *feminas Regni capaces non esse, verùm sibi viro, iure cognationis, asserebat competere Regnum: ius in Regno seruatum viam causæ finalis attendisse, ne sub femininâ fragili gubernatione Regnum delaberetur; & propter hoc personam mulieris exclusisse, non verò personam masculi per exclusam feminam descendentis.* Adducebant Angli exempla PIPINI, parentis CAROLI MAGNI, ODONIS & ROBERTI, atque HVGONIS CAPETI Regum, qui, *quòd per matres & auias in Reges Francos origines suas referrent*, ad Regale Solium fuerant euecti. Eduardus præterea ius Regni Franciei suum esse sic asserebat: *Se Philippi Pulcri nepotem, filiâ ortum, potiorem esse qui ad Solium Francicum vocaretur, qui auo, qui auunculis succederet, quàm Philippum Valesium, qui à Philippi Pulcri patre oriundus, stirpe remotior inuaserat Regnum.* Obijciebat Valesius, Anglum Regem, pro Ducatu Aquitaniæ sibi vt Franciæ Regi fidem & hominium iam præstitisse: reponebat Anglus, se tunc annis minorem fuisse, à matre, Philippi consanguineâ, malè persuasum, illam clientelæ professionem irritam & inanem fuisse.

Anno M. CCC. XXXIX. Walsingham in Eduardo III. Rege.

Æmilius lib. 8.

Walsingham loc. cit.

Eduardus

Eduardus itaque *mutato sigillo; & armis proprijs, vtriusque Regni Francorum & Anglorum arma integra, more tum quadripartito, vindicauit sibi: Philippo Regni inuasori prouocatorios ad pugnam codicillos misit, ipsum nullatenus Regem, sed Philippum de Valesio nominando:* tandemque vindicando iuri suo, Franciam hostiliter aggressus est. *Nullum atrocius bellum Anglicò* (inquit Æmilius) *arma Francorum exercuit, nullum diutius tenuit, nullum maiore cruore contentioneque gestum, nullum sæpiùs repetitum.* Addit recentior Aubertus Miræus: *Ea contentio Francos & Anglos longo bello maximisque calamitatibus inuoluit: hâc de causâ Reges Angliæ titulum atque Insignia Regni Gallici sibi sumpserunt, hodieque sumunt; & adhuc sub indice litem esse volunt.*

Froissart lib. 1 c. 23. Walsingham loc. cit. Libro 8. In Chron. Belg. an. M. CCC. XXVIII. Polydor. Virgil. l. 19.

EXEMPLVM XVI.

DE CAROLO REGE NAVARRÆ.

SEd quid, dum Ioannes II. Francorum Rex captiuus apud Anglos ageret, bello initium dedit, præter assertum sibi in Regnum ius, à CAROLO Rege Nauarræ, Ioannâ Ludouici Hutini filiâ genito? Is, absentiam Ioannis Regis occasionem suam ratus, in ipsâ Parisiensi Vrbe auleâ, erecto in prato Clericorum theatro, Latinè ad Ordines tres, Antistitum nempe, Equitum & Litteratorum, orationem habuit, in ipsâ CAROLI Delphini, Normanniæ Ducis, qui Regni erat Regens, præsentiâ. Præfatus primùm multa de vi, iniurijs & probris quæ perpessus fuisset; spopondit palàm, immoriturum se *Regno & Coronæ tutandæ, quæ ad ipsum optimo iure spectaret, vti facillimum illi esset exponere; multoque propinquiorem se esse Anglorum Rege:* testatus insuper haud obscurè, in tam honorifico cœtu, *velle se Ioannæ matris suæ ius instaurare, quod remissè Odo Burgundiæ Dux prosecutus fuisset.* Populo Parisiensi Nauarri arrisit sermo, isque deinceps ipsi longè addictior quàm Delphino fuit. Regni metropoleos exemplum aliæ multæ vrbes & ciuitates æmulatæ sunt. Tandem paulò pòst, Delphino, adeoque ipsi Regno bellum denunciauit Nauarrus, multisque sibi assertis locis, aperto marte Francos aggressus est, donec Delphinus Regens eum adijt, eique lubens restituit quæcumque in Normanniâ, priusquam Rex captiuus abduceretur, obtinuerat; & hinc pacem pro arbitrio, non tam viribus quàm iure fretus, cum hoste Nauarrus percussit. Itaque si Delphinus Regens ius in Nauarræ Regem à matre deriuatum haud ita perspicuum compertumque habuisset, numquam adeò facilè submisisset sese, neque tam libenter aduersarij postulatis annuisset: quæ quidem omnia infitmum

Anno M. CCC. LVII. Froissart Vol. 1. cap. 181. & 188. Du Haillan in Io. Rege, anno M. CCC. LVIII.

infirmum admodum per ea tempora apud Francos Salicæ Legis vsum ostendunt.

EXEMPLVM XVII.

DE HENRICO V.

FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGE.

Anno M. CCCC. XIX.

CVm Ioannem Burgundiæ Ducem cruento imperio Carolus Delphinus trucidari in oculis suis iussisset; auersatus indignum viri Principis mente atque animo facinus, CAROLVS VI. mitior parens, quò tam inhumani flagitij diuturnior esset apud posteros memoria, & sic Anglorum viribus compescendis, qui bellò Regni clientes vbique atterebant, tutandis Eduardi Regis sui iuribus, CATHARINAM filiam HENRICO V. Anglorum Regi vxorem dedit, anno M. CCCC. XX. pactus se, dum viueret, regiâ vtique dignitate potiturum; HENRICVM verò in terrâ ipsius Regni moderatorem ac rectorem futurum: at post fata, eumdem generum Coronam tum demum adepturum: adhæc fore, vt in posterum ambo Franciæ & Angliæ Regna, primùm sub HENRICO, deinde sub eius heredibus vnirentur. Pacto his legibus matrimonio, peractæ apud Augustam Trecarum nuptiæ sunt; ibique, Philippo Burgundionum Duce adstante & consentiente, HENRICVS ab omnibus Ordinibus, Regni Regens, & post CAROLVM VI. extra controuersiam futurus Rex salutatus est.

Walsingham in Henr. V. Rege. Æmilius lib. 10. Monstrelet Tom. 1. cap. 223.

Obloquuntur harum nuptiarum legibus Scriptores Franci, Regemque aiunt haud satis compotem mentis fuisse. Verùm prætérquam quòd satis constat, id ab eo de propinquorum & Regni Ordinum consensu peractum fuisse; publicis quoque actis à supremo eius die hæc ipsa eius voluntas confirmata est. Id enim certissimum est, vbi conditum fuisset eius corpus in Dionysiano Monasterio, ostiorum custodes regios virgulas suas rupisse, & in fossam proiecisse, clauis etiam suis deorsum versis: tum Fecialem Biturigem, multis alijs muneris sui sodalibus comitantibus, ad fossam accessisse, & exclamasse in hęc verba: *Benè sit animæ Celsissimi & Excellentissimi Principis* CAROLI *Francorum Regis, nominis VI. naturalis & supremi Domini nostri:* tum altiori voce adiunxisse: *Deus addat annos* HENRICO, *Dei gratiâ* FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGI, *supremo Domino nostro.* Deinde ministros armorum, erectis iterùm clauis, lilijsque cęlum versus porrectis, prorupisse in has voces: *Viuat Rex, Rex æternùm viuat.*

Monstrelet Tom. 1. cap. 267.

Si

Si Legi Salicæ, quæ feminas omnino arcet, passim fuisset in Franciâ locus; haudquaquam (ita me Deus) consensisset Philippus Bonus Dux Burgundiæ, oblatis in matrimonio HENRICI & CATHARINÆ conditionibus, vtpote qui regiâ ipse Valesiorum stirpe editus, sui ad Regnum iuris sponte & vltrò iacturam fecisset.

EXEMPLVM XVIII.

DE HENRICO VI.

FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGE.

SVb exitum mensis Nouembris, anni supra millesimum quadringentesimum trigesimi primi, Henricus VI. Franciæ & Angliæ Rex, Henrico V. Rege & Catharinâ Franciâ genitus, tum natus annos circiter duodecim, Lutetiam Parisiorum venit, vt vngi se, sacrari & coronari in Francorum Regem faceret: processerunt illi ex vrbe obuiàm Simon Morerius Præfectus Parisiensis cum lectissimis quibusque ciuibus, qui reuerentiam illi exhibuerunt. Secutus deinde illos fuit Philippus Moruillerius primus Preses, habitu regio, vnà cùm Dominis omnibus è Parlamento, purpurâ & cocco redimitis. His proximi incedebant Magistri rationum; posteà Ærarij curam habentes; libellorum item Supplicum Magistri, & Secretarij. Hi omnes proni coram Rege se submisêre. Mox mercatorum Prepositus, & cum eo Scabini conopeum attulere cęruleum lilijs aureis conspersum: idque capiti Regis impositum totam per vrbem sustinuerunt. Palatium ante omnia Rex adijt, in quo Sacra lipsana ipsi oblata veneratus est: hinc ad hospitium Tornellarum diuertit. *Die sequenti contulit se in Saltum Vicennarum, vbi hæsit in diem vsque decimum quintum mensis Decembris, quo Parisiòs rediit: & decimo septimo ad Sacram Ædem Dominæ nostræ Parisiensis processit,* VT ILLIC SACRARETVR: QVOD RITE CARDINALIS VINCESTRIVS EXSECVTVS EST. *Palatium inde petens*, in eo REGIÆ DIGNITATIS POSSESSIONEM INIIT, *ibique, valuis apertis, sedens in iustitiæ puluinari, causas querelasque subditorum audiit, & Regni iuribus defunctus est.* Addunt auctores, impressas regio eius sigillo patentes chartas, adeoque cùm inauguraretur, *coronas duas* ibi visas, alteram regio capiti impositam, alteram ad latus eius quiescentem, vt eum Regnis duobus preesse palàm constaret. Percontari iam libet, vbinam tum Salica lex esset.

[Monstrelet Vol. 2. anno M. CCCC. XXXI.]

[Bellefo-rest. Tomo 2. l. 5. c. 94.]

[Mõstrelet loc. cit.]

Quid deinde quadriennio pòst gestum Atrebati fuerit, narrat Hugo Lusinianus Cardinalis Cyprius, ex eâ ciuitate rediens, vbi pax inter

[Ex actis MSS Concilij Basiliensis.]

inter Francos & Burgundionem sancita fuerat; & quæ vidisset Synodo Basiliensi exponens, die Sabbati, mensis Nouembris die quinto, anno M. CCCC. XXXV. *Fuerunt* (ait) *hæc proposita ab Ambassiatoribus Christianissimi Regis Franciæ: oblatum est Anglicis omne dominium, quod tenent & occupant in Ducatu Aquitaniæ, nec non totus Ducatus Normanniæ, modo & formâ contentis in quadam litterâ sigillis omnium dictorum Ambassiatorum sigillatâ, & Illustrissimo Domino Duci Burgundiæ traditâ. Pro parte Anglicorum fuit oblatum Regi Christianissimo Franciæ totum id, & quidquid tenet & possidet in Franciâ, tam citra Ligerim quàm vltra: hoc adiecto, quod terræ, dominia & oppida, inclusa seu inclusa in dominijs alterius obedientiæ, commutabuntur ad alias terras & alia oppida sita seu inclauata inter dominia alterius obedientiæ, secundùm commodiosiorem vsum alterutrius partium. Ambassiatores tamen Angliæ* (prosequitur in chartâ) *recesserunt absque conclusione vel acceptatione oblationum Gallicorum;* affirmantes (vt annotauit Antonius Taberna, Præpositus sancti Vedasti Atrebatensis, qui præsens aderat) *se, de renunciatione Regni Franciæ loquendi nullum mandatum habere.* Profectò ad offerendum Anglis honestissimas pacis leges haudquaquam Franci tam procliues fuissent, si de iure suo & Salicæ Legis vsu planè securi.

In Diario ms. Conuentus Atrebatensis.

EXEMPLVM XIX.

DE PHILIPPO II. REGE CATHOLICO, ET ISABELLA CLARA EVGENIA, EIVS FILIA.

An. M. D. LXXXIX.

NEque suo caret exemplo proximum superius sæculum: tum quippe HENRICO III. Francorum Rege extincto, cùm is postremus è stirpe Valesiâ esset, eiusque cognati Borbonij, vel hæretici essent, vel hæreticorum fautores; de PHILIPPO II. REGE CATHOLICO, à * Carolingis oriundo Regibus, ad Coronam vocando actum ab Ordinibus fuit: alij LOTHARINGIÆ DVCEM, aut è liberis eius, qui regio sanguini cognati, & quidem proximi erant, eligendum quempiam dixêre: alij verò SABAVDIÆ DVCEM, è Regiâ Franciæ filiâ genitum. Plures fuêre qui Regem PHILIPPVM II. assumendum dicerent: atque idcircò XVI. viri Parisienses, qui totius Reipublicæ curam gerebant (inter quos eminebat GILBERTVS GENEBRARDVS insignis Theologus) litteras ad Catholicum Regem dederunt; his omnino verbis: *Agnoscimus & fatemur coram cælo & vniuersâ terrâ, nos post opem atque auxilium Dei, huc vsque sanctam*

* Vide infrà cap. 10. Memoires de Villeroy To. 1. pag. 150. Memoires d'Estat Tom. 3. pag. 20.

Religionem

Religionem Catholicam, Apostolicam & Romanam, Catholicæ Vestræ Maiestatis beneficio obtinere: vtpote cuius suppetijs iam inde ab initio sustentati & euecti fuimus. Et paucis interiectis: *Quocircà id æstimamus tantopere; vt nullo modo existimemus referri gratiam à nobis posse. Est enim vinculum istud eiusmodi, vt si quis è gente nostrâ eam non fateatur, vt deuinctissimum seruum Catholicæ Vestræ Maiestatis & posteritatis eius se agnoscat; ne illum ipsum, tamquam Dei Religionisque, & quietis pacisque publicæ huius status, adeoque totius Christiani Orbis inimicum ducimus.* Pergunt: *Certiorem facere possumus Catholicam Vestram Maiestatem, vota omnia desideriaque optimorum quorumcumque Catholicorum esse; vt* CATHOLICAM VESTRAM MAIESTATEM SCEPTRVM HVIVS REGNI MODERANTEM ET APVD NOS REGNANTEM *intueamur: vti nunc quàm lubentissimè in eius sinum ruimus, velut parentis, aut cuiuspiam è liberis eius. Quòd si non seipsam, sed aliquem alium præficere nobis voluerit, dignetur sibi* GENERVM *quærere, quem omnibus ijsque optimis studijs, omnique deuotione atque obedientiâ, quæ à fideli & optimo populo exhiberi potest,* RECIPIAMVS IN REGEM, *eique pareamus.*

Cùm hæc agerentur à ciuibus, Sorbonæ Parisiensis Patres misêre suo nomine P. Matthæum Aquatium, iussum eadem quæ ciues Catholicæ Maiestati offerre: mandati pars hęc erat: *Non tantùm Theologorum ordinem, aut Parisiensem ciuitatem, aut ipsum quidem Regnum, sed vniuersum Orbem agnoscere & fateri vltrò,* REGEM CATHOLICVM *esse* VELVT PATREM ET DEFENSOREM FIDEI, SCVTVM RELIGIONIS, *hæreticorum flagellum, totiusque Ecclesiæ protectorem.* Tom. 3. pag. 57.

PHILIPPVS Rex adhæc Feriæ Ducem ad Francos destinauit, Coronæ Regiæ, INFANTI ISABELLÆ filiæ suæ maiori natu exposcendæ, velut HENRICI II. Regis nepti, eâ fide, vt si eam sibi in REGINAM ASSVMERENT, alicui Franco Principi nuptum à se daretur, Lotharingici sanguinis Principibus haud exclusis. Verùm PHILIPPVS Rex Catholicus, eodem planè fato, quo Carolus olim Lotharingiæ Dux, dum cunctando deliberandoque rem protraxit, languidioribus aduersus eum, per aliorum technas, Francorum studijs, rei benè gerendæ occasionem amisit. Tom. 1. pag. 371.

Hæc arma nostra sunt, his nos spiculis pugnamus, nullâ tutiores loricâ, nullo iaculo fortiores, quàm frequentibus & certissimis ex Franciâ Historiâ petitis exemplis. Audiamus iam Cassanum, velis expansis, nullâ auctorum fide, nullo testimonio, vastum Historiæ pelagus vno ictu oculi metientem, fingentem somnia, & blandientem sibi in suis ludibrijs: *Salica Lex*, inquit, *quæ feminas à Coronæ successione remouet, inuiolabiliter à Francis, iam inde ab ipsius Monarchiæ consti-* Libro 2. cap. 5.

constitutione seruata est. Ornamentum & magnitudo est Regni, cuius viribus, duodecim omnino sæculorum superauit cursum. Debet huic Statui incolumitatem suam: antiqua & cum Imperio nata est, & ab initio, huius Coronæ circulo inscripta: numquam occasum, numquam tenebras passa: demum semper in Regno citra vllam virium suarum imminutionem obseruata. Quis amabo primâ fronte non obmutescat ad illa Regij Patroni, & forensibus causis assueti ampullata verba? Perstringo ego paucis, & exemplis addo Iure-consulti verba: *Si quæratur de interpretatione Legis, in primis inspiciendum est, quo iure ciuitas retrò in huiusmodi casibus vsa fuit: optima enim Legum interpres est consuetudo.* Illam exposui.

Lib. 37. D. de Legibus.

CAPVT VIII.

Antiqui Franciæ Occiduæ Ducatus & Comitatus, quoniam ab hastâ in colum sæpenumerò sunt delapsi, non sunt Terra Salica.



SATIS fortasse cuipiam videri possit, auferendæ inter Francos Occidentales Salicæ Legis auctoritati, illam Regibus ademisse: verùm nequis scrupulus restet, iuuat iterùm firmare assertionem nostram illustrissimis exemplis, & facere palàm, quorquot per vniuersum Franciæ Occiduæ Regnum Prouinciæ recensentur, à feminis olim & nuper possessas fuisse; ne & silentio nostro quorumdam sententia inualescat, eas feminarum imperio esse obnoxias frustrà negantium.

Cassan. lib. 2. c. 5.

Primùm quidem de omnibus simul, ac de ipso BVRGVNDIÆ DVCATV, audiendus est Otho Frisingensis Episcopus, rerum quas describit minimè ignarus; vtpote qui vixit in Morimondensi Cisterciensis Ordinis & agri Lingonensis Monasterio: is itaque quæstionem hanc in hunc modum dirimit: MOS EST IN BVRGVNDIA (*qui* PENE IN OMNIBVS GALLIÆ PROVINCIIS *seruatur*) *quòd semper seniori fratri, eiusque liberis, seu* MARIBVS *seu* FEMINIS, *paternæ hereditatis cedat auctoritas; cæteris ad illum tamquam ad Dominum respicientibus.* Particula illa PENE Ortiuæ Franciæ Salicas terras excludit.

Bourgongne Duché.

Lib. 2. de Gestis Frid. I. cap. 29.

Stemma

Stemma antiquorum Burgundiæ Ducum.

1. HVGO I. Abbas, Dux Burgundiæ, filius nothus Caroli Magni.

2. ADELAID vxor Conradi maioris, Comitis Parisiensis, & per illam Burgundiæ Ducis.

3. ROBERTVS Fortis Marchio, Dux Franciæ, Comes Andegauensis.	3. HVGO II. Abbas, Dux Burgundiæ per matrem: Cœlebs.	3. CONRADVS Iunior, Comes Burgundiæ Transjuranæ.

4. ROBERTVS Dux Francorum, deinde Rex: vxor BEATRIX, filia Richardi Ducis Burgundiæ.	4. ALAYDIS, vxor Richardi, Comitis Augustodunensis, per illam Burgundiæ Ducis.

5. HVGO Magnus, Albus, Dux Burgundiæ per matrem: vxor Hadwidis soror Othonis I. Imperatoris.	5. HVGO Niger, Dux Burgundiæ per matrem, ἄπαις.	BEATRIX vxor Roberti I. Franciæ Regis.	N. vxor GISLEBERTI Comitis Diuionensis, per illam Burgundiæ Ducis.

6. HVGO Capetus Rex Franciæ: vxores Blanchia & Adelais.	OTHO per auiam, & per vxorem LEVDEGARDIM Dux Burgundiæ, ἄπαις.	ODO Clericus.	HENRICVS, Dux Burgundiæ, ἄπαις.	6. LEVDEGARDIS vxor OTHONIS, per illam Burgundiæ Ducis.

7. ROBERTVS II. Rex Franciæ, Dux Burgundiæ: vxor Constantia Arelatensis.

8. ROBERTVS I. Dux Burgundiæ: vxor Helia Sinemurensis: à quibus alij Duces, masculinâ serie, vsque ad Philippum Roboretanum, qui obijt ἄπαις anno M. CCC. LXII.

Iam vt singillatim probem, vel ab octingentis annis, *in Ducatu Burgundiæ feminis æquè ac viris paternæ hereditatis cessisse auctoritatem*. Constat in primis Hugonem I. cognomine Abbatem, Caroli Magni Imperatoris filium nothum, fuisse Burgundiæ Ducem: is autem Hugo, vxore ductâ (cuius nomen hactenus incompertum) filias ex eâ binas tulit, ADELAIDEM & PETRONILLAM: prior CONRADO maiori, Comiti Parisiensi, Iudithæ Reginæ fratri nupsit: & is, nomine vxoris, Burgundiæ Ducatum adeptus est. Genuit autem ex eâ HVGONEM II. Abbatem, ex materno capite Burgundiæ Ducem. Conradus autem maior, omni dubio procul, ius in Ducatum à coniuge suâ ADELAIDE fuit consecutus; cùm Herricus Monachus Autissiodorensis (quæ antiquæ Burgundiæ ciuitas fuit) æqualis auctor, de Hugone II. Abbate, Duce Burgundiæ, eius filio loquens,

Chesneus l. 1. Burg. cap. 35. Sanmarthani l. 3. cap. 6. Chronicum Turonense.

[De Mirac. sancti Germani cap. 4.] loquens, *illum paternis suffectum honoribus, & patriæ robustissimum fuisse heredem* scribat.

Ab eodem deinde Hugone II. Abbate, Burgundiæ Ducatus ad ALAYDEM, Conradi iunioris Comitis filiam, adeoque eius ex fratre neptem, transiuit: Richardus enim Comes Augustodunensis, Buuini Ardennensis filius, & Bosonis Regis Prouinciæ frater, illâ in vxorem [Libro 2. Burg. cap. 44.] ductâ, factus est Burgundiæ Dux. Clarè Chesneus de Richardo: *Sponsam sibi copulauit* ALAYDEM, *sororem Rodulphi I. Burgundiæ Transjuranæ Regis, filiam* CONRADI *Comitis, & neptem* HVGONIS *Burgundiæ Ducis.* Hæc verò de Richardo eodem monumenta reliquit Albericus: de Comite, nondum Duce, anno CM. III. RICHARDVS *Comes Burgundiæ pugnauit cum Normannis, & occidit plures ex eis, quinto Kal. Ianuarij.* De eodem iam Duce, anno CM. VI. *Vxor Richardi Ducis Burgundiæ dicta est* ALAYDIS, *mater Regis Rodulfi.*

Richardo Duci successit filius eius HVGO Niger, ex materno item capite; inter quem & HVGONEM Album exorta sunt dissidia, quæ so-[In Chron.] pita tandem fuisse obseruat Flodoardus sub annum CM. XXXV. HVGO *filius Roberti cum* HVGONE *filio Richardi, dispertitâ inter se Burgundiâ, pacem facit.* Obtendebat Burgundiæ Ducatum HVGO Albus, quia natus erat BEATRICE, Richardi & Alaydis filiâ, Roberto I. [In Chron.] Francorum Regi nuptâ: sic enim Albericus ad annum CM. XXII. *Roberto Regi non in Regnum, sed in Ducatum* [Franciæ] *successit filius eius* HVGO, *qui magnus est, & Cappatus (à cappâ Domini quam de terrâ promissionis transuexisse fertur in Franciam) appellatus. Huius mater* HVGONIS *filia fuit Ducis Burgundiæ; vnde & heredes eius adhuc Ducatum retinent.* Chartæ S. Martini Turonensis *Beatricem* vocant.

Mortuo deinde Hugone Nigro sine liberis, GISLEBERTVS Diuionensis Comes, Manassis filius, qui aliam defuncti sororem duxerat in vxorem, eius causâ Ducatum Burgundiæ sibi asseruit, quem Othoni genero suo reliquit. Hugo Floriacensis, & Ordericus Vitalis, splendi-[In Chronicis.] dè sub annum CM. LV. *In ipso anno defunctus est* GISLEBERTVS *Dux Burgundiæ, relinquens Ducatum* OTTONI, *filio* HVGONIS *Magni: habebat namque* OTTO *filiam illius* GISLEBERTI *in coniugio.* Eam Odo-[In MS. Commér. rerum Burgund.] rannus LEVDEGARDEM nuncupat. Subscribit Agnus Begatius Diuionensis Præses: OTHO, *cùm vxorem duxisset* GISLEBERTI *filiam, factus est Ducatus Burgundiæ heres & Dominus.*

Rursum Flodoardus sub annum CM. LXV. OTHO, *filius* HVGONIS [Albi] *qui Burgundiæ præerat, obijt: & rectores eiusdem terræ ad* HVGONEM & ODONEM *Clericum, fratres ipsius, sese conuertunt.* Sed [In Chronicis.] vetiùs Odorannus & Ordericus tradunt, *mortuo Othone,* HENRICVM

fratrem

fratrem eius, Ducatum suscepisse Burgundiæ. Qui Henricus postea sine liberis vita functus, Ducatum testamento reliquit Roberto II. Regi, suo ex fratre nepoti. Ab hoc transiuit Ducatus ad Robertum eius filium. Durauit autem huius Roberti I. Ducis stirps masculina ad annum vsque M. CCC. LXII. quo cùm Dux Philippus cognomento Roboretanus improlis obijsset, peruenit Ducatus ad Ioannem Franciæ Regem, ratione Ioannæ matris, quæ Philippi vltimi Ducis fato functi magna amita erat; adeoque nec per Legem Salicam.

Begatius & Vignerius ad an. M. I.

Stemma mediorum Burgundiæ Ducum.

1. ROBERTVS II. Dux Burgundiæ.

2. ODO IV. Dux Burgundiæ.	2. Ioanna nupta Philippo VI. Valesio Franciæ Regi.
3. PHILIPPVS de Burgundiâ Comes Artesiæ & Burgundiæ.	3. IOANNES Rex Franciæ, Dux Burgundiæ per matrem.
4. PHILIPPVS Roboretanus Dux Burgundiæ, ἄτεκνος: obijt anno 1362.	4. Philippus Audax, Dux Burgundiæ ex patris donatione, anno 1363.

5. IOANNES Intrepidus, Dux Burgundiæ.

6. PHILIPPVS Bonus, Dux Burgundiæ.

7. CAROLVS Audax, Dux Burgundiæ.

8. MARIA Ducissa Burgundiæ, vxor Maximiliani I. Imperatoris.

Ad Stemmatis huius lucem sic Willelmi Nangij Continuator sub annum M. CCC. LXII. *Obijt* PHILIPPVS *Dux Burgundiæ iuuenis valdè: deuenit Ducatus Burgundiæ ad Dominum Regem Franciæ* IOANNEM, PROPTER HEREDITARIAM PROPINQVITATEM: *nam* MATER *eius* IOANNA *Regina erat filia* ROBERTI *Secundi, & soror* ODONIS *Quarti, Burgundiæ Ducum:* ROBERTVS *autem Secundus, proauus paternus dicti Ducis* PHILIPPI. Vnde dictus IOANNES II. Francorum Rex, in litteris quibus PHILIPPO Audaci filio suo, eiusque legitimis heredibus ac successoribus, nullâ sexus factâ distinctione, Ducatum Burgundiæ donauit, anno M. CCC. LXIII. *Ducatus,* inquit, *Burgundiæ, qui ex successione bonæ memoriæ* PHILIPPI *Ducis,* IN NOS VT PROPINQVIOREM IN GENERE, *nouiter est translatus.*

Sic etiam Chronica Francorũ, Froissardus, Hallianus, Paradinus, alij. Papyrius Massonus lib. 4. in Carolo V. Rege.

Profectò, si Ducatus Burgundiæ Salicus fuisset, non in Ioannem Regem, vt propinquiorem ex materno capite, fuisset deuolutus; sed in Burgundici sanguinis Mares, qui tunc superstites erant: & primò quidem in PHILIBERTVM II. Dominum de Colchis, qui ab ALEXANDRO, HVGONIS III. Ducis minore filio, lineâ masculinâ oriebatur; cuius virilis ramus defecit in CLAVDIO de Monte-acuto, Domino de Colchis,

Vide Chesneũ in Histor. Ducum Burgund. cap. 17. & seqq.

Colchis, qui ſub Carolo Bellicoſo Burgundiæ Duce in ordinem Velleris aurei cooptatus, anno M. CD. LXVIII. tamquam gentis caput præferebat in ſcuto teſſeram veterem Burgundicam, omnis fracturæ & ſectionis expertem. Vel certè horum defectu, deueniſſet Ducatus ille ad PETRVM Portugalliæ Regem, qui tunc in viuis agens ab HENRICO, Roberti I. Ducis nepote, maſculinum ducebat genus.

Gothofredus, Sanmarthani, & Cheſneus.

Stemma Principum, è maſculinâ ſtirpe Ducum Burgundiæ Capetinorum qui ſupererant, quando Philippus Dux, dictus Roboretanus, abſque liberis deceſſit anno M. CCC. LXII.

1. Robertus I. Dux Burgundiæ, obijt anno M. LXXV.		
2. HENRICVS de Burgundiâ, obijt viuente Patre circa annum M. LXVI.		
3. Odo I. Dux Burgundiæ, obijt M. C. II.		Henticus Comes Portugalliæ, anno M. XC. obijt M. C. XII.
4. Hugo II. Dux Burgundiæ, obijt M. C. XLII.		Alfonſus I. Rex Portugalliæ, obijt M. C. LXXXV.
5. Odo II. Dux Burgundiæ, obijt M. C. LXII.		Sancius Rex Portugalliæ, obijt M. CC. XII.
6. Hugo III. Dux Burgundiæ, obijt M. C. XCII.		Alfonſus II. Rex Portugalliæ, obijt M. CC. XXXIII.
7. Odo III. Dux Burgundiæ, obijt M. CC. II.	Alexander de Burgundiâ, Montis-acuti Dominus.	Alfonſus III. Rex Portug. M. CC. LXXIX.
8. Hugo IV. Dux Burgundiæ, obijt M. CC. LXXII.	Odo Montis-acuti Dominus.	Dionyſius Rex Portug. M. CCC. XXV.
9. Robertus II. Dux Burg. obijt M. CCC. V.	Guilielmus Montis-acuti & Sombernoni Dominus.	Alfonſus IV. Rex Portug. M. CCC. LVII.
10. Odo IV. Dux Burgund. obijt M. CCC. XLIX.	Alexander Dominus Sombernoni & Malani.	Petrus Rex Portug. obijt M. CCC. LXVIII.
11. Philippus de Burg. Comes Arteſiæ & Burgund. obijt ante Patrem.	Stephanus Sombernoni, Malani & Colcharum Dominus.	
12. Philippus Roboretanus Dux Burg. obijt ſine prole anno M. CCC. LXII.	Philibertus I. Dominus de Colchis.	
	13. Hugo Dominus de Colchis.	
14. Philibertus II. Dominus de Colchis, anno M. CCC. XL. viuebat adhuc anno M. CCC. XCI.		
15. Ioannes Dominus de Colchis & d'Eſpoiſſe, anno M. CCCC. XXIV.		
16. Claudius de Monte-acuto, Dominus de Colchis, Aurei Velleris Eques, anno M. CCCC. LXVIII.		

Poſt obitum Philippi Roboretani, Burgundiæ Ducis, nullus illorum quidquam iuris obtendit in Burgundiæ Ducatum, quia nempe

Salicus

Salicus non erat. Quandonam igitur, in causâ illius Ducatus, Legis Salicæ mentio primùm incidit? Cùm nimirum MARIA, Caroli Audacis filia vnica, & heres legitima, Maximiliani I. Austriaci Imper. coniux, iniquè excludenda fuit à Ludouico XI. Rege Francorum, *Principe*, vt ait Duplcixius, *dolo ac versutijs longè excellentiore, quàm bellicis facinoribus illustri*. Tum quippe (aiunt ad mentem vsurpatoris Agnus Begatius, & Nicolaus Vignerius, Francici scriptores æui vltimò præteriti) *Carolus ad Nanceium cæsus rem Burgundicam euertit, nullo relicto herede, qui haberet legitimam Prouinciæ Franciæ & Salicæ lege capionem*. Scilicet hæc origo, hic fons iuris est, quo hodieque Francorum Reges nobilissimam Burgundiæ regionem retinent, quam ipsi, quamuis minimè Salici, sæculo duntaxat decimoquinto, pro arbitrio, & præter antiquum ius, Salicam esse finxerunt: quæ tamen priùs, à temporibus Caroli Magni, inter ipsos Capetinæ stirpis Principes, ex Regni consuetudine, & nullo refragante, multoties ad feminas deuoluta fuerat. Attendite seriò ad hocce Caput, Almæ Pacis Arbitri. Tu verò Lector vide suprà MARIÆ Ducis Burgundiæ successores legitimos, vsque ad PHILIPPVM IV. Regem Catholicum. In Ludouico XI. In Comment. rerum Burgund. anno M. CCCC. LXXVII. Cap. 4.

Prouinciæ quoque, quas per vniuersum Franciæ Regnum Anglus hodieque sibi asserit, & pacificè olim obtinuit, haud alio quàm feminino iure ipsi competunt. De Comitatu CENOMANNORVM scribit Willelmus Gemmeticensis, *Fulconem Comitem Andegauorum accepisse filiam* [Eremburgim] *Comitis* HELIÆ CENOMANNORVM CVM IPSIVS COMITATV, *& genuisse ex eâ duos filios*, GAVFRIDVM *videlicet Martellum & Heliam; & totidem filias: quarum vna nupsit* WILLELMO, *filio Henrici Regis Anglorum*. *Le Maine.* Lib. 8. cap. 34.

Memoratus autem Gaufredus, Fulconis Andegauorum Comitis filius, MATHILDEM duxerat, Henrici I. Regis Anglorum filiam, Willelmi dicti sororem, eamdemque NORMANNIÆ Ducem: ac demum Gaufridi filius HENRICVS (qui iam, PER MATREM, Dux erat NORMANNIÆ, Comes ANDEGAVENSIS, TVRONENSIS & Cenomannensis) vxorem accepit ALIENORDIM AQVITANICAM, quæ Ludouico VII. Francorum Regi matrimonio primùm iuncta, eumdem tot opulentissimarum ditionum, AQVITANIAE videlicet & PICTAVIAE, Dominum fecit. quâ de re Guilelmus Neubrigensis: *Eadem Regina* [Alienordis] *Ducis Aquitanici soboles vnica, ante expeditionem Ierosolymitanam memorato Regi* [Ludouico VII.] *nupserat*, SVOQVE CONIVGIO *amplissimum illum* DVCATVM AQVITANIAE *Regno Franciæ iunxerat*. Sed idem Ludouicus Alienordim à se longè abdicauit; ipsaque HENRICO, qui posteà Rex Anglorum fuit Secun- Auctores Historiæ Norman- norum. *Normandie. Anjou. Touraine.* Lib. 1. cap. 31. *Guienne.*

 dus

dus eius nominis, copulata, iam dictas ditiones in dotem ipsi tulit, eodem Neubrigensi teste: *Mox*, inquit, DVCATVS AQVITANIAE, *qui à finibus Andegauensium & Britonum ad Pyrenæos vsque montes, Galliam Hispaniamque dirimentes, extenditur, Francorum se ditioni paulatim subducens*, RATIONE CONIVGIS, *in Ducis Normanni potestatem transiuit: Francis quidem inuidiâ tabescentibus, sed impedire non valentibus eiusdem iuris prouectum.*

Loc. cit.

Poictou. Toulouse. Sanmarthani l. 6. cap. 8.

Eodem iure Anglus assecutus fuit PICTONVM Prouinciam, atque adeò singulare ius & actionem legitimam ad Comitatum TOLOSANVM, propter auiam paternam eiusdem Alienordis, Philippam nomine, Guilielmi Comitis heredem, & Guilielmi Octaui Aquitaniæ Ducis vxorem. Verùm ne de actione solùm sermo mihi esse videatur, certum atque indubitatum est, ALFONSVM, sancti Ludouici Francorum Regis fratrem, haud alio iure TOLOSATIVM Comitem fuisse, quàm quòd IOANNAM Raimundi V. Comitis Tolosani, & Sanctiæ Arragonicæ filiam, vxorem habuisset. Bernardus Guido propè æqualis auctor: ALPHONSVS *frater Regis Franciæ piissimi* LVDOVICI, *Comes Pictauiæ, qui* FILIAM VNICAM & HEREDEM *memorati Raimondi Comitis Tolosani duxerat in vxorem, mortuo Raimondo vltimo*, TOLOSANVM OBTINVIT COMITATVM.

Apud Guilielmum Catel in Histor. Comitum Tolosæ.

Bretagne.

De BRITANNIÆ minoris DVCATV haud maior difficultas erit, quandoquidem eum quater ad feminas peruenisse, maribus etiam patruisque interdum exclusis, constet. Primùm de Petro Drocensi, Roberti II. Drocensis Comitis filio, & agnomine *malo clerico*, testatur Balduinus Auesnensis his verbis: *De* PETRO *dicto Mauclerc, fratre Roberti de Dreux Iunioris, sciendum quòd vxorem duxit* ALEYDIM BRITANNIÆ COMITISSAM: *cuius auus Britanniæ Comes* CONANVS, *agnomine Grossus, filiam vnam habuit nomine* CONSTANTIAM, *quæ nupsit fratri Regis Angliæ* RICHARDI IOFFRIDO; *& peperit ei filium nomine* ARTVRVM, *& filiam nomine* ALIENORDEM. *Mortuo autem Rege* RICHARDO *deuolutum est Regnum ad hunc* IOFFRIDVM, *qui antequam homagia Regni reciperet mortuus est: &* IOANNES *sine terrâ, frater eius iunior, Regnum accepit*, ARTVRVM *nepotem suum posteà submergi procurans, neptemque suam* ALIENORDEM *in captiuitate detinens, à quâ numquam euasit. Mortuo igitur Ioffrido Arturi patre*, COMITISSA CONSTANTIA *Comiti Andegauiæ nupsit* ALMARICO, *qui ex eâ filiam hanc* ALEYDEM *generauit*. HÆC *ergo* COMITATVM RETINENS, *nupsit* PETRO *Mauclerc, qui filium vnum ex eâ genuit & filiam.*

In Chron. Hainon. MS.

Bis itaque iam ad feminas transijt Britannia: descendamus porrò nunc, & Papirij Massoni verba adijciamus, vbi de Ioannis Britanniæ

Ducis

Ducis obitu circa annum M. CCCC XL. *Biennio post* IOANNES *Britanniæ Dux decessit.* Is CLAVDIAM *germani filiam nuptui dederat* CAROLO *Comitis Blesensis minori filio, qui,* IVRE VXORIO, *Britanniæ Ducem se esse affirmabat* (IOANNE *demortui ultimo fratre contradicente.*) *quòd Britanniam ad virilem sexum recidere æquum negabat.* Is [Ioannes] IVRE MATERNO MONTFORTII COMES *erat: unde acerrimum bellum extitit, cùm* PHILIPPVS [Rex] CAROLO *sororis filio faueret, Angli Montfortio. Frossartes narrat* IVDICIO PARIVM FRANCIAE BLESENSEM ANTELATVM MONFORTIO, *quòd* CLAVDIA *demortui Ducis* PROXIMA *esset* PROPINQVITATE: Vicit itaque Blesensis, *uxorio iure,* à quo & LEMOVICENSEM Vicecomitatum acceperat. In Annalibus Franc. lib. 4. *Limosin.*

Quid sub ANNA, Francisci Britanniæ Ducis filiâ contigerit, Historici recentiores scripsere: & simul omnes consentiunt, non tam modò legitimam patris heredem fuisse, sed alia pleraque addunt, quibus Cassani verba penitus deridicula sunt. Tradunt quippe Sanmarthani fratres, *eam noluisse umquam permittere maritis suis Regibus, ut de suo Britanniæ Ducatu disponerent.* Addunt alij idcircò, CLAVDIAM Annæ filiam, primùm CAROLO AVSTRIACO ritè desponsatam, posteà tamen, FRANCISCO VALESIO elocatam fuisse, ne tam opima præda in externos dilaberetur. Chesn. Histor. Castellion. l. 5. Lib. 9. cap. 3.

CLAVDIAE filius fuit HENRICVS II. Rex, per eam quoque Britanniæ Dux: cuius liberi tam mares quàm feminæ nullam prolem habuerunt, præter ISABELLAM & CLAVDIAM: quarum posteri ius ad eum Ducatum habent, & eo potiri aliquando minimè despondent. *Bretagne.*

Progenies Annæ Ducissæ Britanniæ.

1. ANNA Britanniæ Dux, vxor Ludouici XII. Regis Franciæ.

2. CLAVDIA Britanniæ Dux, vxor Francisci I. Regis Franciæ.

3. HENRICVS II. Franciæ Rex, Dux Britanniæ: vxor Catharina Medicea.

4. ISABELLA Philippi II. Hispaniarum Regis vxor tertia.	4. CLAVDIA Carolo II. Duci Lotharingiæ superioris nupta, à quibus alij Duces orti sunt.
5. ISABELLA CLARA EVGENIA, vxor Alberti Archiducis Austriæ, &c.	5. CATHARINA vxor Caroli Emanuelis Ducis Sabaudiæ.
6. PHILIPPVS IV. Rex Catholicus heres ex asse ISABELLÆ Claræ Eugeniæ, amitæ suæ paternæ, condito testamento XXX. die Nouembris anno M. DC. XXXIII.	6. VICTOR AMEDEVS, Dux Sabaudiæ: vxor Christiana Borbonia.
	7. CAROLVS EMANVEL, Dux Sabaudiæ, qui viuit.

Ad COMITATVM CAMPANIAE quod attinet, docet Honorius *Champagne.*

Cap. *Ad inam.* Extr. de Ord. cognitionum. Chesneus in Probationibus Histor. Vergiac. lib. 3. c. 12. Sanmarthani l. 7. cap. 4.

Honorius Papa III. Reginæ Cypri ad eam ditionem ius integrum & saluum esse debere. Erat hæc HENRICI II. Comitis Campaniæ maior natu filia, ALEYDIS nomine, HVGONI Lusiniano Cypri Regi copulata. Vindicare porrò sibi nitebatur hereditatem patris aduersus THEOBALDVM IV. patruelem suum, qui vicinorum auxilio fretus, tandem vicit in causâ. Res tamen faciliùs in gratiam feminarum cessit Philippi Pulcri Regis ætate, quando IOANNAE Henrici I. Nauarræ Regis, & CAMPANIAE ac BRIAE, PALATINI & BIGORRAE Comitis filiæ, quæ Pulcro nupsit, hæ ipsæ Regiones in dotem cessere, anno M. CC. LXXXIV.

Comitatus antiquos, Crispiaci seu Valesij, Barri ad Albam, & Viromanduorum, Salicos non fuisse docebit Tabella sequens, ex documentis fide dignis instituta.

1. Walterus I. Ambianorum & Vellocassium Comes, anno CM. LXV. vxor Eua.

Crespy en Valois. 2. Walterus II. dictus Albus, Comes Ambianorum & Vellocassium anno M. vxor Adelhais, heres Crispiaci seu Valesij.

3. Drogo Comes Ambianorum & Vellocassium: vxor Editha soror Eduardi Regis Angliæ, anno M. XXV.

3. Radulphus I. Crispiaci Comes: vxor N. filia Hilduini Comitis de Bretolio.

Bar sur Aube. 4. Radulphus II. Crispiaci Comes, anno M. L. vxor Adelhais filia & heres Nocherij Comitis Barri ad Albam.

4. Alaydis de Crispiaco, iuncta Theobaldo Comiti Campaniæ.

5. Walterus occisus in agro Remensi an. M. LXX. ἄπαις.

5. Simon Comes Crispiaci & Barri super Albam, deinde Niget Monachus, anno M. LXXVI.

5. Adelais heres Simonis iuncta Heriberto Viromanduæ Comiti.

Vermandois. 6. Adelais Comes Viromanduæ, Valesij & Barri ad Albam, iuncta Hugoni Magno, filio Henrici I. Franciæ Regis.

Prouence. Luce item meridianâ clarius est, PROVINCIAE COMITATVM CAROLO II. Andegauensi obuenisse à matre BEATRICE, REMONDI BERENGARII Prouinciæ Comitis filiâ: & eodem iure, RENATO Lotharingiæ ac Barri Duci, per matrem YOLENDIM Andegauensem; vnde Prouincialium Legati, in oratione suâ ad Sabaudiæ Ducem, anno M. D. XC. dixere palàm, *Duces Lotharingiæ esse Comitatus Prouinciæ Principes legitimos; eius indigenas non esse obnoxios Coronæ Franciæ,*

Franciæ, nisi per vim illatam Renato Lotharingo (Yolendis filio;) *ab eoque dumtaxat tempore, Francico dominio tyrannicè incorporatos & infeudatos esse.* Ita Mauroyus à Consilijs Status Ludouici XIII. Francorum Regis in Vitâ Bernardi Valetani Prouinciæ Gubernatoris, Metis editâ anno M. DC. XXIV. Parte 3. pag. 165.

Hac de causâ Renatus Lotharingiæ & Barri Dux, vltimis tabulis à se conscriptis anno M. D. VI. nouo iure *vult & iubet, vt filius suus maior natu* ANTONIVS, *& ex eo descendentes* MASCVLI, *in legitimo matrimonio procreati, ipsi in* COMITATVM PROVINCIAE *succedant; ita vt fratres eius in eo partem aut portionem sibi vindicare non possint.* Artic. 13.

Stemma Ducum Lotharingiæ, ad quos iure sanguinis, & legitimæ successionis, pertinet Comitatus Prouinciæ in Arelatensi Regno.

1. RENATVS Dux Andegauiæ & Barri, Comes Prouinciæ.

2. IOLANDA Dux Barri, & Prouinciæ Comes, coniux Frederici VI. Ducis Lotharingiæ.

3. RENATVS Dux Lotharingiæ & Barri, Comes Prouinciæ.

4. ANTONIVS Lotharingiæ & Barri Dux, Prouinciæ Comes.

5. FRANCISCVS I. Dux Lotharingiæ & Barri, Prouinciæ Comes.

6. CAROLVS II. Dux Lotharingiæ & Barri, Prouinciæ Comes.

7. HENRICVS Dux Lotharingiæ & Barri, Prouinciæ Comes; mortuus absque masculâ prole.	7. FRANCISCVS II. Dux Lotharingiæ & Barri, Prouinciæ Comes.
8. CAROLVS III. Dux Lotharingiæ & Barri, Prouinciæ Comes.	8. Dux Nicolaus Franciscus.

De COMITATV FLANDRIAE, cùm pars eius vltra Scaldim Franciæ Occiduæ esset, sermonem longius protraherem, si quoties ad feminas spectarit, aut quoties hæ viros suos Comites effecerint, recensere velim. Satis sit vel vnum Philippum Audacem Ioannis II. Francorum Regis filium proferre, quem haud alio præterquam vxorio iure diuitem in primis regionem accepisse, planè *Flandres.* Vide Zypæum l. 1. cap. 16. §. *Flandria.*

historiæ rudis sit qui neget. Idemque de Maximiliano, Mariæ Burgundicæ marito, iudicium esto.

Arthois. Tit. de Coronationibus Regum & Reginarum. MARGARETA Burgundiæ & ATREBATVM Comes, Ludouici Malani Flandriæ Comitis mater, Caroli V. Regis inaugurationi, PARIS fungens munere, interfuit anno M. CCC. LXIV. vti memorat Tillius, Id etiam, imò ampliùs, auctor Supplementi Nangiaci, & Belleforestius, de MATHILDE Atrebatensi Comite tradiderunt; vbi In Chron. To. 1. l. 4. cap. 54. de Philippi Proceri Francorum Regis inauguratione agentes anno M. CCC. XVII. scribunt, *eam manum coronæ supposuisse cum cæteris Paribus, (quorum id ius proprium est) dum Archiepiscopus preces supra Regem funderet.* Nimirum fulciebat regij sanguinis mulier diadema, à quo nec ipsa iure arcebatur; vti nec à COMITATV ARTHESIAE, quem solemni decreto Senatus Parisiensis, frustrà nitentibus defuncti fratris sui filijs, consecuta fuerat.

Neuers. Auxerre. Tonnerre. Chesneus in Histor. Ducum Burg. c. 5. NIVERNENSEM quoque Comitatum, AVTISSIODORENSEM & TORNODORENSEM, adeptus legitur PETRVS de Curtiniaco, Ludouici iunioris fratris filius, ob contractum à se cum Agnete, earum ditionum herede, matrimonium. Et rursus eædem regiones ad ODONEM Hugonis IV. Burgundiæ Ducis filium deuolutæ sunt, ex capite MATHILDIS filiæ Archenbaldi eius nominis IX. Borbonij Dynastæ: quæ & sororem habuit AGNETEM BORBONII Dominam, Idem loc. cit. c. 10. & 11. Ioanni prædicti Odonis fratri coniunctam, è quâ BEATRIX orta, quæ ROBERTO, sancti Ludouici Regis filio nupta, stirpi Borboniæ, quæ hodie sceptrum moderatur, prima cognomen dedit.

Rethel. REGISTETENSIS DVCATVS, vnà cum NIVERNENSI iam dicto, in colum haud semel decidisse traditur: & postremò quidem in Sanmarthani l. 25. cap. 4. HENRICAM CLIVIAM, Francisci Cliuij Registetensis & Niuernensis Ducis, è MARGARETA Borboniâ, maiorem natu filiam, quæ LVDOVICO GONZAGAE, Frederici I. Mantuæ Ducis, tertio natu filio nuptum data est.

Montpensier. MONTISPENSERII Ducatum hodieque possidet ANNA MARIA, GASTONIS, Aureliæ Ducis, è MARIA Borboniâ, stirpis Montispenserij Ducum herede, filia vnica.

Touteuille. TVTEVILLAE pariter Ducatum in Aurelianensium Principum, qui familiam ac stirpem à Dunensi Comite ducunt, tulit MARIA Borbonia SANCTI PAVLI Comes, LEONORO Aureliano Longeuillæ Duci coniuncta anno M. D. LXIII.

Ioyeuse. GAVDIOSAE Ducem, CAROLVM Lotharingum, Guisium iam Ducem, matrimonio suo effecerat HENRICA-CATHARINA de Gaudiosâ, etiamnum superstes.

AVMA-

AVMALIAE Ducatum in familiam Sabaudicam transtulit ANNA Lotharingica, CAROLI Aumaliæ Ducis, hîc apud Belgas defuncti, filia, HENRICI Nemotosij Ducis vxor. *Aumale.*

MEDVANENSEM & AGVILLONIVM Ducatus possedit nuper CAROLVS Gonzaga, ratione CATHARINAE Lotharingicæ coniugis suæ, HENRICI Lotharingici, qui sine prole obijt, sororis & heredis vnicæ. *Mayenne. Aiguillon.*

MATISCONENSIS Comitatus (qui etiam Pariatus honore & priuilegio gaudet) emptus à sancto LVDOVICO Francorum Rege fuit, ab ALEYDE Viennensi, IOANNIS Drocensis viduâ. *Masconnois.* Sanjulianus in Miscellan. Histor. pag. 125.

ALENÇONIVM Ducatum Philippo Augusto Regi dono dedit HELIA Roberti Alençonij soror, soboles Roberti, Rotrodi, & Guilielmi Taluassij, primorum eius loci Comitum. *Alençon.* Chesneus in Antiq. vrbium Regni Fr.

ALBRETVM sæculo superiori cessit IOANNAE coniugi ANTONII Borbonij Ducis Vindocinensis, HENRICI IV. Francorum Regis matri. *Albret.*

Denique, vt alijs multis, quibus tractatum hunc augere possem, abstineam; & ad viciniorem huic Belgio prouinciam me conuertam; lubet adijcere quæ ad obtinendum BOLONIENSEM COMITATVM, ad oram Picardici maris positum & femininum, admisit etiam contra fas vir Princeps, non meis, sed Alberici verbis: HENRICVS *Rex Anglorum filiam Stephani, neptem suam, sanctimonialem & Abbatissam in claustro consecratam, contra fas legum,* MATHEO, *filio comitis Flandriæ* THEODERICI, *dedit vxorem,* VT PER EAM COMITATVM RETINERET BOLONIENSEM. *Et quia sponsa Deo dicata non sponsum, sed adulterum summo Regi superinduxit, bella & seditiones inimicus inter patrem & filium, inter fratrem & fratrem concitauit.* *Bologne.* In Chron. sub annū M. C. XX.

Dicat iam Cassanus, *per legem Salicam non tantùm vniuersum Franciæ Regnum possideri à feminis non posse, sed ne partes quidem Coronæ, vti sunt* DVCATVS, COMITATVS, ALIAQVE FEVDA; *quoniam eiusdem sunt naturæ & conditionis atque ipse stipes à quo prodeunt.* Ego certè neque caput, neque membra eius naturæ esse docui probauique. Lib. 2. cap. 5.



CAPVT

CAPVT IX.

Quæ veterum Francorum fuerint, quæ nouorum ostenditur: famam item & gloriam veterum à nouis præter ius vsurpatam. Abusionis Salicæ legis remouetur siparium.

FRANCI Germaniæ veteris indigenæ regionibus, quas procedente temporum serie incoluerunt, FRANCIÆ indidêre nomen; ita vt sæculis quarto & quinto triplex iam Francia fuerit; nempe Orientalis transrhenana siue antiqua; Ortiua cisrhenana siue media; & Occidentalis seu noua.

Prima Francia Orientalis transrhenana (Rhenum quippe inter & Danubium sita) à Monacho Sangallensi, nec non & à Diuo Hieronymo antiquiore, vocatur FRANCIA ANTIQVA, *inter Saxones & Allemannos constituta;* cuius ipse Hieronymus iterùm sic mentionem fecit: *Saxones cæsi Deusone in regione Francorum*. Deusonis castrum, vulgò Duisburch, situm est ex alterâ parte Rheni supra Coloniam Traianam, non procul à loco, vbi in tabula Peutingeri legitur litteris capitalibus, FRANCIA. Deusone porrò colebatur olim Hercules, in auerso Postumi nummo expressus, cum hac perigraphe; HERCVLI DEVSONIENSI. Illi autem antiquiores Franci, Diuo Hieronymo vltra Rhenum memorati, tempore Iuliani Cæsaris (vt iam docuimus) cognominabantur *Ansiuarij;* quorum pars nobilissimi populi, qui nunc ad Mœnum nouo nomine FRANCONES appellantur.

Lib. 1. cap. 25. & lib. 2. c. 16. In Vitâ Hilarionis. In Chron. anno DCC. LXXVII. Suprà cap. 5.

Altera Francia, nobis cisrhenana, rursum duplex fuit, Orientalis & Occidentalis. Illa (cuius incolæ cognominabantur *Salij*) intra fluuios Rhenum, Mosam & Scaldim constituta, varia nomina sortita est: dictam enim reperio *Austriam, Austrasiam, Franciam Orientalem, mediam Franciæ partem,* ac denique *Lotharingiam:* de quibus appellationibus nunc sigillatim.

Ammian. lib. 17.

Auctor gestorum Dagoberti Regis: DAGOBERTVS *Rex, Metis vrbem veniens,* SIGEBERTVM *filium suum in* REGNO AVSTRIAE *sublimauit, sedemque* METIS *habere permisit.* Guido de Basochijs, apud Albericum, anno DCCC. XXXVIII. *Iste fuit tenor paternæ dispositionis [Ludouici Pij] quâ eorum maior* LOTHARIVS *Imperiale decus Italiamque sortitur, & cum eâ Prouinciâ atque Burgundiæ partem; &* REGNVM INFERIORIS GERMANIAE, *quod* AVSTRIA *tunc dicebatur.* Aimoinus Floriacensis: *Has omnes prouincias* (Belgicam, Celticam & Aquitanicam) *dum Franci occupauissent, illam regionem, quæ Septemtrionem*

Cap. 31. AVSTRIA. Lib. 1. Histor. Franc. cap. 4.

trionem versus tenditur, & inter Mosam & Rhenum est, AVSTRIAM; *illam autem quæ à Mosâ ad Ligerim vsque pertingit,* NEVSTRIAM *vo-* NEV-
cauerunt. STRIA.

Annales Metenses ad annum DC. LXXXVIII. *Pipinus* ORIENTALIVM FRANCORVM, *quos illi propriâ linguâ* OSTERLANDOS *vocant, suscepit Principatum.* Deinde: *Theodoricus Rex* OCCIDENTALIVM FRANCORVM, *quos illi* NIVSTRIOS *dicunt.*

Auctor Vitæ Sigeberti III. Regis Austrasiæ, de Dagoberto Rege: *Cunctis Primatibus* AVSTRASIAE & NEVSTRIAE *in generali con-* AVSTRA-
uentu congregatis, iterùm diuisionem Regni inter duos filios ordinauit; vt SIA.
scilicet determinato vtriusque Regni certo limite, SIGIBERTVS *regnaret super* AVSTRASIAM, CLODOVEVS *verò regeret* NEVSTRIAM. *Eam partem* FRANCIAE, *quæ spectat ad Meridiem &* ORIENTEM, *vocabant* AVSTRASIAM; *eam quæ vergit ad Aquilonem &* OCCIDENTEM, *vocabant* NEVSTRIAM. Notgerus Leodiensis in Vitâ S. Remacli Cap. 21.
Traiectensis: CLODOVEO *quoque defuncto,* CLOTHARIVS *filius eius in* OCCIDENTE, *frater Clotharij* CHILDERICVS *in* AVSTRASIA, *regnarunt.* Vnde sic Robertus Guaguinus: *Gallia Belgicæ latè exten-* In Lotha-
sam regionem prisci ORIENTALEM FRANCIAM; *alteram, cui Carolus* rio Rege.
Caluus imperauit, quia ad occiduum Solem procurrit, OCCIDENTALEM *dixerunt.*

AVSTRIAE porrò siue AVSTRASIAE vocabulum Abrahamus In The-
Ortelius factum censet à vulgari Teutonico **Oesterich**/ quod *Orien-* sauro Geogra-
tale Regnum sonat; vnde Meyerus anno DC. XV. *Claruit in Austrasiâ,* phico.
hoc est Orientali Franciâ, atque aulâ Regum Mediomatricum, Carlomannus, pater Pipini. Vnde & in chartis antiquis Austrasia dicta est *Orientalis pars Franciæ,* & absolutè *Francia Orientalis.* Litteræ Ludouici Regis Lotharingiæ III. de monte Vironis, in Gorziensi chartulario Pag. 95.
sic leguntur subscriptæ: *Actum anno ab incarn. Domini* DCCC. LXXVI. *indict.* IX. *epactâ* XXII. *conc.* VII. *anno* VIII. *Regni* HLVDOVICI *serenissimi Regis, in* ORIENTALI PARTE FRANCIAE *regnantis. Actum* FRANCIA
METIS *ciuitate, in Dei nomine fœliciter, Amen.* Præceptum Ludouici ORIEN-
iunioris, eius filij, & in Lotharij Regno successoris, de villâ Fao, clau- TALIS.
ditur hoc modo: *Data* VI. *Idus Maij, anno Dom. incarn.* DCCC. LXXVIII. Pag. 100.
indict. XI. *ep.* XIV. *conc.* II. *anno* III. LVDOVICI IN ORIENTALI FRANCIA *regnantis. Actum* METIS *ciuitate.*

Prætereà, quia Franciam Orientalem transrhenanam inter & Occidentalem siue *Neustriam* Austrasia sita erat, à Sigeberto *media pars* Anno
Franciæ nuncupatur: *Lotharius,* ait, *qui maior natu erat, & Imperator* DCCC.
appellabatur, omnia Italiæ Regna tenuit cum ipsâ Româ; nec non & Pro- XLIV.

uinciam, & MEDIAM PARTEM FRANCIAE, *inter Scaldim & Rhenum, quæ, mutato nomine, ab eo denominatur* LOTHARINGIA.

LOTHARINGIA. In Chron. Albericus anno DCCC. XXXVIII. *Lotharius etiam viuente Patre* [Ludouico Pio] *nomen Imperatoris vsurpans, regnauit in partem* AVSTRIAE, *quæ nunc* LOTHARINGIA, *quasi* LOTHARII REGNVM *dicitur*. Huius incolas Ligurinus metro expressit,

Lib. 7.

Quos cum Germanis Rhenum partita colonis
FRANCIA, *seu* MAGNO *nomen sortita* LOTHARO
Terra tenet. ——

Ea porrò Lotharingica terra, siue Francia Orientalis citra Rhenum, terminabatur, Occidentem versùs, partim Scaldi partim Mosâ fluuijs. De illo sic Auctor veteris Chronici de Comitibus Flandriæ: *Scaldis fluuius, à fonte suo vsque ad mare, decernit Regnum Lothariense à Comitatu Flandriæ*: hic autem, vltra Scaldim, Occiduæ Franciæ pars erat. De Mosâ Glaber Rodulphus disertè; vbi refert congressum Henrici II. Imp. cum Roberto II. Franciæ Rege: *Conuenerunt super Mosam fluuium, qui limes est vtriusque Regni*; sed ex parte tantùm, non quà in longum Mosa excurrit.

Ex MS. S. Gisleni cap. 12. — Lib. 3. c. 2. anno M. XXIII.

Lib. 6. cap. 11. FRANCIA OCCIDENTALIS. Tertia Francia, dicta est *Occidentalis, Noua, Latina, Romana.* Otho Frisingensis ad annum DCCC. XCIII. OCCIDENTALEM FRANCIAM ODO, *eius auctoritate* [Arnulphi Imp.] *habuit*. Arqui certum est Odonem vltra Mosam & Scaldim non regnasse: quemadmodum de Carolo Caluo Sigebertus, vbi de partitione inter filios Ludouici Pij factâ: *Karolus accepit* OCCIDENTALIA REGNA, *ab Oceano Britannico vsque ad Mosam fluuium*. Sed accuratiùs Franciam Occiduam sic describit Albericus: *Quartus eorum, de Patre, non de Matre,* KAROLVS FRANCIAE *solio sublimatur, quæ terris alijs multâ commoditate præcellens, inter flumina Ligerim, Ararim, Mosam & Scaldim, & illum includitur Oceani sinum, qui maiorem diuidit à minori Britanniam, inter noctem mediam & occasum.* Vlteriùs, quod Galliarum erat, Francia non dicebatur; sed versum Pyrenæos, antiquæ Gothorum sedes erant; Alpes versus Burgundionum.

Ad ann. DCCC. XLIV. — Ad ann. DCCC. XXXVIII. — Gregor. Turon. lib. 2. c. 9.

NEVSTRIA. Sigebert. annis DC. LXXXVIII. & DC. XCI. Ceterùm Francia ista posterior & Occidua, vt iam vidimus, nuncupabatur NEVSTRIA; cuius partem quia Carolus Crassus pactione Normannis cessit, eam *Normanniam* vocarunt. Neustriæ porrò vocabulum sic explicat Albericus ad annum DC. XLIV. vbi de Dagoberto Rege: *Successit ei in Regno filius eius* CLODOVEVS *in* NEVSTRIA, *id est* NOVA FRANCIA, *per annos* XVII. *viuente adhuc* SIGEBERTO *in* AVSTRIA. Monachus [1] quoque Sangallensis vocat *Franciam nouam*; quæ à [2] Luitprando nuncupatur FRANCIA ROMANA *siue* OCCIDEN-

NOVA FRANCIA. [1] Lib. 1. cap. 23. [2] Lib. 1. cap. 6.

CIDENTALIS; à [1] Wippone FRANCIA LATINA; à Reginonis [2] Continuatore, GALLIA ROMANA; vnde populi vocati ſunt *Franci Romani* ab Othone [3] Friſingenſi; *non à Romá*, inquit [4] Albericus, *ſed à linguá Romaná*. Scientet equidem: in Galliâ etenim Theotiſcæ linguæ [5] vſus vigebat, priuſquam illam Romani occupatent, qui (teſte [6] Auguſtino) *non ſolùm iugum, verùm etiam* LINGVAM SVAM *domitis Gentibus impoſuerunt*. Quapropter apud ſubactos ab illis Gallos Romana lingua duplex ſenſim introducta eſt; Latina nempe purior, quæ certis conſtat tegulis & præceptis, & quam ferè ſoli Primates obſeruarunt; vt ille Ecdicius, quem laudat [7] Sidonius, quò ocius exemplo nobilitas Galliarum, *ſermonis Celtici ſquamam depoſitura, oratorio ſtylo & camœnalibus modis imbueretur*. Quâ etiam Latinâ ſinceriore Regum diplomata & chartæ Magnatum ſcribebantur in Franciâ vſque ad tempora S. Ludouici Regis.

[1] In Vitâ Conradi II.
[2] An. CM. XXXIX.
[3] Lib. 7. cap. 5.
[4] Anno DCCC. XCII.
[5] Freherus in Expoſ. fœd. inter Ludou. & Carolum.
[6] De Ciu. Dei l. 17. cap. 7.
[7] Lib. 3. ep. 3.

Alteram verò linguam, è corruptelâ prioris natam, Turonenſis Concilij Patres anno DCCCC. XIII. vocarunt *Ruſticam Romanam*, Scaliger *Latinæ linguæ abortum*, Meyerus *Spumam*, quæ eſt Gallica vulgaris. Conſentiunt quæ de Duce Godefrido Bullonio ab Othone Friſingenſi referuntur: *Hic*, inquit, INTER FRANCOS ROMANOS & TEVTONICOS, *qui quibuſdam amaris & inuidioſis iocis rixari ſolent, tamquam in termino vtriuſque gentis nutritus*, VTRIVSQVE LINGVÆ SCIVS, *medium ſe interpoſuit*. Educatus fuerat Dux Godefridus in Baſeyo vico, prope Genapiam, in eo Lotharingiæ Inferioris tractu, qui Occidentali Franciæ (medio Moſâ flumine) contiguus, à Gallicâ corruptiore linguâ, ſeu Wallonicâ, vulgò dicitur *le VVallon Brabant*, & promiſcuè *le Roman-pays*. Alius etiam eſt Alberici locus, qui de illâ vtraque linguâ certiores nos faciat: ſic enim ille ad annum M. C. LXXVII. de Alberico Leodienſi: *Multos libros, & maximè Vitas Sanctorum, & Actus Apoſtolorum, de* LATINO *vertit in* ROMANVM; id eſt, in vulgare Gallicum, ſeu potiùs Wallonicum, de quo ſic Rodulphus Abbas S. Trudonis: *Adalardus Abbas natiuam linguam non habebat Teutonicam, ſed quam corruptè nominant* ROMANAM, *Teutonicè VValonicam*.

Lib. 13. anno M. CCC. LXXXII.
Lib. 7. c. 5.
Ex MS. Cod. Niuellenſi.
In Chron.
In Chron. Trud. MS. p. 2. l. 1. c. 1.

Cernis apertè, tres olim Francias fuiſſe, populis inter ſe diuerſas, ANSIVARIIS, SALIIS & ROMANIS, qui vt tractu & habitatione ſepoſiti erant, ita linguis, legibus moribuſque diſcrepabant. Et quidem Francos Salios Teutonicâ linguâ vſos, patet ex legibus Salicis, quæ in Latinum exaratæ, pleraſque Germanicas retinuere voces, quæ Taxandrio Saliorum pago, vbi ſancitæ fuerunt, adhuc ſunt familiares. De Francis Occiduis ſiue Romanis Aimoinus clarè, anno Dago-

 berti

Lib. 4. cap. 18. berti Regis XIII. hoc est Christi DC. XLVII. *In publico Francorum conuentu à quibusdam Proceribus*, SECVNDVM LEGES ROMANAS, *omnibus paternis expoliati sunt bonis, atque inanes relicti.* Sanctus Preiectus Aruernensis Episcopus eodem septimo sæculo delatus ad Childericum Regem, quòd Claudiæ cuiusdam Deo dicatæ prædia sibi malè vindicasset, in Regis aulâ respondere tenuit, *iuxta præcepta Canonum, vel* LEGE *quæ dicitur* ROMANA, *quia magnus sabbathi dies erat.* (Ex ms. Cod. Atrebat.) Romanis tamen legibus non inficior Reges Francorum alias postmodum adiecisse, Dagobertum, Childebertum, Pipinum, Carolum Magnum, Ludouicum Pium, & alios.

Ceterùm è triplici Francorum genere soli Occidentales siue Romani (qui sunt Franci hodierni) Francorum tetinuere nomen, idque iam dudum ante Sigebetri æuum: sic enim ille ad annum DCCC. XLIV. *Karolus accepit Occidentalia Regna à Britannico Oceano vsque ad Mosam fluuium: in quâ parte ex tunc & modò nomen* FRANCIAE *remansit.* (In Chronico.)

Inde porrò factum est, vt quæ de Francis Ortiuis, citra & vltra Rhenum, sub solitario Francorum nomine ab antiquis auctoribus tradita fuerant, nouitij Franciæ Occidentalis Scriptores nullâ distinctione ad suos traduxerint; Regnumque Francorum vetus pro nouo acceperint: cùm tamen antiquiores Historici, nec sub appellatione Francorum Gallos, nec sub Francorum Regno simpliciter Galliam denotarint; sed Regnum Francorum vetustius, quod à Franco-Germanis ita nuncupatum est, vt sub illo Germania & Gallia, tamquam partes sub toto comprehenderentur; prout appatet ex diuisione inter filios & nepotes Caroli Magni factâ, quâ totum Regnum Francorum in Germaniam & Galliam partitum fuit. (Apud Chesne Tom. 2. Script. Franc.)

Præterea Franci Teutonici Gallis, non Galli Francis Teutonicis dominari cœperunt; quorum non modò victores, sed etiam extinctores fuisse argumento est, quòd Franco-Germani Galliam de suo nomine *Franciam* appellari voluerint. Ad hæc Otho Frisingensis verè & ad mentem nostram: *Tempore Caroli* [Magni] *Regni Francorum, tota Gallia, id est, Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnisque Germania, à Rheno scilicet vsque ad Illyricum, terminus fuit. Dehinc diuiso inter filiorum filios Regno, aliud* ORIENTALE, *aliud* OCCIDENTALE: *vtrumque tamen* FRANCORVM *dicebatur Regnum.* Tum post pauca: *Sicut autem Merouingis deficientibus, ac Carolis succedentibus,* REGNVM *tamen mansit* FRANCORVM; *sic & Carolis decedentibus, ex aliâ familiâ seu linguâ, in vno tamen Regno* OTHONES *subintroiêre. Quæ varietas humanarum rerum defectum prodens, ab initio mundi vsque in præsentem diem* (Lib. 6. cap. 17.)

diem alternatur. Similiter de Francorum Regni amplitudine Ioannes Nauclerus: CAROLVS MAGNVS *Rex Francorum dicebatur; quod idem erat ac si nominatus fuisset Rex Germaniæ ac Galliæ. Nam clarum est, quòd eo tempore omnis Gallia Transalpina, & etiam Germania, à montibus Pyrenæis vsque in Pannonias,* FRANCIA *dicebatur: illa, id est Germanica,* ORIENTALIS; *alia, id est Gallica,* OCCIDENTALIS: *in quo veræ Historiæ consentiunt omnes.* Generat. 27.

Germania igitur tota, tresque Franciæ simul iunctæ, Caroli Magni æuo vnicum Francorum Regnum constituebant. Vnde *Francia Orientalis* (inquit Albericus sub annum DCCC. XCIII.) *comprehendebat* (ex vtraque parte Rheni) *Bajoariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam, Lotharingiam.* Hæc verò posterior totum erat Lotharienfe Regnum. In Chron.

Videamus nunc abusum, ac temerè vindicatam amplissimi Francorum Regni illustrem cum laude famam. Occidentalem Franciam (vigente adhuc in illâ Caroli Magni posteritate virili) vsurparunt priores Capetini Reges, è stirpe Welphorum Sueuicâ, qui nec à Carolo Magno legitimè orti erant, nec vllum ad illud Regnum ius habebant: illi tamen, externi licet & intrusi, nihil in Austrasiâ, nihil in Germaniâ possidentes, omnia Francorum Australium tam cis quàm vltra Rhenum, Germanorumque præclara facinora, & erga Ecclesiam merita, nimiâ licentiâ, & nullâ distinctione sibi arrogarunt; obtrudentes continuò in Comitijs & circulis Francorum vetus, perillustre & amplissimum nomen; cuius ambiguitate fraudi factus est locus; Pontifices decepti, Reges delusi, Respublicæ circumuentæ. Tam lata enim & protensa Francorum appellatio non spectabat ad Capetinorum sanguinem, neque ad Franciam Nouam ab illis vsurpatam, nisi ex parte dumtaxat: cùm enim Occiduæ Franciæ Regnum fluminibus Scaldi, Mosâ, Ligeri ac mari Britannico concluderetur, totius Galliæ partem dimidiam vix efficiebat; antiqui verò Francorum Regni, quod Germaniâ Galliâque totis constabat, non omnino sextam: vnde est obseruatum vt Germania natu maioribus Carolinorum filijs cederet, Occidentalis verò Francia minoribus; quemadmodum apparet ex partitione inter filios Caroli Magni & Ludouici Pij factâ: Carolo enim & Ludouico senioribus, *Germania*; Ludouico Pio & Carolo Caluo natu minoribus, Francia *Occidua* contigit: ità vt si hodie reiunctioni totius esset locus, pars minor cedere deberet maiori, tamquam accessorium suo principali, & Occidentalis Francia Imperio restitui, non autem contrà. Inde prætereà docemur, quàm haud propriè Occiduæ Franciæ Rex à minùs accuratis Scriptoribus nun- Aimoin. lib. 5. c. 16. Sigebert. an DCCC. XLIV. Alberic. an. DCCC. XXXVIII.

cupetur *Rex Galliæ*, qui in Belgas, Lotharingos, Alsatas, Heluetios, Sequanos, Allobroges, aliosque Galliæ populos ius nullum habet. Profectò, apud cultos antiquitatis præcones, semper legitur *Rex Franciæ* vel *Francorum*, non *Galliæ* aut *Galliarum*; vt passim Gallicè dici solet, *Le Roy de France*, nusquam *Le Roy de Gaule*.

Lib. 3. Histor. Frãc. Potiori ergo iure *Germani* (inquit Paulus Æmilius) *gloriam antiquorum Francorum Regum, Ducumque ac Augustorum suam ducunt, quòd oriundos ab se eos prædicent; apud seque Francos adhuc* ORIENTALES *esse; alios in Galliâ,* OCCIDENTALES *dictos sobolem illorum esse*. Hæc verò noua & ortu minor soboles, propter Francicum nomen, quod, à Germanis mutuatum, casu potiùs quàm consilio retinuit, quæcumque à priscis auctoribus de Francis antiquis, siue Germanis omnibus Francisque Austrasijs, memoriæ consignata fuerunt, ad se audenter traduxit, simulque omnes CAROLI MAGNI natione Germani, & Carlouingorum prærogatiuas, quæ ad eorum legitimos heredes, Brabantiæ Burgundiæque Duces, Austriacosque Principes, iure optimo sunt deriuatæ. Equidem quod ad Carolum Magnum attinet, si à Francis Occiduis fuisset oriundus, vtique se cum illis diffidenter non gessisset. Atqui cumprimùm ille in Franciâ Occidentali cœpit regna-

Lib. 1. de Miraculis S. Benedicti cap. 18. re (dicam verbis Adreualdi Floriacensis) *cùm Francorum fidem suspectam haberet, quam semel in coniuratione, dum bellum inchoaretur Saxonicum, expertus est; iterumque in coniuratione Pipini naturalis filij; quibusdam seruorum suorum fisci debito subleuatis curam tradidit Regni; atque in primis Rabonem Aurelianensibus Comitem præfecit, Biturigensibus Sturminium, Aruernis Bertmundum, alijsque, vt ei visum est, locis alios præfecit*. Sed Carolum Magnum verè fuisse Germanum ostendo luculentè. In primis, Maiores eius in vico *Iupilâ* nomine ortum habuêre,

Marlian. ad Cæs. apud Eburones (nunc Leodienses) qui iam inde à Iulij Cæsaris temporibus pro Germanis habebantur: vbi enim recenset Cæsar numerum armatorum, quem Belgarum ciuitates ad commune aduersus

Comm. 2. Bel. Gall. Romanos bellum pollicitæ fuerant, ait: *Condrusos,* EBVRONES, *Cæresos, Pæmanos, qui vno nomine* GERMANI *appellantur*. Iam singillatim: *Pipinus* (qui cognominatus est *Herstalius*, ab Herstallo castro ad Mosam, prope Leodium, in quo natus fuerat & educatus) genuit *Carolum Martellum*; Martellus *Pipinum Breuem*, patrem Caroli Magni Imperatoris. Vnde CAROLVS verè MAGNVS à Paulo Langio, rectè asseritur *Germanus*, id est, *Teutonicus Francus origine, conuersatione, famine:* origine quidem, quia BERTHA Regina concepit illum in Eichsfeldiâ, Turingiæ & Saxoniæ confinio: quem tractum ipse Carolus Fuldensi monasterio, in Buchonio saltu sito, posteà donauit: *Terram*,

In Chron. Citicensi an. CM.LV. Brouuerus lib. 3. Fuld. c. 12.

inquit,

inquit, CONCEPTIONIS NOSTRÆ, *hoc est, totam comprouinciam circa fluuium Vnstrudt; ipsamque chortem nostram in Vargalaha, cum omni proprietate, sicut eam nos à parentibus nostris accepimus*. Carolum deinde anno DCC. LXXII. enixa est Bertha Ingelheimij, vrbe Germaniæ, nunc Imperiali; ad Rhenum duobus à Moguntiâ milliaribus. Anno denique DCCC. XIV. rebus humanis excessit Carolus Aquisgrani, Regni Franco-Germanici, ipsiusque Caroli præcipuâ sede, *vbi publicus thronus regalis* (inquit Wippo) *ab antiquis Regibus, & à* CAROLO *præcipuè locatus, totius Regni Archisolium habetur*.

Naucletus vol. 2. gener. 27.

Cap. de Itin. Regis.

Meritò igitur Vrbanus II. Papa, natione Franco-Gallus, gente Castellionensis, in Concilio Claromontensi Galliæ anno M. XCV. inter orandum commemorauit, *Carolum Magnum Imperatorem fuisse Germanum*: eodemque iure Innocentius III. & Pius II. Summi Pontifices verè scripserunt, *Romanum Imperium à Græcis in Germanos fuisse translatum in personam Caroli Magni*. Quibus addere iuuat ex Francisco Guillimanno; *Imperium non in Francos aut Italos per Carolum Magnum translatum, sed in Germaniam, ipso Germano; Stirpe eius in Germaniâ extinctâ, apud gentem ius remansisse*.

Sabellicus in Hist. Venet.

In cap. Venerab. de elect.

Lib. 3. Commét. pag. 78.

Lib. 3. Habsburg.

De conuersatione Teutonicâ Caroli Magni constat ex eo, quòd, amore patriæ, Germanico vteretur habitu: deinde quòd in Germaniâ & Ringawiâ vt plurimùm vixerit, ipseque & filij nepotesque eius multas ædes sacras multaque cœnobia erexerint in illis prouincijs.

cap. 8. Auentin. lib. 4.

Linguâ denique seu famine Carolum Magnum fuisse Teutonicum patet, quòd ipse Germanico idiomate Grammaticam scripserit; quòd mensibus & ventis Germanicas indiderit appellationes; quodque coniugum liberorumque nomina fuerint Germanica non tantùm voce, sed etiam significatione.

Crantzius l. 2. Saxon. cap. 8. Eginarthus in Vitâ Caroli Magni.

Ille igitur fuit ortus Germanicus, illa educatio Teutonica Caroli Magni, à quo tamen Franci noui, tanquam ab indigenâ suo, totum gloriæ stragulum ad se trahunt, ambiuntque primas cathedras in Comitijs, & primos discubitus in cœnis.

Labore alieno magno partam gloriam
Verbis sæpè in se transmouet qui habet salem.

Terentius Eunucho, Act. 3. Scen. 1.

Eâdem porrò libertate & astutiâ Franci Noui SALICAM LEGEM, quæ ad ipsos nullo modo pertinebat, suam efficere sunt conati, vt eâ decipulâ coronas & sceptra captarent, aliorumque Principum ditiones velut hamo piscarentur. Quid enim aliud sentit Renatus Choppinus dum ait, *Regale Francorum dominium trahere adamantinâ quadam vi, arctissimeque sibi coniungere viciniora prædia, quo iure, quo titulo Principi sint quæsita*? Sed vim magneticam Choppinus voluit exprimere:

Lib. 1. Doman. titulo 7. num. 10.

Plin. l. 36. cap. 6. mere: non enim trahit adamas, sed magnes; *& omnium rerum domitrix materia ad inane illud nescio quid currit;* veriori profectò naturæ ductu, quàm sceptra & coronæ ad inanitatem Salicæ Legis.

Quid aliud item Gitardus Hallianus, Henrico III. Regi à Consilijs & Secretis, mortalium mentibus inculcauit? Hæc sunt ipsissima eius verba, sed Latinè versa: *Lex ista Salica Pharamundo attributa fuit ab ijs, qui vt se facerent Reges, feminasque à Coronâ excluderent, ius conuenientiæ suæ firmare voluerunt lege antiquissimâ, vt sic maiorem ei splendorem & auctoritatem darent.* Sed & alio in loco loquitur in hunc sensum: *Historiæ nostræ magis seueri censores dicunt, Legem Salicam non fuisse à Pharamundo conditam, sed à Philippo Longo Rege excogitatam, vt Regni hereditate priuaret neptem suam, Ludouici Hutini filiam: vtque frustrationem illam præcepto & obseruatione Legis alicuius firmaret.* Tum post nonnulla absoluit hoc modo: *Quamuis Lex ista sit vna ex pulcrioribus quæ vmquam condita fuerit in quouis Regno; illa nihilominùs vigorem in Franciâ non habet nisi* PER VIM, *quâ in omnibus ditionibus pleræque Leges nituntur.* Illa certè Lex regnante trans Rhenum Pharamundo condita est, sed citra Rhenum per Proceres Franciæ Orientalis; in quâ viguisse & obseruatam fuisse diu, non verò in Occidentali, sat superque ostendimus. Et quamuis vltrò admitteretur, illam ipsam à Pharamundo fuisse sancitam; neque ab illo masculinum genus ducunt Capetini Reges, neque in eâdem quâ ille Franciâ regnarunt vmquam.

Tom. 1. Histor. Franc. in Pharamundo. Lib. 3. de Statu rerum Franc.

Cap. 5.

In summâ, multis probauimus exemplis, sub primâ Francorum stirpe custoditam non fuisse; ab illâ secundam & tertiam sua initia non exorsas: denique in Franciâ Occidentali non auditam ante Philippi Longi tempora, nouenis postquam condita fuerat sæculis: exinde à Regibus Angliæ diuturnis & internecinis bellis haud iniustè oppugnatam. Profectò Ioannes Parisiensis, Canonicus Regularis apud Sanctum Victorem, qui aliquot sæculis nos præcessit, non agnouit Salicam Legem in Regno Franciæ dum scripsit: *Regum progenies linealis licet in Pipino & Hugone Chapet videatur defecisse, tamen* PER FEMINARVM *successionem poterit posteà, Domino suffragante, generis posteritas ad lineam suorum prædecessorum reduci.*

In Memor. Histor. apud Chesneú Tom. 1.

In prolegom. Histor. Franc. Scipio Dupleix Consiliarius & Historiographus Francorum Regis multa in medium affert argumenta, quibus probet plebeium commentum esse, quo Legi Salicæ adscribitur marium in successione Regni feminis antelatio. Mihi satis erit, vel solam thesim (reliqua prudentiæ Lectoris permittens) commemorare. Igitur postquam Salicam Legem à Salijs populis nomen traxisse scripsit, damnatâ Histo-

ricorum

ticorum Francicorum qui aliter senserunt leuitate, subiungit: *Longè, inquit, crassior est eorum ignorantia, cùm existimarunt, Legem Salicam ad successionem Coronæ in fauorem marium, feminarum autem ab eâ exclusionem, constitutam fuisse: in toto quippe libro ne vnus quidem titulus aut lex vna articulúsve vnus occurrit, qui de eâ meminerit; sicuti nec de vllo Regni iure, aut de eius dominio; sed de solis subditorum iuribus, pœnisque ad criminum vindictam destinatis: adeòque prologus ipsius Libri perquàm manifestò enuntiat, leges eiusmodi haud aliam ob caussam esse latas, quàm vt subditorum regimini consuleretur; paci & quieti ipsius conciliandæ.*

Non institui singula Dupleixianæ sententiæ capita excutere: sufficit in præsentiarum mihi, quòd fatetur illo loco Legem Salicam ad successionem Regni non pertinere: neque intendo vltrà aliâ auctoritate vti, quàm viri magni Mercurini Gattinatæ, primùm Comitatus Burgundiæ Præsidis, deinde Caroli V. Imperatoris Cancellarij, in eo tractatu seu instructione, quam scripsit ad lucem querelis Domus Burgundicæ adferendam, sub id tempus quo Carolus V. & Franciscus I. acriter inter se armis contendebant. Sic ergò ille:

Quantum ad obiectionem de Lege Salicâ, responsiones tres suppetunt. Ex MS. Cod.

Prima est, localem esse Legem, institutam ab Austrasijs, neque sortiri effectum debere, nisi eò loci quo lata fuerit.

Secunda est, quòd si Franci vti vellent prædictâ Lege, opus illis foret duo capita probare: primum, eam Legem ab ipsis conditam, aut per modum nouæ constitutionis editam fuisse: & hoc casu oporteret, vt de publicatione constaret, priusquam subditi ad eius obseruationem obstringi possint: alioqui si minimè de eâ constitutione & publicatione constaret, dicta Lex nullam vim prorsus haberet, neque vllo valido niteretur fundamento. Vel probari debet ex consuetudine eam introductam & seruatam; & tunc necessarium esset probare, maximam populi partem & regnicolas vidisse, passos fuisse & consensisse dispositionem dictæ Salicæ Legis, passim per dictum Regnum indifferenter seruari, & actuum frequentiam intercessisse; inque iudicijs contradictorijs approbatam: quæ res ita se habere non comperientur.

Tertia, etiamsi eadem Salica Lex vel constitutione aliquâ singulari vel consuetudine in dictum Regnum inducta fuisset; contrario tamen vsu abrogata, & nullius iam roboris esset, quandoquidem constabit euidenter, passim mulieres, ac sine vllo discrimine, ad feuda & dignitates vocatas esse.

Itaque Franci Occidui Legem Salicam velut pilam habent; protrudunt extra palæstram, & rursum reuocant dum lubet; vt posteris illudant. Nouenis prioribus à Legis institutione sæculis (vt iam ostendimus) illam non agnouerunt: decimoquarto sæculo aduersus Eduardum III. Anglorum Regem mordicus tutati sunt: decimo-

 quinto

quinto rursum Legis illius sunt obliti, fauore Henrici V. & VI. Angliæ Regum: decimosexto, eius placitis & abdicationibus nuntium remisit Franciscus I. Franciæ Rex, [1] Madritensi, [2] Cameracensi & [3] Crispiacensi pactis: quam deinde renunciationem Henricus II. castri [4] Cameracesij pactione, & Henricus IV. [5] Veruinensi, tacitè confirmarunt, suis pro arbitrio commodis sic intenti. Mox iterùm toties violatam Franci in arenam reducunt; *æternam & immutabilem* appellant; quæ tamen ad ipsos nullo modo pertinet, *sed vi* (vt ait Hallianus) *ab illis vsurpata est.* Quæcumque igitur, & quouis tempore, prætento illius sanctionis simulachro, occupata possidet Franciæ Rex, legitimis Dominis restituere tenetur; infirmatâ & rescissâ penitus prouinciarum iniquè vsurpatarum ad diadema Francicum vnione, seu iunctione; quæ quia fluxo & lubrico Salicæ Legis visco coronæ adhærescit, dissolubilis, irrita & inanis iure censeri debet.

[1] Artic. 3. [2] Artic. 16. [3] Artic. 22. [4] Artic. 1. [5] Artic. 1.

Loco cit.

Addo pro Coronide dilemma, quod longiùs importat, & contra quod defensione nullâ munire se quis possit: *Vel obseruari debuit Salica Lex in Occidentali Franciâ, vel non: si debuit, coronæ vsurpatores fuêre* ODO, ROBERTVS I. *&* HVGO CAPETVS, *qui à Carlouingis Regibus Masculinâ serie non oriebantur: adeoque* LVDOVICVS XIV. *qui à Capeto directè manat, non est per Legem Salicam, Maiorum iure, legitimus Francorum Rex.*

Si autem Salica Lex vim non habuit in illo Regno, defectu masculorum è stipite CAROLI MAGNI, *Regnum deuoluebatur ad Carolini sanguinis fœminas; & sic ad* PHILIPPVM IV. *Regem Catholicum, qui ab illis per cohærentes lineas pluries oritur, & gradu anteriore quàm Rex* LVDOVICVS XIV. vt serie duplici Capite quarto ostensum, & mox sequenti, quatuor alijs demonstrandum.

CAPVT X.

Transitur ad prærogatiuas Catholici Regis: quarum prima desumitur ab eius ortu, à Clodoueo primo Rege, & à Carolo Magno Imperatore, ante Regem Franciæ.



EXIGVI est momenti, priuatos inter alterum alteri anteferri vel postponi: vnde sapienter Seneca ad Nouatum: *Minùs honorato loco positus irasci cœpisti conuiuatori, vocatori, ipsi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest quam lecti premas partem? honestiorem te aut turpiorem potest facere puluinus?* Quod verò ad Legatos attinet, qui munus publicum exercent, magnâ olim

Lib. 3. de Irâ c. 37.

olim moderatione loca inferiora Gallici occuparunt. Quinto enim sæculo, *Tonantius Ferreolus Præfectorius, Thaumastus & Petronius, Prouinciæ Galliæ Legati*, cùm Romam aduenissent, offerreturque ipsis in Senatu IVS SEDENDI; *Ferreolus, circumsistentibus latera collegis, verecundè ac leniter in imo subselliorum capite consedit; ita vt non minùs* LEGATVM *se quàm Senatorem reminisceretur; plus ob hoc posteà laudatus honoratusque.* Sidon. Apollinaris lib. 1. Epist. 7.

Sequioribus deinde sæculis *difficilis facta est magnorum conuentio Principum, qui neque se amant, neque inuicem cedunt*, inquit generatim Pius II. Papa. Lib. 3. Commét. Nulla autem fuit vnquam in aulâ Summorum Pontificum, adeoque nec in Orbe toto, de honoris gradu quæstio celebrior, quàm quæ inter vtriusque Regis, Hispaniæ & Franciæ Legatos, præterito sæculo & sæpè & acriter agitata est; nondum tamen finita per latam, excussis vtrimque partium momentis, sententiam; ne in Tridentino quidem Concilio, cuius hoc decretum fuit Sessione secundâ, die VII. mensis Ianuarij anni M. D. XLVI. *Insuper ipsa sacra Synodus statuit ac decernit, quòd si fortè contigerit aliquos debito in loco non sedere, & sententiam etiam sub verbo Placet proferre, congregationibus interesse, & alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea præiudicium generetur, nullique nouum ius acquiratur.* Idemque repetitum est Sessione XXV. & vltimâ, anno M. D. LXIII. *Declarat sancta Synodus, ex loco assignato Oratoribus, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscumque alijs actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præiudicium, sed omnia illorum, & Imperatoris,* REGVM, *Rerumpublicarum ac Principum suorum iura & prærogatiuas illæsas & saluas esse, in eodemque statu permanere, prout ante præsens Concilium reperiebantur.* Antecedenti sæculo idem iam constitutum fuerat à Pio II. Papâ in Conuentu Mantuano. de quo sic ille: *Cùm iam Legati Regum Principumque conuenire cœpissent, magna* DE SEDIBVS *orta contentio est; nec* REGES REGIBVS, *nec Duces Ducibus cedere, locum sibi quisque in consessu primum arrogare verbis nutibusque contendere: quod ne rebus gerendis officeret, Pontifex Legem edidit, ne vel postpositi detrimentum, vel prælati lucrum* HONORIS IVRISVE *aliquod ferrent: nec tamen hoc pacto pacari omnes potuere.* Lib. 3. Commét. an. M. CD. LIX.

Postmodum Iacobus Valdesius, vir doctissimus, iussu PHILIPPI II. Catholici Regis librum scripsit, cui titulus, *Prærogatiua Hispaniæ*: verùm quia ille ARCANA Historiarum non hauserat, vix attigit Genealogica, magnique momenti rationes non discussit, quæ omnino necessariæ sunt firmandæ & probandæ Catholici Regis ante Christianissimum dignitati. Rem ego altiùs repeto, & ex imis velut gur- Granatæ an. M. DC. II. & Francofurti M. DC. XXVI.

 gitibus,

gitibus, tamquam Delius natator, mea expiſcor; non vt Valdeſij labores eleuem (procul abeſt à me hæc ambitio) ſed vt eodem animo, eâdem voluntate quâ ille, REGIS MEI MAXIMI gloriam propugnem. Itaque vt ab illo prætermiſſa ſuppleam, tabulæ manum admoueo.

Dico igitur, quæſtionem hanc adeò grauem dirimi poſſe penitus iſtâ argumentatione, rationibus rem euincentibus optimè ſtabilitâ: *Vbi inter duos eſt controuerſia de prioritate ordinis, primus & dignior locus aſſignari debet illi qui eſt maior ac dignior alio: atqui Rex Hiſpaniæ maior eſt & dignior Rege Franciæ; ergo Rex Hiſpaniæ Regi Franciæ anteſtare debet.*

Maior propoſitio quamuis per ſe clara ſit, illuſtrari poteſt exemplo Conſtantini Magni Imperatoris, qui in epulo, quod præbuit CCC. Epiſcopis congregatis apud Nicæam, iuſſit πολλὰς στιβάδας εὐτρεπισθῆναι· κελεύσας κατὰ ταυτὸν εἰσάγει ἅπαντας· τοὺς μὲν ἀξιολογωτέρους ὁμοτραπέζους λαβὼν· τοὺς δ᾽ ἄλλους διελὼν εἰς τὰς ἄλλας: *multa ſterni ſtibadia; & eodem in loco omnes Epiſcopos dapſiliter excepit; &* DIGNIORES *menſæ ſuæ adhibuit; alios in alias menſas diſtribuit.*

Theodoretus l. 1. cap. 11.

Probatur minor: *Rex ille maior eſt & dignior alio Rege, qui ei præcellit* ORTV, DIGNITATE, POTENTIA, RELIGIONE: *atqui Rex Hiſpaniæ illis omnibus titulis Regi Franciæ antecellit; ergo Rex Hiſpaniæ maior eſt & dignior Rege Franciæ.*

Huius ſecundi ſyllogiſmi minor enuntiatio quatuor conſtat membris; quorum ſingula probatum eo.

PRIMA PRÆROGATIVA CATHOLICI REGIS, AB ORIGINE.

PEtrus Daneſius, in oratione quam ad ſacram Tridentinam Synodum habuit anno M. D. XLVI. FRANCISCI I. Francorum Regis nomine, plurima Regum Franciæ antiquiorum in Eccleſiam merita expoſuit, ordiens à CLODOVEO primo Rege Chriſtiano; pergens deinde ad CAROLVM, qui à rerum quas geſſit magnitudine MAGNI cognomen adeptus fuit; deflectens poſteà ad LVDOVICVM Pium: eoſque omnes *multa ſponte pericula adijſſe commemorat; graues ærumnas pertuliſſe, immanes ſumptus, non pecuniæ ſolùm, ſed & ſui ſanguinis ſæpè feciſſe, hanc vnam ob cauſam, vt, aut Chriſtiani Imperij fines proferrent, & occupatas à feris barbariſque & huic ſæpè nomini inimicis gentibus prouincias recuperarent; aut Romanos Pontifices, vel eiectos in ſuam*

Edita eſt Antuerpiæ apud Mart. Nutium an. M. D. XLVI. & Louanij M. D. LXVII. apud Petrū Zangrium.

suam rursus sedem restituerent, vel de suo statu dubitantes confirmarent, periculisque eximerent. Subiungit deinde, *Christianissimum Regem* FRANCISCVM, AB ILLIS PROFECTVM MAIORIBVS, *haud dissimili atque illos pietate esse.* Concludit denique ad sanctæ Synodi Patres: *Cùm tanta esse constet* FRANCORVM REGVM *in Ecclesiam, & præcipuè Romanam, merita, quibus Maiores vestri, Summique Pontifices, quæ amplissima habuerunt præmia semper tribuerunt; à vobis hoc postulat (quod est profectò æquissimum) ea sibi vt præmia conseruetis, neque quidquam omnino imminui aut mutari patiamini eorum, quorum in possessione tùm ille ipse, cuius antè memini,* LVDOVICVS PIVS, CAROLI MAGNI FILIVS, *tum alij deinceps Francorum Reges, sine vllâ dubitatione, aut controuersiâ fuerint.*

Didace à Mendoça, qui Cæsaris vices in Concilio agens Danesium dicentem audiebas, cur ad hanc illius orationem non respondebas? primùm quidem, Regnum Francorum vetus, quod Carolus Magnus latissimè possederat sub illo nomine, non ampliùs extare; Capetinos Reges nullum ius ad illud vmquam habuisse: Franciscum I. Franciæ Occiduæ Regem, stirpe Capetinum, à Clodouco & Carolo Magno per masculinam lineam non prodijsse; per femininam autem à Carolo V. Imperatore ac Hispaniarum Rege anteuerti: denique omnia primæ & secundæ stirpis Franciæ Regum iura, prærogatiuas, merita, ad Austriacos Hispaniæ Reges iure sanguinis deuoluta esse, tamquam ad legitimos illorum successores, gradu anteriore quàm sint Franci hodierni. Sed ARCANA illa REGIA Orbi nondum innotuerant: partem iam aperui Capite quarto, hîc penitus reduco velum.

Ortus PHILIPPI IV. *Regis Catholici à Clodoueo Rege & à Carolo Magno Imperatore, medijs Italiæ Regibus, Comitibus Burgundiæ & Regibus Hispaniæ.*

1. CLODOVEVS Francorum primus Rex Christianus: vxor CLOTILDIS, Gundebaudi Regis Burgundiæ ex fratre Chilperico neptis.

2. CLOTARIVS I. Rex Francorum: vxor CHVNSENA.

3. BLITILDIS, vxor ANSBERTI genere Romani, Austrasiorum Ducis.

4. ARNOALDVS Dux & Comes Palatij Austrasiorum: vxor ODA.

5. S. ARNVLPHVS Maior Palatij; deinde Metensis Episcopus: vxor S. DODA.

6. ANSIGISVS Dux & Comes Palatij: vxor S. BEGGA, Pipini Landensis filia.

7. PIPINVS Herstalius Maior Palatij: vxor ALPAIDIS, soror Dodonis Comitis, Plectrude repudiatâ.

8. CAROLVS Martellus, Princeps Francorum: vxor GELTRVDIS.

9. PIPINVS Breuis, Rex Francorum: vxor BERTHA.

10. CAROLVS MAGNVS Imperator & Rex Francorum: vxor HILDEGARDIS, filia Hildebrandi Sueuiæ Ducis.

11. LVDOVICVS PIVS Imperator & Rex Francorum: vxor prima HERMENGARDIS.

12. GISLA, vxor S. EVERARDI Ducis Foroiuliensis, Comitisque Cisoniensis.

13. BERENGARIVS Rex Italiæ, posteà Imperator: vxor BERTILA.

14. WILLA, Coniux ADELBERTI Marchionis Eporediæ.

15. BERENGARIVS II. Rex Italiæ: vxor WILLA, filia Bosonis Marchionis Tusciæ.

16. ADELBERTVS Dux Longobardiæ & Rex Italiæ: vxor GERBERGA filia N. Comitis Niuernensis.

17. OTHO GVILIELMVS, Dux & Comes Burgundiæ: vxor HERMENTRVDIS, filia ALRRADÆ filiæ Ludouici IV. Regis Franciæ.

18. RAINALDVS I. Comes Burgundiæ: vxor ADELISA, filia Richardi Ducis Normanniæ.

19. WILELMVS Comes Burgundiæ, Viennæ & Mariscönis: vxor GERTRVDIS, filia Theodorici Comitis Limburgensis.

20. RAIMVNDVS Comes Galliciæ, frater CALLIXTI II. Papæ, iuoctus VRRACÆ, filiæ ALPHONSI VI. Hispaniarum Imperatoris.

21. ALPHONSVS VII. Imperator Hispaniæ: vxor BERENGARIA Barcinonæ Comitissa, filia Raimundi III. Barcinonæ Comitis.

22. FERDINANDVS II. Rex Legionis: vxor VRRACA, filia Alphonsi I. Regis Lusitaniæ.

23. ALPHONSVS IX. Rex Legionis: vxor BERENGARIA, Alphonsi VIII. Castellæ Regis natu maior filia.

24. FERDINANDVS III. Sanctus, Imperator Hispaniæ, Rex Castellæ ac Legionis: vxor BEATRIX, filia Philippi Romanorum Imperatoris stirpe Sueuici.

25. ALPHON-

25. ALPHONSVS X. Rex Castellæ & Legionis, electus Romanorum Imperator: vxor IOLANDA, filia Iacobi Regis Aragoniæ.

26. SANCIVS IV. Rex Castellæ & Legionis: vxor MARIA, filia Infantis Alphonsi, Molinæ Dynastæ.

27. FERDINANDVS IV. Rex Castellæ & Legionis: vxor CONSTANTIA, Dionysij Regis Lusitaniæ filia.

28. ALPHONSVS XI. Rex Castellæ & Legionis: cui natus ex Leonora Gusmana Henricus II. Rex.

29. HENRICVS II. Rex Castellæ & Legionis iunctus IOANNÆ, filiæ Ioannis, filij Manuelis Infantis, filij Regis Ferdinandi III.

30. IOANNES I. Rex Castellæ & Legionis: vxor LEONORA, filia Petri IV. Regis Aragoniæ.

31. HENRICVS III. Rex Castellæ & Legionis: vxor CATHARINA, filia Ioannis Ducis Lancastriæ, filij Eduardi III. Regis Angliæ.

32. IOANNES II. Rex Castellæ & Legionis: vxor ISABELLA, Ioannis Portugalliæ Infantis filia.

33. ISABELLA Regina Castellæ & Legionis, iuncta FERDINANDO Regi Aragoniæ.

34. IOANNA Hispaniarum Regina, vxor PHILIPPI Archiducis Austriæ, filij MAXIMILIANI I. Imp. & MARIÆ, Burgundiæ Ducissæ.

35. CAROLVS V. Imperator Hispaniarum Rex: vxor ISABELLA, Emanuelis Lusitaniæ Regis filia.

36. PHILIPPVS II. Hispaniarum & Indiarum Rex: vxor ANNA, Maximiliani II. Imp. filia.

37. PHILIPPVS III. Hispaniarum & Indiarum Rex: vxor MARGARETA, filia CAROLI Archiducis Austriæ.

38. PHILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex: vxor ISABELLA, filia Henrici IV. Regis Franciæ.

De Raimundo Comite, VVilelmi Burgundiæ Comitis filio, Regum Hispaniæ progenitore, antiqua monumenta.

FRagmentum Historiæ Francicæ à Roberto Rege, ad mortem Philippi I. Regis, ex vetusto exemplari Floriacensis Cœnobij: AVDEFONSVS, *qui Toletum suo subiugauit Imperio, filiam* ROBERTI *Ducis Burgundionum duxit in vxorem, nomine* CONSTANTIAM: *de quâ suscepit filiam* [VRRACAM] *quam in matrimonium dedit* RAIMVNDO *Comiti, qui Comitatum trans Ararim tenebat.*

Ex

Sandoual in Histor. Alphonsi VI. Regis.

Ex chartâ sub Erâ M. C. XXV. III. Kal. Aprilis: *Regnante* ADEFONSO *Rex in Toleto Regni sui, tenente Galletiæ preiussa illius Regis,* GENER *eius* COMES RAIMVNDVS, *ortus ex stirpe* FRANCORVM.

Ex aliâ sub Erâ M. C. XXXI. Kal. Nou. *Regnante Rege* ADEFONSO *in Toleto, & in Galletiâ* GENER *eius* RAIMVNDVS, *de genere* FRANCORVM, scilicet Carlouingorum, per Gillam Ludouici Pij Imp. filiam, & per Hermentrudem, Ludouici IV. Regis ex Albradâ filiâ neptem.

Item ex chartâ sub Erâ M. C. LII. VII. Kal. Ian. *Regnante Dona* VRRACA *in Toleto, cum filio suo* ADEFONSVS REX, *filius* REYMVNDVS *Burgunienſe.*

Tres illæ chartæ à Sandouallio visæ, scriptæ sunt Romanâ corruptiore linguâ, è quâ postmodum Hispanica vulgaris enata est. Illis
Lib. 5. adde, si placet, Ligurinum, à quo GVILLELMVS Burgundiæ Comes, cognominatus *Puer*, RAIMVNDI Comitis, ex fratre STEPHANO, nepos dicitur,

COMES ANTIQVA VENIENS AB ORIGINE REGVM.

Ortus alter PHILIPPI IV. *Regis Catholici à Clodoueo & Carolo Magno, medijs Comitibus Flandriæ & Hannoniæ, Ierosolymorum Regibus & Imperatoribus Constantinopolitanis.*

10. CAROLVS Magnus Imperator & Rex Francorum: vxor HILDEGARDIS, filia Hildebrandi Sueuiæ Ducis.

11. LVDOVICVS Pius Imperator & Rex Francorum: vxor secunda IVDITH, filia Welphi Comitis Altorffi in Sueuiâ.

12. CAROLVS Caluus Imperator & Rex Francorum: vxor HERMENTRVDIS, filia Vodonis Comitis.

13. IVDITH, vxor BALDVINI Ferrei Comitis Flandriæ.

14. BALDVINVS Caluus, Comes Flandriæ: vxor ELSTRVDIS, filia Elfredi Anglorum Regis.

15. ARNVLPHVS Magnus, Comes Flandriæ: vxor ALEIDIS, filia Heriberti Veromanduæ Comitis.

16. BALDVINVS Iunior, Comes Flandriæ: vxor MATHILDIS, Hermanni Saxonum Ducis filia.

17. ARNVLPHVS Iunior Comes Flandriæ: vxor ROZALA, Berengarij II. Regis Italiæ filia.

18. BAL-

18. BALDVINVS Barbatus, Comes Flandriæ: vxor OGIVA, Friderici Comitis Luxemburgensis filia.

19. BALDVINVS Pius, Comes Flandriæ: vxor ADELA, Roberti Francorum Regis filia.

20. ROBERTVS FRISO, Comes Flandriæ: vxor GERTRVDIS, filia Hermanni Saxoniæ Ducis.

21. GERTRVDIS Comes Flandriæ, vxor THEODORICI II. Superioris Lotharingiæ Ducis.

22. THEODORICVS Comes Flandriæ; vxor SIBILLA, Fulconis Andegauensis Hierosolymorum Regis filia.

23. MARGARETA Comes Flandriæ, nupta BALDVINO IV. Comiti Hannoniæ & Marchioni Namurcensi.

24. BALDVINVS Comes Flandriæ & Hannoniæ, & Imperator Constantinopolitanus.

Reliqua series, vsque ad PHILIPPVM IV. Regem Catholicum, habetur suprà Capite quarto in progenie Ermengardis: illi addere iuuat præclaram hanc & veritati prorsus consentaneam Iacobi Marchantij narrationem: BALDVINVS *primus* [Ferreus Comes Flandriæ] *sublatos animos potentiamque adeptus, è* IVDITHA, *filiâ* CAROLI *Calui* (CAROLI MAGNI *ex filio* LVDOVICO *nepotis*) *cui Gallia Italiaque paruerunt,* BALDVINVM *Caluum progenuit: cuius* STIRPIS INCORRVPTÆ *nostramque in ætatem continuatæ* NOBILITAS *Flandris Principibus peculiaris est: neque Regibus Galliæ ex* HVGONE *Capeto descendentibus communis, nisi vbi, velut postliminiò, illuc* PER FEMINAM *rediere; cùm Rex* PHILIPPVS *Conquirens* ISABELLAM, *Balduini quarti Hannonij filiam ex Margaritâ, Theoderico Flandriæ Domino natâ, editam duxit, à Flandris paternum maternumque genus sine controuersiâ repetentem; oriundamque ex* IRMINGARDE, *Alberti Namurcensium primi Comitis vxore, quæ filia erat* CAROLI *Lotharingiæ Ducis, Ludouico Transmarino Franciæ Rege procreati. Porrò nobilissimum stemma, in* BALDVINI *&* IVDITHÆ *progenie supra annos septingentos propagatum,* LEGITIMA *rectâque* LINEA *in hodiernum * vsque diem descendit perduratque: quod tanti est, vt antiquior, continuatior illustriorque nobilitas nusquam totâ Europâ inueniatur.*

Num. 15.

Lib. 2. Fland. pag. 174.

* Kal. Ian. anni M. D. XCVI. vt est in dedicatione ad Archiducem Albertum.

Origo tertia PHILIPPI IV. *Regis Catholici à Clodoueo Rege, & à Carolo Magno Imp. medijs Burgundiæ Regibus, & Cæsaribus stirpe Saxonicis, Franconicis atque Sueuicis.*

10. CAROLVS Magnus Imperator & Rex Francorum: vxor HILDEGARDIS, filia Hildebrandi Sueuiæ Ducis.

11. LVDOVICVS Pius Imper. vxor secunda IVDITH, filia Welphi Comitis Altorffi in Sueuiâ.

12. CAROLVS Caluus Imp. coniux HERMENTRVDIS, filia Vodonis Comitis.

13. LVDOVICVS Balbus, Rex Franciæ: vxor ADELHEIS, Vulfridi Abbatis Flauiniacensis soror.

14. CAROLVS Simplex, Rex Franciæ: vxor ODGIVA, Eduardi Anglorum Regis filia.

15. LVDOVICVS Transmarinus, Rex Franciæ: vxor GERBERGA, Henrici I. Imp. stirpe Saxonis filia.

16. MATHILDIS, iuncta CONRADO Regi Burgundiæ.

17. GERBERGA, vxor HERMANNI Ducis Sueuiæ.

18. GISELA, coniux CONRADI Salici Imperatoris.

19. HENRICVS III. Imper. vxor AGNES, filia Guillelmi Ducis Aquitaniæ.

20. HENRICVS IV. Imp. vxor BERTHA, filia Othonis Marchionis Montisferrati.

21. AGNES, vxor FRIDERICI I. Ducis Sueuiæ.

22. FRIDERICVS II. Dux Sueuiæ: vxor IVDITHA, filia HENRICI Ducis Bauariæ.

23. FRIDERICVS I. Imp. vxor BEATRIX, filia Rainaldi III. Burgundiæ Comitis.

24. OTHO Comes Burgundiæ Palatinus: vxor MARGARETA, filia Theobaldi, Blesensis Carnotensisque Comitis.

25. BEATRIX II. Burgundiæ Comes Palatina, iuncta OTHONI Meraniæ Duci.

26. OTHO Meraniæ Dux & Comes Burgundiæ Palatinus: vxor BLANCA, filia Theobaldi Campaniæ & Briæ Comitis Palatini.

27. ALEYDIS

27. ALEYDIS Burgundiæ Palatina Comes, iuncta HVGONI, Ioannis Burgundiæ Comitis & Salinarum Domini filio.

28. OTHO Comes Palatinus Burgundiæ, Salinarumque Dominus: vxor MATHILDIS, filia Roberti Artesiæ Comitis.

29. IOANNA Burgundiæ Palatina, Atrebatum Comes, Salinarumque Domina, vxor PHILIPPI Longi Francorum Regis.

30. MARGARETA Burgundiæ & Artesiæ Comes, iuncta LVDOVICO Cressiacensi, Flandriæ Comiti.

31. LVDOVICVS Malanus, Comes Flandriæ & Burgundiæ Palatinus: vxor MARGARETA, filia Ioannis III. Ducis Brabantiæ.

32. MARGARETA heres Flandriæ, Burgundiæ & Artesiæ, nupta PHILIPPO Audaci Burgundiæ Duci, Ioannis II. Francorum Regis filio.

33. IOANNES Intrepidus, Dux & Comes Burgundiæ: vxor MARGARETA, filia Alberti Bauari, Comitis Hannoniæ & Hollandiæ.

34. PHILIPPVS Bonus, Dux & Comes Burgundiæ: vxor ISABELLA, filia Ioannis I. Regis Portugalliæ.

35. CAROLVS Audax, Dux & Comes Burgundiæ: vxor ISABELLA, filia Caroli I. Ducis Borbonij.

36. MARIA, Dux & Comes Burgundiæ, Princeps Belgarum, nupta MAXIMILIANO I. Imperatori, auo CAROLI V. Cæsaris, proaui PHILIPPI IV. Regis Catholici.

Origo quarta PHILIPPI IV. *Regis Catholici à Clodoueo & Carolo Magnis Regibus, medijs Luxemburgicæ & Austriacæ stirpis Imperatoribus.*

17. IOANNES I. Lotharingiæ Inferioris, Brabantiæ & Limburgi Dux, ortus à GERBERGA Clodouinæ Carolinæque stirpis herede: vxor MARGARETA, filia Guidonis Comitis Flandriæ.

Attexe hanc seriem progeniei Gerbergæ supra Cap. 4.

18. MARGARETA, vxor HENRICI de Luxemburgo, Imperatoris huius nominis VII.

19. IOANNES Luxemburgi Comes: vxor ISABELLA, Wenceslai Bohemiæ Regis filia.

20. CAROLVS IV. Imp. Bohemiæ Rex: vxor ELISABETHA, Bogislai Stetini & Pomeraniæ Ducis filia.

21. SIGISMVNDVS Imper. Rex Bohemiæ: vxor BARBARA, Hermanni Ciliæ Comitis filia.

22. ELISABETHA, Sigismundi heres, vxor ALBERTI II. Austriaci, Imp.

23. ELISABETHA, vxor CASIMIRI Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lithuaniæ.

24. WLADISLAVS Hungariæ & Bohemiæ Rex: vxor ANNA, filia Ioannis de Fuxo, Candalæ Comitis.

25. ANNA Hungariæ & Bohemiæ Regina, FERDINANDI I. Imp. Austriaci coniux.

26. MAXIMILIANVS II. Imp. Austriacus: vxor MARIA, Caroli V. Imp. filia.

27. ANNA, PHILIPPI II. Hispaniarum & Indiarum Regis vxor quarta.

28. PHILIPPVS III. Rex Catholicus.

29. PHILIPPVS IV. Rex Catholicus.

Oritur insuper, alijs ductibus, idem Catholicus Rex PHILIPPVS IV. & à Clodoueo & à Carolo Magnis Regibus per GERBERGAM & ERMENGARDEM, Caroli Lotharingiæ Ducis heredes, medijs Brabantiæ Ducibus & Namurci Comitibus, vt suprà Capite quarto ostensum; idque cum prioritate natalium ante Franciæ Occiduæ Regem. Vnde sequitur, argumentum Francorum à Clodouei Regis primâ Christianitate, item à Caroli Magni & Ludouici Pij meritis petitum, planè cedere in fauorem Regis Catholici, vtpote qui (ductâ ab vtroque & Clodoueo & Carolo, eorumque posteris, origine) natalium primatu Francorum superat Regem, ad eumque iure legitimo pertinet Francorum SANGVINIS EXCELLENTIA RARAQVE NOBILITAS, *& Maiorum latè vulgata gloria*, vt loquitur Æneas Siluius; vel, vt Iacobus Cardinalis Papiensis, GLORIA PRIMI INTER CHRISTIANOS SANGVINIS: imò eius proprium est Cimeliorum decus, AMPVLLÆ, LILIORVM & AVRIFLAMMÆ, quæ Clodoueo Regi cælo fuisse transmissa vulgus credit.

Histor. Bohem. cap. 69. Commét. lib. 6.

E contrario, quandoquidem constat Hugonem Capetum (qui à Carolo Magno haud legitimè ortus erat) non modò Franciæ Occidentalis Regnum præter ius vsurpasse; verùm etiam regnandi causâ, masculinam & legitimam Caroli Magni sobolem stirpitus extinxisse; hoc peraudaci facinore seipsum & successores suos indignos reddidit adeptione iurium, gloriæ & meritorum Caroli Magni Imperatoris; vt meritò ab ijs omnibus arceri debeant eius posteri.

Quo-

Quocircà, cùm longè potior Catholici Regis dignatio sit, propter indubitatum Clodouinæ & Carolinæ Originis primatum, primum illi & honoratiorem locum attribui debere, mecum eruditissimi & sapientissimi quique censebunt.

CAPVT XI.

Altera prærogatiua Catholici Regis, à dignitate Imperiali Maiorum eius Hispaniæ Regum.

EX litteris sancti Fulconis Archiepiscopi Remensis (qui è viuis excessit anno DCCCC. XCII.) ad Arnulphum Regem Transrhenanum, colligitur in primis perspicuè, ipsius Scriptoris æuo & præcedentibus etiam sæculis, alios Reges in Europâ Occidentalis Franciæ Regibus maiores & potentiores extitisse: ait enim, ***morem gentis Francorum semper fuisse, vt Rege decedente, alium de regiâ stirpe vel successione, sine respectu vel interrogatione*** MAIORIS ***cuiusquam aut*** POTENTIORIS REGIS, ***eligerent.*** Iam tunc temporis Hispani suos habebant Reges, Germani item, Hungari, Burgundiones, Itali, Angli, aliique populi remotiores. De Germaniæ Rege, non est dubium illum tunc maiorem & potentiorem Franciæ Rege fuisse; quandoquidem fatetur Fulco, ***Proceres Regni Francorum Imperiali Caroli Crassi se commisisse tuitioni.*** Et prætereà, quoniam se excusat memoratus auctor, ***quòd sine Arnulphi Regis Transrhenensis consilio*** (vtpote maioris & potentioris) ***Franci Regem elegissent Carolum Simplicem.*** Apud Flodoard. l. 4. Histor. Rem. c. 5. Lib. 4. cap. 5. cit.

Fulconis eiusdem sæculo imperabat Regni iure & potestate inter Hispanos ALPHONSVS III. qui vt cognomento *Magnus*, ita plerisque alijs Regibus maior erat: cuius deinde successores aliquot Hispaniæ Reges, ob maiestatem Augustam, potentiamque singularem & absolutam, *Imperatorum* cognomen adepti sunt.

SANCIVS MAGNVS Rex, quia Castellam, Aragoniam, Nauarram & Cantabriam summo iure possidebat, & cum imperio in alias Hispaniæ nationes, dictus est HISPANIARVM IMPERATOR. Placet occasione illius ineditum hactenus stemma ex Alberici Chronico MS. hîc referre: sic igitur ille anno M. XXXI. *Soror Regis* ROBERTI (II. huius nominis Francorum Regis) HADWIDIS RAINERO *Comiti de Hainaco, fratri Lamberti Comitis de Louanio, peperit* BEATRICEM, *de quâ Comes* EBALVS *de Rocejo duas genuit filias,* AELIDEM *&* HADWIDEM. *De Aelide sunt omnes Comites de Rocejo, & de Arceis,* Garibai lib. 2 c. 20. & lib. 22. cap. 21.

 siue

siue de Ramerut, vel de Breva super Albam; & per istos multi alij. De HADWIDE *verò, quam habuit Godefridus, frater Gerardi Episcopi Cameracensis, processit tota progenies de Rumniaco cum appendicijs suis.*

Item supradicta BEATRIX, *Comitissa de Rocejo, de secundo marito filium habuit* MANASSEM, *Archiepiscopum postmodum Remensem: de quo euidentiùs suo loco declarabimus.*

Comes autem RAINERVS *iunior de Hainaco, frater huius* BEATRICIS *de Rocejo, non fuit de matre eius* HADWIDE, *sed de aliâ: alioquin filiam huius* RAINERI RICHILDEM *non potuisset Comes Flandrensis* BALDVINVS *habere vxorem. Et hæc de sorore Regis* ROBERTI HADWIDE *breuiter dicta sunt.*

Anno deinde M. LXIII. *Hoc tempore Rex fuit in Galiciâ* SANCIVS *siue* FERNANDVS *nomine, qui tres habuit filios; primogenitum* SANCIVM; PETRVM *cognomento* ALFVNSVM, *siue* HILDEFVNSVM; & FERNANDVM. *Horum duo vltimi fuerunt ex matre de genere Francorum, quod ita probatur: Dictum est superiùs in anno Domini* M. XXXI. *quòd neptis, ex sorore Regis Francorum* ROBERTI, BEATRIX *nomine, Comiti* EBALO *de Rocejo peperit* AELIDEM & HADWIDEM. *Istam* AELIDEM *duxit Comes* HILDEVINVS *de Ramerut, & per eam factus est Comes de Rocejo; & genuit ex eâ duos filios & septem filias. Duo filij fuerunt,* EBALVS *alter de Rocejo, &* ANDREAS *de Ramerut & Arceis, Comites.*

De septem filiabus, EBALI & ANDREÆ *sororibus,* PRIMA (nomen desideratur; sunt qui FELICEM nominent) *prædicto Regi Galiciæ* SANCIO; QVI SE IMPERATOREM NOMINABAT HISPANIÆ, *peperit prædictos duos fratres,* PETRVM HILDEFVNSVM *siue* ALFVNSVM, REGEM *Galiciæ & Castellæ* POTENTISSIMVM; & *fratrem eius* FERNANDVM, *qui post eum totum Regnum tenuit.*

Secunda soror, BEATRIX *nomine,* ROTROLDO *Comiti de Pertico peperit Comitem* ROTROLDVM, & MARGARETAM *de nouo Burgo in Normanniâ; cuius filia* IVLIANA *de Aquilâ fuit mater Reginæ Nauarrorum.*

Tertia soror MARGARETA *Comiti* HVGONI *de Claromonte Beluacensi peperit Comitem* RENALDVM & *sorores eius: de quarum vnâ fuerunt Comites Bellimontis. De isto autem Comite* RENALDO *plures fuerunt filij & filiæ: quos breuiandi ratione necesse est prætermittere.*

Quarta soror, nomine ERMENTRVDIS, *Theobaldo Comiti de Rinello peperit Hugonem, & Hildegardem, matrem Ebali de Buxi, & de Monte forti, & aliorum multorum.*

Quinta soror, AELIZ *de Sarrata in Burgundiâ, peperit Ebalum, & vene-*

venerabilem Episcopum Laudunensem Bartholomeum, & eorum sorores: quarum una HENRICO *Comiti de Grandiprato*, HESCELINI *filio, peperit illum Henricum qui sepultus est in Fusneio. Qui* HESCELINVS, *Comes de Grandiprato, fratrem habuit* ROGERVM *Comitem Porcensem; cuius filia fuit Sibilia.*

Sexta soror supradictorum, ADA *nomine, de cuius progenie sunt illi de* RVEZ *& de* AVDENARDE, *& fuit de* GVISA *honestissima Domina.*

Septima soror ADELA ARNVLPHO, *Comiti de Chisneio, peperit Comitem* OTTONEM, *patrem Comitis* ALBERTI; *& ita in infinitum.* Hæc Albericus.

FERDINANDVS MAGNVS Rex Hispaniæ *Imperator* etiam nuncupatus est, & SANCIA vxor eius *Imperatrix*. Hanc de illis memoriam ex chartâ Monasterij sancti Petri de Arlança retulit Sandouallius: *Erâ* M. XCIV. *quintâ feriâ* II. *Idus Septembris*, SVB IMPERIO IMPERATORIS FERDINANDI REGIS, & SANCIAE REGINAE IMPERATRICIS, *Regnum regentes in Legione, & in Galiciâ, vel in Castellâ.* Garibai l. 11. c. 1. & 7. an. M. LXXII. In Histor. Ferdinandi Magni.

ALPHONSVS VI. Imperatoriam quoque Hispaniarum dignitatem possedit. Chartas quinque à se visas tradit Sandouallius, quæ id ipsi decus asserunt: Primam sub erâ M. C. XV. XXVI. Martij: *Ego* ADEFONSVS IMPERATOR TOTIVS HISPANIÆ *hanc chartam meâ manu confirmo*. Secundam sub erâ M. C. XXIII. XXII. Februarij: ADEFONSVS *Rex &* IMPERATOR *totius Hispaniæ*. Tertiam sub erâ M. C. XXIV. *Ego Dei dispositione* ALFONSVS IMPERATOR *Hispaniæ*. Quartam sub erâ M. C. XXV. *Ego* ADEFONSVS AB IPSO DEO CONSTITVTVS IMPERATOR *super omnes Hispaniæ nationes*. Quintam denique sub erâ M. C. XLV. VII. Kalendas Ianuarij: *Ego* ADEFONSVS *gratiâ Dei Hispanorum* IMPERATOR. Et ne plus æquo sibi tribuisse videatur, audite Synodum iuuat ipso imperante celebratam, quæ sic incipit: *Anno ab Incarnatione Domini* M. LXXXVIII. *erâ* M. C. XXVI. *regnante gloriosissimo* ADEFONSO IMPERATORE *in Toleto, Legione, Galleciâ, Castillâ & Najarâ, facta est Synodus in Ecclesiâ sanctæ Mariæ de Fasellis.* Garibai l. 11. c. 7. an. M. LXXXIV. In Histor. Alphonsi VI. Anno M. LXXVII. Anno M. LXXXV. Anno M. LXXXVI. Anno M. LXXXVII. Anno M. C. VII.

ALFONSVS Rex Aragoniæ, VRRACAE Reginæ sponsus alter, *soceri exemplo* HISPANIAE IMPERATOREM *se dixit: si amplitudinem ditionis consideres, haud temerè; cùm Regum potentissimus euasisset omnium qui post Hispaniæ cladem extiterunt.* Zurita Tom. 1. lib. 1. c. 38. Mariana lib. 10. c. 8.

ALFONSVS VII. VRRACAE Reginæ ex primis cum RAIMVNDO Comite Burgundo nuptijs filius, *intitulatus* IMPERATOR HISPANIAE, *cœpit regnare anno Domini* M. C. VIII. *Depingitur cum* DIADE- Sandoual. in Vrracâ. Carthagena c. 77.


MATE

MATE IMPERIALI, *& sedens; propter eminentiam dignitatis Imperialis, quia* IMPERATOR *vocatus est.* Rodericus Toletanus de Vracâ, filiâ Alphonsi VI. Regis & Constantiæ Burgundæ: *Fuit vxor Comitis* RAIMVNDI, *de quâ genuit Sanciam, &* ALDEFONSVM; *qui fuit posteà* IMPERATOR. Idem Archipræsul de Alphonso, Raimundi & Vrracæ filio: *Rediens Legionem imposuit sibi* IMPERII DIADEMA, *& vocatus fuit deinceps* IMPERATOR. Per *diadema Imperij* intelligit coronam, quæ sic describitur in sacris cærimonijs Romanæ Ecclesiæ: *Differt forma* CORONAE IMPERIALIS *ab alijs: nam ea sub se tiaram quamdam habet in modum ferè Episcopalis mitræ; humiliorem tamen, magis apertam, & minùs acutam: estque eius apertura à fronte, non ab aure: & semicirculum habet per ipsam aperturam aureum; in cuius summitate crux paruula eminet. Eam tiaram aliæ coronæ non habent.* Eiusmodi ornatu coronatum vidi Alphonsum VII. in membraneo Carthagenæ autographo apud inclytum Heroem Franciscum de Moncada, Aytonæ Marchionem, dum regio nomine Belgio Burgundiæque præesset. Hîc habes coronæ schema: mitra cærulea est, circuli sunt aurei: sociam illi dedimus auream & emicantem flosculis, gemmisque radiantem Regum Hispaniæ Austriacorum Coronam, quæ octonis supernè semicirculis clausa est, ob omnes quos peruadit terrestris sphæræ circulos amplissima omnium Monarchia Hispanica. Globo præterea cum Cruce corona illa fastigiata est; quia latissimè patens Hispanicum Imperium totam circumdat Terræ rotunditatem, vbique annexum Christiano cœtui, vbique Catholicum.

Lib. 6. cap. 21.

Lib. 7. c. 7.

Lib. 1. sect. 5. cap. vlt.



Sumpsit autem titulum Imperatoris Alphonsus VII. Rex, quia Hispaniæ pænè totius Monarchiam summo iure possidebat; clientesque habebat GARCIAM Nauarrorum, & ZAFADOLAM Maurorum Reges; & præterea RAIMVNDVM Barcinonæ, & ALFONSVM

Sandoual. in Chron. Alphonsi VII. c. 30.

Iordanum

Iordanum Tolosæ Comites; pluresque alios Duces & Comites in Aquitaniâ & Franciâ. Vnctus est & coronatus Imperator primùm Legione, deinde Toleti, à Raimundo Archiepiscopo Toletano, consensu & auctoritare Innocentij II. PP. quod & postmodum confirmauit Eugenius PP. III. Ille deinde Toletanæ ciuitati titulum *Imperialis* confirmauit, deditque illi pro insigni Imperatorem sedentem in throno, cum stricto ense in manu dextrâ, & globo in sinistrâ. Chartam eo imperante in hunc modum subscriptam profert Sandouallius: *Facta charta* II. *die Iunij, octauo die post Penthecosten, quando* IMPERATOR *sumpsit primam Coronam Regni, erâ* M. C. LXXIII. IMPERATORE *tenente Toletum, Galleciam, Legionem, Castillam atque Saragociam.*

Garibai lib. 12. c. 4. an. M. C. XXXV. Luzero de Nobleza. Salazar de Mendoça. An. M. C. XXXV.

Habetur in tabulario Cluniacensi diploma, quo ADEFONSVS Imperator Hispaniæ donat Monasterio Cluniacensi Ecclesiam sancti Vincentij de Salamanticâ: *Facta charta Najaræ* IV. *Kal. Nou. erâ* M. C. LXXXI. *prædicto* IMPERATORE ADEFONSO *imperante in Toleto, Legione, Saragociâ, Najarâ, Castellâ, Gallaciâ. Signum † Imperatoris. Ego* BERENGARIA IMPERATRIX *confirmo. Ego Sancius Imperatoris maior filius. Ego Raimundus Toletanus Archiepiscopus. Ego Petrus Compostellanus Archiepiscopus.*

Chartâ 245. An. M. C. XLIII.

Accedit Albericus anno M. C. XLIII. *In Hispaniâ Rex* ALDEFONSVS, IMPERATOR *dictus, Choriam ciuitatem cepit.* Chronica Normanniæ sancti Victoris Parisiensis anno M. C. XLVII. IMPERATOR, *cuius Imperij caput est ciuitas Toletum, adiutus à Pisanis & Genuensibus, Almariam nobilissimam vrbem super paganos cepit.* Historia vetus de Almeriâ armis quæsitâ apud Sandouallium:

Conuenêre Duces Hispani Francigenæque,
Per mare, per terras, Maurorum bella requirunt:
Dux fuit IMPERII *cunctorum* REX TOLETANI:
Hic ADEFONSVS *erat;* NOMEN *tenet* IMPERATORIS.

In Chron. Chesneus in Script. Norman. In Chron. Alfonsi VII.

Præterea Willelmus Tyri Archiepiscopus, vbi meminit diuortij Ludouici VII. Francorum Regis & Leonoræ Aquitanicæ, subiungit: *Dominus verò Rex Francorum* HISPANIARVM IMPERATORIS *filiam,* MARIAM *nomine, Virginem Deo placitam, moribus & sanctâ conuersatione commendabilem, secundis votis feliciori sibi matrimonio copulauit.* Chronica Normanniæ iam laudata ad annum M. C. LIII. LVDOVICVS *Rex Francorum duxit vxorem filiam* ALFONSI *Regis Hispaniarum: caput Regni huius Toletum: quem, quia principatur Regulis Aragonum & Galiciæ,* IMPERATOREM HISPANIARVM *appellant.* Robertus item de Monte anno M. C. LV. *Ludouicus Rex Francorum gratiâ orationis per-*

Lib. 17. Belli sacri num. 9. an. M. C. LII. In Supplemento ad Sigebertum.

rexit ad sanctum Iacobum de Gallicià,& ab IMPERATORE HISPANIARVM, *socero suo, fauorabiliter in Hispaniam susceptus est.* Vincentius de Burgundiâ, dictus Bellouacensis, Ordinis S. Dominici, in Speculo historiali ad annum M. C. LX. *Moritur Regina Franciæ, vxor Regis* LVDOVICI, *filia* IMPERATORIS HISPANIAE, *fœmina vitæ laudabilis, & actibus clara, moribusque perornata.*

Parte 3. l.29. c.3.

Adde quod de Alphonso VII. scripsit ad Innocentium III. Papam his verbis Pertus Mauritius cognomento Venerabilis, Cluniacensis Abbas, & natione Franco-Gallus: IMPERATOR HISPANVS, *magnus Christiani populi Princeps, deuotus Maiestati vestræ filius.* Præerat vir Venerabilis magnæ & amplissimæ totoque orbe diffusæ Congregationi Cluniacensi, eratque tum velut nigrorum Monachorum Patriarcha. Alter quoque pari dignitate & eximiâ vitæ sanctimoniâ vir, Bernardus Clarauallensis, gente Gallo-Burgundus, *Sanciæ, sorori* IMPERATORIS HISPANIAE, scribit. Neque cùm eius discipuli maximo numero, & Franci pars maxima, litterarum eius volumen compingerent, & in ordinem qualem nunc habemus referrent; gloriosum illum feminæ Principi titulum abstulerunt, vtpote sorori ALPHONSI, cui, Christianorum omnium calculo, titulus IMPERATORIS debebatur. De illo denique Ioannes Mariana: *Regnauit annis circiter quinque & triginta:* IMPERII *nomen & maiestatem duobus & viginti annis & mensibus sex tenuit.*

Lib. 4. Epist. 9.

Epist. 301.

Lib. 11. cap. 4.

Lib. cit. ALPHONSVS VIII. septimi ex Sancio Rege filio nepos, Imperatoris titulo decoratur à Roberto de Monte anno M. C. LXXI. *Alienora, filia Regis Anglorum Henrici, ad Hispaniam ducta est, & ab* ALPHONSO IMPERATORE *solemniter desponsata. Huius* IMPERATORIS *illa pars Hispaniæ, quæ Castella dicitur,* REGNVM *est: huius* IMPERII *caput ciuitas Toletum est.*

In Chron. MS. Sub Gregorio PP. IX. De FERDINANDO III. Castellæ & Legionis Rege sic Albericus anno M. CC. XXXIV. *In curiâ Romanâ talem petitionem proposuit* REX CASTELLAE FERNANDVS, *quod* NOMEN IMPERATORIS & BENEDICTIONEM VOLEBAT *habere, sicut habuerant quidam antecessores eius.* Hisce verbis, tamquam nouâ face, omnis caligo discutitur: nam & æqualis auctor & Franco-Gallus Albericus docet, Ferdinandi Regis decessores auctoritate Apostolicâ nuncupatos fuisse Imperatores; atque ideircò benedictionem à summis Pontificibus accepisse.

ALPHONSVS X. Sapiens, Hispaniæ Rex, à Germaniæ Principibus anno M. CC. LVII. electus est Romanorum Imperator. Placet ea referre quæ de inclytâ eius famâ Gaufridus Archidiaconus. Toletanus narrat in Appendice ad Historiam Roderici Toletani nondum vulgatâ:

MS. apud Auctorem.

vulgatâ : *Propter gloriosam famam suam multi nobiles & egregij viri de diuersis mundi partibus veniebant ad ipsum, vt ab eo acciperent cingulum militare : inter quos fuit illustris Rex Angliæ, nomine* ODOARDVS: *qui etiam Infanti, post receptam ab eo militiam, germanam suam, nomine* LEONOR, *multùm magnificè tradidit in vxorem: Nobilis vir* PHILIPPVS, *Imperatoris Constantinopolis filius* : ABOADILLA *Rex Granatæ: Nobilissimi Infantes, Domnus* PHILIPPVS, *Domnus* EMANVEL FERRANDVS, *&* SANCIVS, *qui postmodum in Regno successit, filij Regis Alfonsi prædicti: Egregij viri* ALFONSVS *&* IOANNES, *filij quondam inclyti Regis* IOANNIS DE ACCON : *Nobilis* IOANNES *Marchio Montisferrati; cui etiam filiam propriam nomine* BEATRICEM, *Sororem verò præfati Marchionis, Illustri Infanti* IOANNI, *filio ipsius Regis Alfonsi, tradidit in vxorem: Potens Baro Domnus* GASTONVS *de Biarno: &* RADVLFVS *Comes, qui fuit postmodum Rex Alemanniæ: & alij multi de suis & de diuersis mundi partibus Nobiles & Barones.* Mirandum prorsus, & diuinæ Prouidentiæ penitus adscribendum, quòd RODVLFI COMITIS, posteà Romanorum Imperatoris eius nominis primi, qui in iuuenili ætate constitutus, ictu gladij (more per id tempus passim admisso) ab Rege Alfonso X. eques inauguratus est; illius inquam RODVLPHI, nobilissimi Principis, seri nepotes, Austriaci Principes (qui è Caroli Magni prosapiâ cum prærogatiuâ natalium ante alios Reges sunt oriundi) vtrumque Alfonsi Imperium, Romanum videlicet & Hispanicum, iam pridem obtineant. Vt autem scias, minimè nouum fuisse tunc temporis, externos Principes ad suscipiendum Equestris Ordinis gradum in Hispaniam frequentes aduolare, audi Albericum de Carolo Magno verba facientem anno DCC. XC. *Galafrus Admiraldus Toleti, illum in pueritiâ exulatum, ornauit habitu Militiæ in palatio Toleti.* In Chron.

Ceterùm Reges Hispaniæ Imperiali dignitate fuerunt insigniti; tum quia præcipui Gothorum Regum in Hispanico Imperio cum plenâ auctoritate successores erant, in quo illi Cæsaribus Romanis substituti, ex iustâ Imperatoris HONORII concessione, fuerant; tum quia plura simul Regna possidebant omnino libera, quæque nullum planè Superiorem seu Regem seu Imperatorem agnoscebant : vnde Glossographus Decreti Gratiani ad cap. *Adrianus Papa* hæc habet: *Reges Hispaniæ, cùm non subessent Imperio, Regnum ab hostium faucibus eruerunt.* Contrà, Francorum Regnum haud semper liberum, sed Imperio Cæsaribusque interdum obnoxium fuit, vt statim probatum imus, si priùs de Castellæ Regno ARCANA quædam capita patefecerimus.

Iornandes de Rebus Goticis. Sandoual in Alphonso Rege Aragoniæ. Distinct. 63.

In Anacephal. c.75. Prima itaque & dignior sedes post Imperatorem Romanorum, (quem Alfonsus à Carthagenâ meritò vocat PRIMOGENITVM REGVM) debetur PHILIPPO IV. decessorum iure HISPANIARVM IMPERATORI. Regalem enim potestatem præcedit Imperialis dignitas; vt hanc, Apostolica sublimitas. Alcuinus Epist. 4.

CAPVT XII.

Nobilissimum Castellæ Regnum vindicatur PHILIPPO IV. *Regi Catholico cum supremo omni iure.*

EXPEDIT hoc loco primarium Castellæ Regnum asserere Maximo Regi meo aduersus Francos, & præcipuè Iacobum Cassanum, qui loquitur in hunc modum: *Non est dubium, inter potentiores illustrioresque Europæ regiones Regnum Castellæ in primis eminere: nouos quippe Orbes sibi tributarios effecit: Solis illustratur lumine, cùm is alijs deficit: atque, vt olim Roma vetus, terrarum Domina, Orientem Solem & Occidentem terminos habet:* Lib.1.c.1. Hactenus verè Cassanus; sed inuerecundè prosequitur, cùm addit: *Illa nihilominùs Castellæ sublimitas & potentia gradus est qui coronam Francicam magis attollit: quandoquidem Regnum Castellæ non tantùm Regi Franciæ est obnoxium, sed insuper Coronæ eius partem componit*. Subdit denique, ob eam causam Francos Reges Hispanis semper fuisse prælatos. Cui ad illa deliria, quantumuis plumbeo stupidoque, bilis mascula non intumescat? Falsum induci, veritate oppressâ, nec ferendum nec dissimulandum est. Geminis autem commentum suum fundamentis fulcire Cassanus nititur, ortu nempe Regum suorum à Carolo Magno, & primaru natalium Blancæ Reginæ. Ego sic ad primum: *Aut iure Imperij sua possedit Carolus Magnus, aut Regni: neutro autem modo quidquam vmquam in Hispaniâ possedit: ergo nullum in Hispaniam ius ab illo deriuatum in quemquam fuit*. Quòd in Hispaniâ nihil pro suo agnouerit Carolus, supremæ eius tabulæ testantur, quibus & Regnum suum & Imperium filios inter partitus est; vbi tamen de Hispanicis ditionibus ne verbum quidem. Sed ecce Alberici verba, quibus de amplitudine ditionum Caroli Magni (Hispaniâ exclusâ) certior fias: *Regni* KAROLI *terminus fuit à Bulgaribus vsque ad Hispanias; & à Danis vsque ad Calabros, exceptis quibusdam Regionibus, Polonià, Bohemiâ, Dalmaciâ, Venetiâ & Britanniâ. Et quidquid tenuit* KAROLVS *adhuc duo Regna sunt, Romanorum & Francorum, solâ Pannoniâ exceptâ.* Ersi verò cum illis omnibus Hispaniam etiam Carolus possedisset,

Apud Chesneũ Tomo 2. Script. Franc. pag. 88. In Chron. an. DCCC. XIII.

sedisset, ius omne non ad Francos hodiernos, sed ad Austriacos Hispaniæ Reges iure sanguinis deriuatum esse satis ostendimus.

Venio ad alterum Cassani & sequacium eius argumentum, quod est eiusmodi: *Post excessum* HENRICI I. *Regis Castellæ sine liberis, Regnum Castellæ Coronæ Franciæ fuit adiunctum per successionem legitimam* BLANCAE, *sororis natu maioris* HENRICI *Regis, vxoris* LVDOVICI VIII. *Regis Francorum, patris sancti* LVDOVICI *Regis; à quo rectâ serie ortus est* LVDOVICVS XIII. *Rex. Reges igitur Hispaniæ hodierni Regnum Castellæ aliter non possident quàm ex vsurpatione.* Iuuat audaciam Scriptoris tabellâ ante oculos positâ, & priscâ monimentorum fide firmatâ, refellere. Loc. cit. Vindex Gallicus cap. 16.

Stemma Regum Castellæ & Legionis.

1. Alphonsus VI. Imperator Hispaniæ: vxor Constantia Burgunda.

2. Vrraca iuncta Raimundo Burgundo, Comiti Galiciæ.

3. Alphonsus VII. Imperator Hispaniæ: vxor Berengaria Barcinonæ Comes.

4. Sancius Rex Castellæ: vxor Blanca Nauarra.	4. Ferdinandus II. Rex Legionis: vxor Vrraca Lusitana.
5. Alphonsus VIII. Imperator Hispaniæ & Rex Castellæ: vxor Eleonora Anglica.	5. Alphonsus IX. Rex Legionis: vxor Berengaria, natu maior filia Alphonsi VIII. Castellæ Regis.
6. Henricus Rex Castelllæ, ἄπαις. — 1. Berengaria Regina Castellæ & Legionis. — 2. Vrraca Portugalliæ Regina. — 3. Blanca Regina Franciæ. — 4. Eleonora Regina Aragoniæ.	6. Ferdinandus III. Rex Castellæ & Legionis: vxor Beatrix, filia Philippi Rom. Imp.
	7. Alphonsus X. Rex Castellæ & Legionis, electus Rom. Imper. vxor Violanta Aragonia: à quibus orti sunt Hispaniæ ceteri Reges, vsque ad PHILIPPVM IV.

Vt in solemni iudiciorum ritu, in quibus de facto quæritur, tabulæ adhibendæ, testesque producendi sunt; sic auctores ad huius stemmatis veritatem stabiliendam proferendi. Dicit igitur Rodericus Ximenez Archiepiscopus Toletanus, BERENGARIAM Castellæ Reginam, fuisse filiam primogenitam Regis ALPHONSI VIII. sic enim ille, vbi agit de funere Fernandi Infantis, cui ipse interfuit anno M. CC. XI. *Sepultus est in Monasterio S. Mariæ Regalis, prope Burgis; à* RODERICO *Toletano Pontifice, & multis Episcopis & Magnatibus secularibus* Lib. 7. cap. 36.

laribus & religiosis, excellentissimâ SORORE SVA BERENGARIA REGINA *(ad quam posteà* REGNVM CASTELLAE SVCCESSIONE *peruenit) impendente liberaliter & decenter officium funeris & honoris, & gemitus doloris*. Castellæ ergo Regnum successione peruenit ad BERENGARIAM, quia erat filia natu maior Regis Alphonsi VIII. vt alio loco, post narratum Henrici Castellæ Regis obitum, idem Ro-
Lib.9.c.5. dericus disertè: *Cùm autem audisset* REGINA [BERENGARIA] *potiores extremorum Dorij, & de vltra Serram Socobiæ conuenire, misit nuntios, qui eis fidelitatis debitum suaderent: cumque viri extremorum Dorij hoc audissent, venire ad Reginam nobilem continuò consenserunt; & cùm ad vallem Oleti communiter conuenissent, ibidem tam extremorum Dorij potiores, qui pro omnibus venerant, quàm etiam Magnates & milites Castellani, communi consensu* REGNVM CASTELLAE, *fidelitate debitâ*, REGINAE *nobili obtulerunt: ipsi enim decedentibus filijs*, CVM ESSET INTER FILIAS PRIMOGENITA, *Regni successio debebatur: & hoc ipsum* PATRIS PRIVILEGIO *probabatur, quod in armario Burgensis Ecclesiæ seruatur: & etiam totum Regnum, antequam Rex haberet filium, bis iuramento & hominio hoc firmarat. Ipsa autem intra fines prudentiæ & modestiæ supra omnes mundi Dominas se coarctans, Regnum sibi noluit retinere: sed extra portam vallis Oleti, eductâ multitudine extremorum Dorij & Castellæ, vbi forum agitur, conuenerunt, eò quòd tantam multitudinem domorum angustia non ferebat: & ibidem filio Regnum tradens, Infans* FERNANDVS, *de quo diximus, omnibus approbantibus, ad Ecclesiam sanctæ Mariæ ducitur, & ibidem ad Regni solium sublimatur anno ætatis suæ decimo octauo, Clero & populo decantantibus, Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Et ibidem omnes ei fecerunt hominium, & fidelitatem Regi debitam iurauerunt, & sic honore Regio ad Regale Palatium est deductus.*

Florebat sub idem maximè tempus Rodericus Archiepiscopus,
Lib. 13. cap. 5. *cuius*, inquit Mariana, *semper in Hispaniâ viuet auctoritas*; fuitque Al-
Vide Rodericum phonsi VIII. & IX. & Ferdinandi III. Regum, aulæ perquam fami-
lib.7.8.9. liaris: Alphonsi enim VIII. morientis confessionem audiuit, viatici Sacramentum ministrauit, eumque Burgis sepeliuit anno M.CC.XIV. Præterea Ferdinandi III. Berengariæ filij perpetuus in bellis contra Saracenos comes fuit, eique Historiam suam, absolutam à se anno M. CC. XLIII. inscripsit. Æquali igitur Scriptori magnæ auctorita-
Tom. 1. tis Præsuli (quem Zurita vocat *valdè grauem & certum auctorem*) in
lib.1.c.37. rebus, quas ipse vidit, maiorem deberi fidem, quàm musteis quibusdam seu Hispanis seu Francis, nemo negauerit: præsertim cùm Genealogus insignis, & natione Franco-Gallus Albericus, etiam tempore

par

par (quippe qui Chronicum suum absoluit anno M. CC. XLI.) idipsum clarè doceat, vbi sic de Alphonso Rege VIII. qui, proptereà quòd puer regnare cœpisset, *Paruus Rex* cognominabatur. *Hic itaque Rex Paruus de sorore Regis Angliæ* RICHARDI *(quæ dicta est* ALIENOR, *& fuit etiam soror ex aliâ parte Comitissæ Mariæ Campaniensis) genuit* HENRICVM, *qui iuuenis obiit, & quinque sorores illius.* PRIMA *dicta est* BERENGARIA, *quæ Regi Legionensi, id est Galliciæ, peperit* FERNANDVM, *successorem Regis Parui in Castellâ & Toleto; & fratrem illius; & illam, quam Rex Ierusalem* IOANNES *in vxorem* NOVISSIME *accepit.* SECVNDA *fuit* VRRACA, *Regina Portugalliæ.* TERTIA *fuit* BLANCA, *Regina Franciæ.* ALIENOR *dicta est quarta, Arragonum. Quinta* CONSTANTIA *Monialis.* Albericus ad annum M.CC.XII.

Accedit alter magni nominis & venerandæ probitatis Pontifex, qui ante annos ducentos viguit; is est Alphonsus à Carthagenâ. cuius verba sunt: *Mortuo* ENRICO DEFEREBATVR REGNVM CASTELLÆ AD BERENGARIAM *sororem eius: sed illa, vt nobilissima Domina, cessit Regnum* FERNANDO *filio suo, qui veniens à Legione, vbi cum patre morabatur, in Regem Castellæ receptus est.* Non aliam porrò ob causam, Henrico vitâ functo, Regnum ad Berengariam deferebatur, quàm quòd ipsa Alphonsi VIII. Regis primogenita esset: id quod etiam clarè affirmat Rodericus Santius Areualus, Palentinus in Hispaniâ Episcopus, vbi ait: *Anno XVI. Regni sui* ALFONSVS FERDINANDI *pater decessit: cui* FERNANDVS *ipse successit in Regno Legionis: in Regno verò Castellæ successit ex prædictâ Dominâ* BERENGARIA FILIA PRIMOGENITA *inclytissimi VIII.* [ALFONSI] *Regis Castellæ. Itaque Regnum Castellæ dictæ Dominæ* BERENGARIÆ NATVRALI *optimoque* IVRE *debebatur. Sic igitur* FERDINANDVS *ex Patre in Regno Legionis, ex* MATRE *in Castellâ regnauit: fueruntque in eius personam Regna vnita. Quæ vnio & reintegratio Monarchiæ Hispanicæ facta est anno Domini* M. CC. XXXII. Dixerat præcedenti capite Santius: *Inclytus* FERNANDVS, *filius* BERENGARIAE, *vt* IVSTVM *&* DEBITVM *erat, in Regem Castellæ feliciter est assumptus.* Cap. 83. Parte 3. cap. 39. Cap. 38.

Hæc tam plana & concepta Santij Præsulis verba manifestè ostendunt illa, quæ posteà sub eius nomine adferuntur in contrarium, vbi agitur de Alphonso X. Rege, germano eius contextui à recentiore quopiam temerè adiecta esse: quibus quippe non dicta pro dictis ipsi Santio affinguntur, quæ nec memorantur à Gaufrido Archidiacono Toletano, Roderici Archiepiscopi Continuatore, Alphonsi X. Regis æquali, qui se res visas narrare profitetur; neque à Carthagenâ, qui eodem Santij sæculo floruit ac scripsit. Parte 4. cap. 4. fin.

Insistit

Insistit demum insignium virorum vestigijs eruditus sæculi nostri Scriptor, idemque sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Canonicus, Salazar de Mendoça, cùm Alphonsi VIII. & Eleonoræ Anglicæ femininas proles enumerat hoc ordine: BERENGARIA *quæ in Regnis successit:* BLANCA *Franciæ Regina, vxor Ludouici VIII.* VRRACA *Regina Lusitaniæ, &c.* Iustè in primo loco ponit Berengariam; rectiùs in secundo collocasset Vrracam, & Blancam in tertio; quemadmodum scienter æqualis Albericus. Genealogicum Alberici ordinem ferè sequitur Hieronymus de Aponte in MS. Genealogico, cui titulus, *Luzero de Nobleza*, qui Alphonsi illius Regis proles recenset hac serie:

Lib. 1. Orig. Castellæ & Legionis.

Cap. de Regibus Castellæ.

1. *Domina Berengaria.*
2. *Dominus Sancius, obijt puer.*
3. *Domina Vrraca, vxor Alphonsi Regis Portugalliæ.*
4. *Domina Blanca, Regina Franciæ, mater S. Ludouici Regis.*
5. *Dominus Fernandus, improlis mortuus.*
6. *Domina Mofalda.*
7. *Domina Constancia, Monialis.*
8. *Domina Leonora, vxor Iacobi Regis Aragoniæ.*
9. *Dominus Henricus, obijt Rex Placentiæ, sine liberis.*

Sanmarth. lib. 7. c. 1.

Ceterùm litteræ Procerum Hispaniæ, quæ ex Francorum archiuis contrà producuntur, Blancam filiam Alphonsi Regis primo loco genitam fuisse non probant; solumque testes sunt turbarum, quas in Berengariam natu maiorem viri Nobiles excitabant, propterea quòd penes illam fratris Henrici pueri remanserat gubernatio, ad quam ipsi, despecto sexu sororis, inhiabant; quemadmodum & ad custodiam Infantis Fernandi, filij Berengariæ, Regis futuri: vt sic nempe concepta in alios magnates odia palàm & impunè exercerent: quibus illi fouendis tumultibus, obductâ iuris falsâ specie, Francos vocabant, qui vanis scriptionibus audientes non fuêre.

Rodericus testis oculatus l. 9. c. 1. & 4.

Denique, quòd PHILIPPI IV. Regis non tantùm legitimâ successione, sed supremo iure, inclytum Castellæ Regnum proprium sit, patet inde, quòd vbi Fernandus II. Rex Legionis Sancium Castellæ Regem, fratrem suum, aliquando adijsset, rogans ne Regni sui fines inuaderet, alioqui fore, vt ipsi hominium præstare eligeret; respondit Fernando Sancius: *Absit à me vt terram, quam pater meus vobis contulit, meæ subijciam potestati: vel frater meus, filius tanti patris, alicui hominio sit adstrictus.* Regia mehercle & fraterna verba! è quibus erudito cuiuis, & à nimio affectu libero, argumentum hoc, in primis validum ac potens, licet elicere: nimirum, si Legionense Regnum, quod natu minoris filij ratam portionem constituebat, ab omni hominio liberum

Rodericus lib. 3. c. 13.

liberum erat; quantò magis Castellanum, quod natalium prærogatiuâ ad maiorem pertinebat? Et verò de Ferdinando III. cui Regnum vtrumque successionis iure obuenerat, hæc Rodericus Archiepiscopus tradit: *Tertiâ die ante festum sancti Andreæ, in Regali Monasterio prope Burgis, celebratâ missâ à Venerabili Mauricio Burgensi Episcopo, & armis militaribus benedictis*, IPSE REX, SVSCEPTO GLADIO AB ALTARI, MANV PROPRIA SE ACCINXIT *cingulo militari*. Insoliti ritus mysterium haud aliud fuit, quàm vt Rex ab altari gladium accipiendo, & manu propriâ se accingendo, testaretur se sua Castellæ & Legionis Regna nemini vmquam mortalium, sed vni solique Deo accepta retulisse. Minùs accuratos fugerunt hæc; me non item, qui nulli labori parco aut vmquam parcam, vindicandæ Maximi Regis PHILIPPI IV. Domini mei dignitati, maiestatique, appetitæ ab hostibus tam procaciter, vt & auitum diadema inuidere, adeoque ipsi auferre præsumpserint. Lib. 9. cap. 10.

CAPVT XIII.

Regnum Franciæ ab initio Cæsares coluit ac recognouit; medijs item sæculis, ac etiam postremis.

DE CLODOVEO primo Rege, qui primus in Gallijs potestatem dilatauit, ita Gregorius Turonensis, antiquissimus & fidelissimus Francorum Scriptor: *Ab* ANASTASIO IMPERATORE *codicillos de Consulatu accepit, & in Basilicâ beati Martini tunicâ blatteâ indutus est & chlamyde, imponens vertici diadema: tunc ascenso equo, aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrij & Ecclesiam ciuitatis est, præsentibus populis manu propriâ spargens, voluntate benignissimâ erogauit, & ab eâ die* TAMQVAM CONSVL ET AVGVSTVS *vocitatus est. Egressus autem à Turonis Parisius venit, vbi cathedram Regni constituit.* Expendamus hunc ritum singillatim. Lib. 2. cap. 38. anno D. VIII.

Clodoueum rescripto Cæsareo promouit ad Consulatum Imperator Anastasius, [1] *fastigium dignitatum*, [2] *potissimumque magistratum*; non quidem ordinarium, qui daret nomen Fastis, sed *honorarium & reseruatum*, [3] *præmium virtutis, fidei, beneuolentiæ & officij erga omnium Dominos*. De quâ codicillari Consulis dignitate vide sis Nic. [4] Alemannum. Acceptis Codicillis, Clodoueus tunicâ purpureâ indutus est & chlamyde, regiæ dignitatis insignibus, atque habitu,

———— *quo* [5] *iungitur aulæ*
Curia, qui SOCIOS PROCERES *cum Principe nectit.*

[1] Cassiod. l. 2. Ep. 2.
[2] Simmachus l. 2. Ep. 63. lib. 10. Ep. 44.
[3] Iulianus in Euseb. Encomio.
[4] In Notis ad Histor. arc. Procopij.
[5] Claud. in Paneg. Manlij.

Clodoueus deinde capiti suo diadema, Regum antiquorum peculiare gestamen, imposuit; scilicet absente Imperatore: cui soli ius competebat noui Regis vertici insigne illud circumponere. Caius enim Caligula Agrippæ, Τὸ τῆς Ἰουδαίων ἀρχῆς τὸ διάδημα περιτίθησι: *Iudæorum Regni frontalem vittam circumposuit*. Et Romæ Nero Teridatem Armeniæ Regem faciens, καθιζηθέντι αὐτῷ ὑπὸ τοὺς πόδας διάδημα ἐπέθηκε, *ei ad pedes sedenti imposuit diadema*. Id autem erat, βλάπιον μετὰ λίθων καὶ μαργάρων, καὶ τὸ τοῦ βασιλέως πρόσωπον κύκλῳ μὲν, δεδεμένον δ' ὄπισθεν περὶ τὸν ἐγκέφαλον· διὸ καὶ ἐκαλεῖτο διάδημα: *lata vitta ex vnionibus & margaritis, posita quidem in Regis fronte, sed circa cerebrum retrò ligata; vnde & diadematis, quasi ligamenti, nomen obtinuit*. Eumdem morem Sigebertus ostendit de Carolo Caluo ad annum DCCC. LXXVIII. KAROLVS IMPERATOR *Romam secundò profectus*, BOSONI, *germano vxoris suæ, neptem suam, filiam* LVDOVICI *Imperatoris, vxorem dedit: & datâ ei* PROVINCIA, *in Regem eum* CORONAVIT; *vt etiam* REGIBVS IMPERARE *videretur*.

Iosephus lib. 8. c. 8. — Dio l. 63. — Codinus cap. 6. num. 33. — In Chron.

Addit Gregorio Turonensi Fauchetus, Præses Franco-Gallus, *Anastasium vnà cum Patriciatu* (seu veriùs Consulatu) *misisse Clodoueo illa Regiæ dignitatis insignia, vt maneret in possessione iuris & superioritatis, quam in Gallias Cæsares obtinebant: Gallos Episcopos Imperatoriam maiestatem comiter tum coluisse: nouos Reges* CORONAM *sibi imponere haud solitos, nisi quæ à maioris manu & munere prodiret*.

Lib. 2. cap. 22.

Mox ascenso equo Clodoueus aurum & argentum populis præsentibus sparsit: Ὅσοι εἰς τὸ ὑπατεῖον καθίσταντο (Leonis Imperatoris verba sunt) ὑπὲρ, ἐκ τοῦ ἀξιώματος, αὐτοὶ προσέλαβον φιλοτιμίας, ἀντιδωρεῖσθαι τῇ πολιτείᾳ ἀξιοῦντες, φιλοτίμους δωρεὰς τοῖς πλήθεσι κατεσπάθων: *Quibus Consulatum gerere obtingeret, pro honore, quem ex dignitate perciperent, remunerare Rempublicam volentes, liberalia promiscua plebi munera elargiebantur*.

Constitut. 94.

Ab eâ autem die Clodoueus non *Augustus* absolutè, sed *tamquam Consul & Augustus* vocitatus est. Solebant enim sequioris æui Imperatores, cùm primùm inaugurati erant, perpetuam Consulatus dignitatem Augustæ adiungere Maiestati. *Princeps Consule crescebat*, inquit Sidonius. Vnde quia Clodoueus Cæsaris more ac beneficio Regni Franciæ decus & honorem Consulatus copulauerat, cum particulâ similitudinis, non identitatis, applausum dante populo, *tamquam Consul & Augustus* vocitatus est.

In Panegyr. Maioriani.

Denique Faucheti sententiam firmant quæ statim sequuntur apud Gregorium de Clodoueo: *Egressus à Turonis Parisius venit, vbi Cathedram Regni constituit*: cuius nempe Regni insignia ab Imperatore missa Turonis assumpserat, ijs haud multum absimilia, quæ Zathi

Lazorum

Lazorum Regi Iustinus Cæsar non multò pòst concessit. erant autem hæc: *Corona gemmis stellata; vestis talaris deaurata; rubei calcei; mitra auro & lapillis distincta; clamys candida, aurò intertexta, cum fimbrijs baccatis.* Ibi Græcus auctor στεφάνω vsurpat pro diademate, quod fronti prætendebatur; μίτραν pro tiarâ, quæ caput operiebat vt pileus. Persarum etiam Reges vtrumque simul gestabant.

Agathias lib. 3.

Captant effugium recentiores quidam, & asturè dicunt, Clodoueum diadema seu coronam ab Anastasio Imper. sibi transmissam, beato Petro dono misisse, vt Francorum Regnum non à Cæsare, sed à Deo solo acceptum testaretur. Audiamus Hincmarum Remensem, qui muneris Clodouini primus è Francis mentionem instituit: *Huius sancti Hormisdæ Pontificatus tempore* CHLUDOVICUS *Rex gloriosus* CORONAM AUREAM *cum gemmis, quæ* REGNUM *appellari solet, beato Petro S. Remigio suadente direxit.* Subscribit eiusdem sæculi Scriptor Anastasius Bibliothecarius: *Venit* REGNUM *cum gemmis pretiosis à Rege Francorum* CLODOVEO *Christiano, donum beato Petro Apostolo.* Neuter ait *Regnum*, quod S. Petro Clodoueus misit, fuisse diadema, quod ab Imp. Anastasio acceperat: quinimò docet Bullengerus Regnum fuisse coronam triplicem, sursum clausam *(epanotlistum:)* quâ formâ numquam gestata est corona à primæ stirpis Francorum Regibus; quippe qui vel aureo circulo omnis ornatus experte galeam circumdabant, vt obseruauit Marcus Vulsonius Colomberius nobilis Franco-Gallus; vel certè gemmato diademate caput redimitum habebant, vt planum fit ex Chlotarij I. Regis, magno Chlodoueo geniti, numulo aureo, quem, [1] Peireskij dono, Paulus [2] Petauius publici iuris fecit, hac figurâ,

Philippus Moreau, & alij.

In Vitâ S. Remigij.

In Hormisdâ sub an. D.XIV.

Opusc. l. 1. c. 4. l. 2. c. 14.

Scientiæ Heroicæ c. 37. n. 1.

[1] Gassendus in Vitâ Peireskij lib. 2.

[2] In veterum nummorum gnorisma-te.



Erat autem moris in Ecclesiâ antiquissimi, Deo & sanctis coronas offerre, argumenta cultus, venerationis, obsequij. Romæ omnes pænè veteres Ecclesiæ habent circum fornicem seu arcum maiorem, vt vocant, picturam Christi, quem vigintiquatuor seniores (iuxta visionem S. Ioannis in Apocalypsi) CORONAS attollentes circumstant & acclamant: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem.* Apud Gregorium Turonensem, *Thimus quidam rabidus, instinctu dæmonis actus,* CORONAM *sepulcri, quæ Sancti meritum declarabat, violenter eripuit.*

Ioan. Macarius l. 1. Hagioglypt. MS.

Lib. 1. de Mirac. S. Martini cap. 2.

 Constan-

Anastas. Biblioth. Constantinus Magnus (binis ante Clodoueum sæculis) *obtulit coronam auream ante corpus Beati Petri Apostoli.* Mauritius Imper. aliud
Zonaras. *inæstimabilis pretij* στέμμα *Deo in Ecclesiâ dicauit*. Sergius II. PP. *obtulit Regnum de argento cum tintinnabulis, habens in medio crucem cum palumbâ*. Et passim apud Anastasium Bibliothecarium corona triplex
Serm. 1. de S. Syluestro. Pontificia *Regnum* appellatur. Vnde sic Innocentius III. PP. *Romanus Pontifex in signum Imperij vtitur Regno; & in signum Pontificij vtitur Mitrâ*. Alio item loco: *Ecclesia sponsa in signum spiritualium contulit*
Serm. 1. de coronâ Pontif. *mihi Mitram; in signum temporalium dedit mihi Coronam; Mitram pro Sacerdotio, Coronam pro Regno; illius me constituens Vicarium, qui habet in vestimento & femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominan-*
Lib. 2. Commét. *tium*. De eadem Pontificali coronâ ita Iacobus Cardinalis Papiensis agens de Paulo II. PP. *Gemmis lapillisque admodum delectatus, in quibus eius erat voluptas, conquisitis vndique pretiosissimis,* MITRAM, *quæ tribus educta coronis* REGNVM *appellatur, atque à Pontificibus multis antè sæculis desita erat gestari*, NOVAM *confecit atque adhibuit; cuius hodie, licitantium opinionibus, ampliùs centum & viginti millium est æstimatio*. Ex quibus perspicuè apparet, *Regnum*, quo supremus Christi Vicarius hodie vtitur, non esse coronam à Clodoueo Rege missam, sed nouam à Paulo II. PP. fabricari iussam, qui sedit ab anno M. CD. LXIV. ad LXXI. Quinimò summos Pontifices coronâ triplici vsos iam ab Apostolorum temporibus, non à Clodouei dun-
Antiquit. Iudaic. lib.3.c.11. taxat æuo, colligitur ex Iosepho (qui sub Vespasiano Imper. floruit) vbi de Sacerdote summo ita loquitur: *Pileo vtebatur quali cæteri Sacerdotes; super quem extabat alius consutilis ex hyacintho variatus: hunc* CORONA TRIPLICI ORDINE *circumdabat; in quâ spectabantur calyculi aurei, quales videmus in herbâ, quæ apud nos Daccharus, apud Græcos*
Anno XXXIV. num. 295. 296. *Herbarios Hyoscyamus*. Illud autem capitis ornamentum (inquit Baronius) Sacerdotibus antiquæ legis concessum, in amplius ac perfectius Christianæ legis sacerdotium translatum est.

Aimoinus lib.1.c.24. Clodoueus igitur, postquam *per annum continuum febre laborasset*, suasu S. Remigij, voti reus, ac non indeuotus & vacuus adorator, misit S. Petro, siue S. Petri Ecclesiæ, Pontificiam triplicis ordinis coronam; vt præterea ante excessum è vitâ (qui contigit anno Christi D. XIV. quo Hormisda Pontifex inauguratus est) Sedis Apostolicæ auctoritatem plusquam regiam agnosceret, seque spiritualem Ecclesiæ filium esse eo munere testaretur; non autem vt apertum diadema, per quod ab Anastasio Imp. de Regno Franciæ ante annos sex fuerat inuestitus, despicatui haberet.

Addo minoris in maiorem obsequij atque subiectionis exemplum:

plum: HERACLIVS *Imperator, sapiens in liberalibus artibus, & maximè in Astronomiâ,* MANDAVIT DAGOBERTO (Francorum Regi) *ut Hebræos de Regno suo exterminaret: quod libentissimè Dagobertus fecit.* Clarum est autem, eum qui obtemperat ab illo pendere qui mandat. Sed iam ad media sæcula. Andreas Marchian. in Chron. Dinterus l. 1. c. 18.

Albericus de Ludouico Pio anno DCCC. XXXVIII. *Imperator* LVDOVICVS *inter filios suos quatuor diuisit* IMPERIVM; *& Lothario quidem Italiam; Ludouico autem Germaniam atque Saxoniam; Pipino Aquitaniam; Karolo verò* FRANCIAM *atque Burgundiam delegauit.* Auctor Chronici Weingartensis, nec non & alter de Guelphis Principibus, sic de Iudithâ Ludouici Pij vxore: *Genuit* CAROLVM *Caluum, qui in diuisione* IMPERII *Regnum Franciæ obtinuit.* E quibus agnoscas oportet, Regnum Franciæ iam tum fuisse partem Romani Imperij: de cuius alterâ diuisione, simul & Francici Regni, sic Otto Frisingensis: LOTHARIVS *Imperator tribus filijs Regnum quod eum contigerat partitur; Ludouico Italiam cum nomine Imperatoris; Lothario Lotharingiam; Karolo Prouinciam tradens. Vide ad quantum defectum* ROMANVM IMPERIVM *deuenit, ut in tres partes* FRANCORVM REGNO *diuiso, tertiæ partis tertia pars fuerit.* In Chron. Anno DCCC. LIV.

Sigebertus Gemblacensis sub annum DCCC. LXXX. post mortem Ludouici Balbi narrat, *de Regno eius* (quod Franciæ Occidentalis erat) *Francos variè sensisse; alijs illud filijs Ludouici Balbi ex concubinâ deberi iudicantibus; alijs Bosoni Prouinciæ Regulo ad illud iniustè inuadendum assentientibus; alijs verò* ILLVD REGNO GERMANIAE RESOCIARE *volentibus:* à quo scilicet auulsum non ità pridem fuerat, vti pars à toto auelli solet. In Chron.

Iterùm Gemblacensis anno DCCC. LXXXV. *Karlomanno Francorum Rege mortuo, Northmanni Franciam repetunt, dicentes se cum Rege Francorum tantùm, non cum Francis, pacis pepigisse pactum. Hinc compulsi* FRANCI KAROLVM IMPERATOREM *ad auxiliandum sibi inuitantes,* FRANCIAM EI SVBIICIVNT.

De Odone, Roberti Fortis filio, qui è stirpe Welphicâ primus in Franciâ sceptrum obtinuit, sic Hermannus Contractus anno DCCC. LXXXVIII. ODO ARNOLPHVM *Regem Franciam petentem* HVMILITER ADIENS, *& benignè susceptus,* PERMISSO EIVS INVASVM *retinuit* REGNVM. Witichindus Saxo: *Huic* [Arnulpho Imperatori] ODO *diadema & sceptrum & cætera regalia ornamenta obtulit, Imperiumque* DOMINI SVI *gratiâ* IMPERATORIS ARNVLFI *obtinuit.* Otho Frisingensis de eodem Arnulpho anno DCCC. XCIII. *Occidentalem Franciam* ODO EIVS AVCTORITATE *habuit.* Rursum Si- In Chron. Lib. 1. Lib. 6. cap. 11.

gebertus anno DCCCC. XXII. KAROLVS *Rex Francorum cum auxilio Lotharienſium iuxta vrbem Sueſſionis pugnans contra* ROBERTVM, *fratrem Odonis Regis, qui contra ſe Regnum Francorum inuadebat, eum cum multis perimit,* & SE & FRANCIAM HENRICO *Regi* SVBMITTIT; nempe Henrico I. Aucupi Imperatori. Sed & LVDOVICVS IV. Franciæ Rex OTHONIS I. Imperatoris præceptioni ſe ſubmiſit in Engilheimenſi Synodo. de quo ſic Flodoardus æqualis ſcriptor ſub annum CM. XLVIII. *De his omnibus malis, quæ poſt Regni ſuſceptionem paſſus fuerat, ſi quis obijceret, quòd ſui facinoris cauſâ eidem fuiſſent illata, inde* SE *iuxta Synodale iudicium* & REGIS OTHONIS PRÆCEPTIONEM *purgaret; vel certamine ſingulari defenderet.*

In Chronico.

Ruſum audiendus idem Flodoardus ad annum CM. LI. *Intereà* FREDERICVS, *Adelberonis Epiſcopi frater, qui filiam* HVGONIS *Principis ſibi deſponderat, in hoc Regnum veniens, munitionem in loco, qui dicitur Banis, inconſulto* REGE *vel* REGINA *conſtruere cœpit; & loca circumpoſita crebris deprædationibus diripit. Pro quâ re valdè moleſtus Rex* LVDOVICVS *legationem ſuam dirigit ad* OTHONEM. *Legati Regis* LVDOVICI *ab* OTHONE *regreſſi nuntiant, nolle, imò prohibere* OTHONEM *Regem, ne* FREDERICVS, *vel aliquis ſuorum, vllam munitionem in hoc Regno habeat, niſi conſenſum Regis* LVDOVICI *ſuper hoc obtinere queat.* Ne Fridericus Lotharingus arcem conſtrueret in Regno Franciæ, opus fuit inhibitione ſeu interdicto Othonis Imperatoris.

In Chronico.

Willelmus Nangius, è religioſo cœtu S. Dionyſij in Franciâ, ad annum CM. LXXXV. LOTHARIVS *Rex videns* OTHONEM IMPERATOREM *virtute ſuorum militum proficere,* MANDATIS EIVS ET APICIBVS OBTEMPERANS, *Virdunum vrbem reddidit, & Godefridum Comitem de carceribus liberauit.* Apices erant maiuſculi characteres, qui venuſtis quibuſdam implicationibus componebant Cæſaris μονογράμμων, quo Sanctiones & Reſcripta cum ſacro encauſto muniebantur. Itaque Lotharius Franciæ Rex ſacris apicibus & mandatis Othonis III. Cæſaris obſecutus non fuiſſet, ni ſupremam in eum & eius Regnum auctoritatem Imperator habuiſſet.

Affirmare igitur, Francos, & Regem Franciæ SE & FRANCIAM Imperatoribus SVBIECISSE & SVBMISISSE; illorum PERMISSV & AVCTORITATE Regnum habuiſſe, & INVASVM retinuiſſe; Reges Franciæ Imperatorum mandatis & apicibus obtemperaſſe; quid eſt aliud, quàm Regnum & Reges Franciæ Imperio obnoxios fateri? Subiectionem illam idcircò renouare cogitabat HENRICVS VI. Cæſar. de quo ſic Rogerus de Houeden ſub finem duodecimi ſæculi: *Notum erat Regi Angliæ, quòd prædictus* IMPERATOR

In Richardo I Rege Angl.

RATOR *super omnia desiderabat, vt Regnum Franciæ Romanorum Imperio subijceret.*

Adde, quòd Bonifacius Papa VIII. cùm Philippum Pulcrum Regem interdicto mulctasset (tradente Æmylio) *Francorum Regnum, velut solio vacuo, iuri ditionique Imperij Augustorumque attribuere, adiudicare & addicere se effatus est.* Dinterus Æmylio antiquior disertis verbis: *Anno Domini* M. CCC. *in die Assumptionis B. Mariæ in Augusto, Papa* BONIFACIVS *Anagniæ residens Regem Franciæ excommunicatum nunciari mandauit, Regique* ALBERTO *Regnum Franciæ verbo subiecit.* Meyerus deniq; primùm de Sigismundo Imperatore an. M. CD. XVI. *Vtinam totam Galliam Imperio, vnde ablata est, valuisset reddere, execrandisque seditionibus tandem terminum ponere; magnam salutem Christianæ attulisset Reipublicæ.* Deinde de Ludouico XI. Franciæ Rege anno M. CD. LXXVI. *Tam latos & spaciosos* IMPERII FINES RETINET, *& longam & inueteratam iam possessionem nactus est, vt quælibet, & quantumlibet grauia, collationum & vectigalium onera & tributa subditis imponere possit pro solo nutu & voluntate suâ; ita vt nemo in Regno, nec Prouincia quidem vna, sed nec plures simul, aut etiam omnes, contra minimum suorum quæstorum vllo pacto audeat mutire: in tantam enim* SERVITVTEM *suâ inertiâ & multâ patientiâ tyrannorumque immanitate sunt redacti.* In tantum ergo creuit Francica potentia ex occupatis Imperij fundis; è quorum prouentibus & gentibus in ipsum Imperium, cui tam multa debet, arma contorquet.

Lib. 8. Bellefo-rest. Tom. 1. l. 4. c. 43. Lib. 5. c. 4. Lib. 13. Annal. Lib. 17.

Regnum Arelatense in Galliâ terra est ac membrum Imperij.

REgnum Burgundiæ nouum, quod *Arelatense* Scriptores vocant, iuris est Imperialis, donatione Rodulphi III. Regis Henrico II. Conrado II. & Henrico III. Imperatoribus factâ. de quâ sic meminere veteres Chronographi. Dithmarus Merseburgi Episcopus, æqualis auctor: *Iam loquar Imperatoris nostri* [HENRICI II.] *prosperitatem: auunculus namque suus, Burgundionum Rex* RODVLPHVS, *coronam suimet & sceptrum (cum vxore suâ, priuignis ac Optimatibus vniuersis) sibi concessit; reiteraturque sacramenti confirmatio: actumque est istud Moguntiæ.*

Lib. 7. Chron.

Wippo, qui eo tempore viuebat, de congressu Conradi Salici Imperatoris, & Rodulphi III. Burgundiæ Regis, in ciuitate Basileâ: *Confirmatâ inter eos pace, G I S E L A Imperatrice hæc omnia meditante, Regnoque Burgundia Imperatori tradito, eodem pacto, quemadmodum priùs ante-*

In Vitâ Conradi Salici.

antecessori suo HENRICO *Imperatori datum fuerat; Rex iterùm donis ampliatus, reuersus est in Burgundiam.* Sigebertus anno M. XXXV. *Rex* RODVLFVS *Regnum Burgundiæ* CONRADO *Imperatori tradidit: quod à tempore Arnulfi Imperatoris per annos plusquam* C. XXX. *gentis suæ Reges tenuerant: sicque Burgundia iterùm redacta est in Prouinciam.*

In Chron.

Lib. 6. cap. 30. Otho Frisingensis: *Eâ tempestate* RVDOLPHVS, *Burgundiæ seu* GALLIÆ LVGDVNENSIS REX, *moriens*, HENRICO *filio Regis* [Conradi] *nepoti suo, Regnum cum diademate aliisque insignibus sub testamento reliquit.* Wibertus Archidiaconus in Vitâ sancti Leonis PP. IX. *Odone, vicinæ Marchiæ Francorum Comite, per bellicosum patriæ nostræ Ducem Gozilonem turpiter morti tradito, pax per hunc beatum Præsulem non solùm Lotharingiæ Regno, verùm etiam adiacentibus Prouinciis restituta: nam eius intercurrente sapientiâ, legatione, consilio, apud* ROBERTVM *Franciæ Regem*, ROMANO IMPERIO *&* REGNO AVSTRASIÆ IVRENSIS BVRGVNDIA, *quam* RVDOLPHVS *Rex tenuerat, adiuncta.*

In Chron. Albericus anno M. XLVI. *Abbas Halinardus S. Benigni Diuionensis factus est Archiepiscopus Lugdunensis* (ab Imperatore HENRICO, addit Vignerius:) *& quia ciuitas Lugdunensis tunc erat sub Imperatore, Dominus Halinardus Curiam Imperatoris adiit pro regalibus suis accipiendis. Imperator iam erat in procinctu Romani itineris, & voluit vt Archiepiscopus, secundùm morem, iuraret ei fidelitatem: ille dixit se esse Monachum, nec debere facere iuramentum. Dictum est, vt vel ad minus se offerret ad iuramentum: respondit se non debere simulationem facere. Tandem mediantibus Episcopis, Theoderico, antequam moreretur, Metensi; Brunone, Tullensi; Richardo, Virdunensi; Imperator pro suâ religione iuramentum ei quitauit, deinde Romam abiit.*

In Chron. Burgund.

Lib. 1. cap. 11. Radeuicus Frisingensis anno M. C. LVII. FRIDERICVS *Imperator ad ordinanda Imperii negotia in Regno Burgundiæ animum intendit. Cumque Burgundia aliquando per se fortes Reges habuisset, & per eos suis gentibus præcepta dare solita fuisset;* EX APPETITV LIBERTATIS, *quæ, vt dicitur, res inæstimabilis est, iam dudum insolentiam & desuetudinem induerat obsequendi. Ea itaque terra, quæ non nisi multo labore & bellico sudore subigenda putabatur, ita Deo ordinante paruit, quòd (nisi alia in Regno disponenda Imperatorem retraxissent) familiariter & cum paucis vsque* ARELATVM, SEDEM REGNI BVRGVNDIÆ, *properare potuisset. Denique (quod modò viuentium excedit memoriam hominum aliquando contigisse)* STEPHANVS *Viennensis Archiepiscopus & Archicancellarius de Burgundiâ, &* ERACLIVS *Archiepiscopus & Primas Lugdunensis, &* ODO *Valentinus Episcopus, &* GAVFREDVS *Auinionensis, &* SILVIO *magnus Princeps & præpotens de Clariâ, tunc ad curiam venientes,*

nientes, FRIDERICO FIDELITATEM FECERVNT ATQVE HOMINIVM, *& beneficia sua de manu illius reuerenter susceperunt: Arelatensis autem Episcopus, & alij omnes Archiepiscopi, Episcopi, Primates & Nobiles venissent, idemque fecissent, nisi mora Principem adeundi compendio suæ breuitatis præstitisset impedimentum: missis tamen per honestos valdè & industrios nuntios litteris*, OMNIMODAM SVBIECTIONEM ET DEBITAM FIDELITATEM IMPERIO ROMANO *compromiserunt*.

Vesontione, inclytâ Imperij Ciuitate, comitia illa peracta fuisse colligitur ex Radeuico: quamquam Guillelmus Paradinus adfert diploma Friderici I. Imperatoris, datum Arbosij sub bullâ aureâ: per quod inuestit Cæsar ERACLIVM Archiepiscopum *de Regalibus Ecclesiæ Lugdunensis, & de omnibus quæ in Lugdunensi Episcopatu ad Imperium pertinent: Ciuitatem Lugdunensem & totum Episcopatum liberum facit ab omni extraneâ potestate, saluâ per omnia Imperiali iustitiâ. Datum Arbosij* XIV. *Cal. Dec. indict.* V. *anno Dominicæ incarn.* M. C. LVII. Lib. 1. c. 8. Histor. Lugdun. lib. 2. c. 35.

Andreas Chesneus de eodem Cæsare: *Vidi plures chartas huius Imperatoris pro Ecclesijs Viennensi, Lugdunensi, Belliceensi, alijsque in Burgundiâ constitutis; quæ fidem faciunt, eum in Regno Burgundiæ pro supremo Principe agnitum fuisse.* Lib. 4. Burg. c. 7.

Raimundus Comes Tolosanus anno M. CC. XXXV. de Marchiâ Prouinciæ fecit hominium Friderico II. Imperatori: & ab eodem Cæsare Raimundus Berengarius, Prouinciæ Comes, in Equestrem ordinem ascitus fuit. Idem Chesneus cap. 9. Godefrid. à S. Pantaleone.

In Conuentione initâ inter S. Ludouicum Franciæ Regem & Raimundum Tolosæ Comitem reperiuntur hæc verba: *Terram, quæ est in Imperio, citra Rhodanum.* Et in aliâ chartâ anni M. CC. LIX. vbi agitur de castro Belcariensi, de quo Rex cum Archiepiscopo Arelatensi contendebat, disertè insinuat Rex Ludouicus, vrbem Arelatensem, quæ est in Prouinciâ, sitam esse in Imperio: *quod siquidem* (inquit) *de feudo nostro cùm sit, in Regno nostro potiùs videretur quàm Arelatensis Ecclesia, quæ sita est in Imperio, licet ad Regnum fines extendantur.* Sed & Prouinciæ Comitatum, Arelatensis Regni partem, *de Imperio esse*, & Comitem Prouinciæ, *Imperatoris fidelem*, Matthæus Paris fuisse tradit. Vnde in Imperij matriculam relati reperiuntur, *Princeps Auriacensis, & Comites Prouinciæ ac Alboni, in Arelatensi Regno.* Et quidem postremus Alboni Comes *Palatinum* se scribebat, quia ab Imperio pendebat. Catel Histor. Tolos. l. 1. cap. 4. In Henrico III. Angliæ Rege. Chesneus l. 4. Burg. c. 78. an. M. CCC. XXXV.

Eberhardus Ratisponensis Archidiaconus anno M. CC. XCIV. *Orta est controuersia inter Regem Franciæ* [Philippum Pulchrum] *ex vnâ parte, & Eduardum Regem Angliæ ex alterâ. Et* ADOLFVS *Romanorum* In Annalibus.

norum

norum Rex, plus fauens Regi Angliæ, repetiuit à Rege Franciæ REGNVM ARELATENSE, *& quasdam* ALIAS TERRAS, *quas dicebat* ESSE IMPERII; *easque, quòd in manu forti vellet requirere, demandauit.*

Opponunt Scriptores Franci, anno M. CC. XCIX. Albertum I. Imp. cessisse Philippo Pulchro Franciæ Regi quidquid iuris habebat nomine Imperij in Arelatense Regnum terramque Delphinatem: sed si id verum fuit, percontor, quamobrem posteà Carolus IV. Imperator anno M. CCC. LXXVIII. Vicariatum Imperij in Regno Arelatensi, ac Delphinate terrâ, contulit Carolo, Caroli V. Regis Franciæ primogenito, quemadmodum refertur à Fratribus Sanmarthanis, & fusè narratur à Christinâ Pisani in Autographâ Regis illius Historiâ, in quâ nobilis virgo sic edisserit: *Imperator motu proprio in gratiam Regis, & filij eius natu maioris Delphini, constituit & fecit* LOCVM TENENTEM SVVM & VICARIVM GENERALEM IN REGNO ARELATENSI DICTVM DELPHINVM, *voluitque idem obtinere* AD VITAM DICTI DELPHINI *irreuocabiliter: & eâ de re litteras suas sigillo aureo muniuit tantâ tamque amplâ cum facultate, quantâ concedi potest, quæque anteà dari minimè solita fuit. Et pariter eumdem* LOCVM TENENTEM ET VICARIVM SVVM GENERALEM *creauit alijs quibusdam litteris pari modo sigillatis, parique cum facultate, in* DELPHINATV *feudisque immediatis & mediatis, & alijs quibuscumque clientelis, sine vllâ exceptione. Deditque & concessit* CASTELLVM POMPETI SVPRA VIENNAM, *alteramque domum in dictâ vrbe* CHAMAVX *appellatam. Similiter eidem* BENEFICIVM ÆTATIS *impertiuit, & alia omnia* SVPPLEVIT, *quæ* OB ÆTATIS DEFECTVM *dicto Delphino dictis gratijs & præfecturis obtinendis impedimento esse possent. Quæ quidem vt ritè perficerentur, & alia nonnulla, in gratiam & emolumentum Regis, eiusque liberorum,* CANCELLARIVM SVVM PARISIIS *triduum aut quatriduum à suo discessu reliquit, litteris suis obsignandis tradendisque.* Subdit deinde post pauca: *Vbi Rex Parisios reuersus est, Cancellarius Imperatoris Delphino, qui apud Regem erat, attulit obtulitque litteras gratiarum ipsi ab Imperatore concessarum sigillo munitas: vnde Imperatori grates egit, & Cancellario in hospitio suo versanti misit dono pateram elegantem argenteam, benè & accuratè inauratam, viginti besses pendentem: insuperque intra doni calicem mille Francos aureos, quos illi Delphinus in suscepti pro se laboris mercedem concessit.*

Lib. 8. c. 4. MS. Bruxellæ in Biblioth. Regiâ.

Eadem prorsus verba, cum clausulâ AD VITAM DICTI DELPHINI *(à la vie dudit Dauphin)* retulit Theodorus Gothofredus, Aduocatus Parisiensis, in illorum Principum congressu, quem Lutetiæ publici iuris fecit anno M. DC. XIII. Bellefortius quoque Regius Annalium

Lib. 5.

Annalium Scriptor sic disertè: *Le faisant Vicaire irreuocable de l'Empire sa vie durant.* hoc est: *Faciens illum irreuocabilem Imperij Vicarium vitâ eius durante.* Ex quibus constat in primis falsum esse, quod de cessione per Albertum I. Imper. factâ iactant Scriptores Franci; deinde commentitium esse quod asserit Cassanus; nempe Philippum Valesium Regem pretio comparasse supremum Regni Arelatensis dominium anno M. CCC. XXX. ab HENRICO Imperatore, vel à CONRADO (est enim varius in Cæsaris nomine Cassanus;) tum quia eo tempore nullus imperabat aut CONRADVS aut HENRICVS, sed LVDOVICVS Bauarus; tum quia posterior CAROLVS IV. Imperator adhuc illâ iurisdictione fruebatur anno M. CCC. LXXVIII. Constat prætereà omnimodam Regni Arelatensis potestatem denuò ad Cæsares reuersam anno M. CD. XXII. ab obitu Caroli VI. Francorum Regis, cui Vicariatus Imperij AD VITAM dumtaxat concessus fuerat; maximè cùm nullibi de aliâ recentiore inuestiturâ fides fiat. Reges igitur Franciæ Arelatense seu Lugdunensis Galliæ Regnum haud iusto titulo hactenus possederunt; neque Sebusianum agrum (Regni illius partem) aliter possidere possunt quàm vt Imperij membrum. Etenim Bressiæ Comitatum *terram Imperij* esse Oliuarius Marcanus nominatim scribit: quam ob causam *Dominus Bressiæ* inscriptus est in Imperij matriculâ. Delphinatum quoque esse *Imperij terram* asseruit sæculo præterito CAROLVS V. Imperator: cùm enim apud Likercanum, Lombecæ Vicecomitem, eius Legatum, FRANCISCVS I. Franciæ Rex conquestus fuisset, quòd Cæsar Marchionem Saluciarum in iudicium vocasset, quem Rex causâ Delphinatus asserebat esse vasallum suum; scripsit Likercano Carolus Imperator, litteris datis in Astensi ciuitate XVIII. Iunij anni M. D. XXXVI. dictum Marchionem vel ex ipsâ Francisci Regis confessione esse Imperij clientem; cùm certum esset terram Delphinatem pendere ab Imperio: addens insuper à Francisco Rege Ducem Sabaudiæ iniustè bello lacessiri, qui & Princeps Imperij & Cæsareæ Maiestatis vasallus esset.

Cassanus lib. 1. c. 2.

Pag. 39. 40.

Lib. du Gage de bataille.

Petrus Damant. in litteris editis Antuerpiæ anno M. D. XXXVI.

Ceterùm ab illis, quorum auctoritate vsi fuimus, haud dissentit Thuanus Præses Franco-Gallus, qui nostrâ ætate ista litteris consignauit: *Regnum Arelatense, antequam in potestatem Regum nostrorum veniret* (quo iure, non exprimit) *sub Imperio fuit: cuius rei memoria post sublatam Imperij iurisdictionem aboleri non potuit: nam & hodie in sermone vulgari interior Rhodani ripa* IMPERII, *citerior* REGNI *indigetatur.*

Lib. 2. Histor.

Ediderat anno M. DC. XXVI. *Arelatense Pontificium* Petrus Saxius, eius Ecclesiæ Canonicus; in quo quia Cæsarum firmabantur iura,

Gassendus in Vitâ Peireskij lib. 4.

iura,

iura, Francorum eleuabantur, Libri euulgatio agente Peireskio prohibita fuit.

Comitatus Campaniæ Tricassina in Belgicâ secundâ Imperio Romano-Germanico iam pridem fuit obnoxius.

Antiquit. Cabilon. pag. 400. VEre Petrus Sanjulianus, Decanus Cabilonensis, de suo Rege scripsit: *Nemo mihi probare posset, Regem Franciæ vnicum fuisse Dominum in Gallijs; nec fuisse Duces & Comites Dominos, qui bona sua aliter possiderent quàm à munere Regiæ collationis. Contrà enim Toparcha Ionevillæ in Historiâ Regis Ludouici satis ostendit, Comitatum Campaniæ non fuisse obnoxium Coronæ Franciciæ, seque Mareschallum Campaniæ hereditarium non fuisse Regis Franciæ clientem.*

In Histor. S. Ludou. parte 2. Ioannis Ioneuillani verba, postquam egit de suo ad sacram expeditionem apparatu anno M. CC. XLVIII. *Scias velim præterea Regem ante abitum suum Parisios aduocasse omnes Franciæ Barones, eosque ad præstandum sibi fidem & hominium obstrinxisse, & ad iuramentum fidelitatis erga suos liberos, casu quo sinistri aliquid ipsi contingeret in expeditione vltramarinâ; illum etiam me vocasse, sed me iurare noluisse, quia* EGO CLIENS EIVS NON ERAM. Nobilis primarius, hereditarius Campaniæ Mareschallus, Regis Franciæ cliens non erat; vnde sequitur, Comitatum Campaniæ alteri Domino quàm Regi Franciæ fuisse obnoxium: eum porrò haud alium fuisse ab Imperatore, manifestè iamiam ostendo.

In Chron. Albericus anno M. XXXVI. ODO *Campaniensis* [Comes] *contra Imperatorem* REBELLANS, *Lotharingiam incursat, castella oppugnat, vrbem Leucorum, quæ Tullus dicitur, obsidet, & in nullo temperat furori suo.*

Lib. 6. cap. 31. Otho Frisingensis de eodem: *Augustus contumaciâ* ODONIS *auditâ Gallias ingressus est, vastatâque per tres continuos dies Odonis terrâ, ille* SVPPLEX *venire compellitur, interpositoque iureiurando, ne ampliùs Regnum præfatum* [Lotharingiæ] *quoquomodo lacessat, Imperator reuertitur.* Subdit deinde, *Odonem Comitem sacramento rupto denuò Imperatori in Galliâ rebellasse.* Itaque Odo Comes Imperatori in Galliâ rebellionem dicitur instituisse, vtpote Campaniæ Gallicæ possessor, & sic beneficiarius Imperij.

In Chron. De Theobaldo II. Campaniæ Comite, Odonis filio, sic Hermannus Contractus anno M. LIV. *Imperator Henricus Moguntiæ Paschale festum celebrauit, vbi* THEOBALDVS *Othonis* (seu Odonis) *de Gallijs veniens, &* MILES EIVS *effectus, auxilium suum ipsi pollicitus est.* Quia

Lib. 8. variar. Ep. 1. *miles eius*, siue *per arma filius*, vt loquitur Cassiodorus, iuramento per arma sacrata, & fide illi datâ se obstrinxerat.

Inter

Inter epistolas Friderici I. Imperatoris binæ referuntur à Marquardo Frehero, quæ sic incipiunt: FRIDERICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, dilecto* FIDELI *& consanguineo suo*, HENRICO *Comiti Trecarum* (id est Campano) *gratiam suam & omne bonum*. Fideli suo, hoc est, clienti ac beneficiatio: quippe qui in matriculâ Imperij inter Comites, qui sunt Principes, sic relatus inuenitur: *Campaniæ seu Trecensis Comes & Princeps in Galliâ*.

Andreas Chesneus libro de Vrbibus Franciæ disertè affirmat, Theobaldum illum II. Odonis filium, ab Henrico Imperatore titulum *Comitis Palatini Imperij* accepisse; quam dignitatem alij deinde Campaniæ Comites in publicis monimentis seruarunt. In chartis enim antiquis apud Nicolaum Camuzarium Tricassinum HENRICVS *Comes Campaniæ* anno M. C. LXXX. inscribitur *Trecensis Comes Palatinus*: THEOBALDVS item anno M. CC. XXIV. nec non & HENRICVS alter anno M. CC. LXXIII. *Campaniæ & Briæ Comes Palatinus*. quâ de nomenclatione sic Petrus Pithœus patriâ Campaniensis, vir doctissimus: *Palatini appellatio generalis est, & communis ijs omnibus qui munus aliquod habent in Palatio Imperatoris*. Deinde paulò pòst subiungit: *Id me compellit, vt dicam, nostros Campaniæ Comites illam Palatini dignitatem non obtinuisse à Rege Franciæ; attento vel maximè, quòd cùm primùm illum titulum assumpserunt, non in bonâ Regis gratiâ, sed aperti eius hostes erant. Primum enim quem inuenio se palàm in chartis Palatinum nominasse, fuit* THEOBALDVS *Magnus, qui Ludouicum Crassum Regem & eius patrem bellis continuò lacessiuit*. Iterùm alio loco: *Comites nostri*, inquit, *cùm Regem Franciæ haberent hostem, vt se fortiores exhiberent, acceperunt ab Imperatore illum Palatini suæ regionis titulum*. Cæsares in terris Imperij varia habebant Δικαστήρια siue *Fora iuridica*, quæ Germanicè *Pulz* dicebantur; in quibus Comites Imperij, siue Iudices, Cæsaris nomine populis ius dicebant: vnde *Palatini* vocabantur.

In Camp. cap. 1.

In Propt. antiquit. Trecens.

Lib. 1 de Comitibus Campaniæ p. 476. & 483.

Pag. 486.

Verùm istis pro Imperio argumentis opponunt Franci, Comitem Campaniæ Regni Franciæ Parem esse, proindeque Regi suo obnoxium: sed eruditè respondet accuratissimus Pithœus: *Continuò*, inquit, *sum demiratus illorum asseuerationem, qui duodecim Parium originem ad Carolum Magnum referunt; quia tam memorabilis institutionis nulla extat mentio in eius Historijs, quas non exiguo numero habemus: sed ideò vel maximè, quòd illi ipsi, quos in eo ordine constitutos affirmant, nondum possidebant Ducum Comitumque dignitates, quibus Pariatus munus tamquam aduentitium adiungunt*. Deinde nominatim de Comitibus Campaniæ: *Certè haud quantum par est probare possim, Campaniæ &*

Pag. 494. Vide Catel lib. 1. Tolos. c. 5. & Sanmarth. l. 6. c. 5. initio.

& Briæ Comites titulos inter suos vsquam vsurpasse Paris denominationem, vt fecerunt Palatini titulum.

Sanmarth. lib. 14. c. 2. Ceterùm Philippus Valesius Franciæ Rex, à Philippo & Ioanna Nauarræ Regibus Palatinum Campaniæ Comitatum titulo permutationis acquisiuit, & præter ius Coronæ suæ adiunxit anno M. CCC. XXXV. quo audito Ludouicus Bauarus Imperator Philippum Regem litteris admonuit, *vt ab occupatione terrarum Imperij desisteret:* mentionem simul faciens *feudorum, quæ Rex Franciæ tenebat ab Imperio, neque illa recognouerat.* Mandauit itaque Cæsar Eduardo III. Anglorum Regi, tunc Imperij Vicario generali, vt de querelis illis contra Regem Franciæ ius diceret. Quæ pòstmodum per Cæsarem & eius Vicarium contra Philippum, *qui se pro Rege Franciæ gerebat,* instituta fuerint, fusè narrat Edm. Dinterus annis M. CCC. XXXVIII. XXXIX. & XL.

Albertus Argentin. an. M. CCC. XXXVI.

In Chron. lib. 5. c. 21. 22. 23.

Excerptum è iuridicâ disquisitione, tempore Maximiliani I. Imperatoris factâ, de terris Imperij intra Gallias.

Ex Manuscripto plenæ auctoritatis.

BApalmis in Artesiâ, versus Truncum Berengarij, tributum quoddam vinarium, quod vernaculè TRAVERS *appellant, ab Normannico mari ad Ardennam vsque exigebatur: à quo nullus nisi Imperio subditus eximebatur: si quis peregrinus id fraudasset, iure in eum agere vel in ipso Imperio poterat exactor; & iusta repetens obtinebat.*

In Cameracensium & Veromanduorum confinio quidam Hunecurtensem vicum, iure nexi suum, ad Fauellæ Dynasten iure dominij spectare aliquando professus est. Fauellam posteà superior ille Dynastes Comiti Blesensi vendidit: hic suo Gusiæ Comitatui addixit, eoque Francicam reddidit.

Petrus Bellomontij Baro Beauuoisiensem clientelæ suæ agrum, olim alienatum ab emptore redemit, & Franciæ primus accensuit. Hoc tractu Franci plus quàm septem leucarum agros Imperio auulserunt.

Oise. *Ab Cœnobio Feruaquio Imperij fines in aduersum* ÆSIAM *protenduntur ad Hutrinium vsque pontem. Huic Monachorum Prioratus adhæret, Caroli Magni Regis & Imperatoris priuilegijs nobilis. In eo multa finium Imperij & Regni monimenta superesse dicuntur.*

Hutrinio ad eam Laudunensis ciuitatis portam quæ Ardennam spectat, Imperij ora producitur: quo tractu Aubentonium vsque crebræ syluæ, eæque olim Imperij, latè sternuntur. Sed Aubentonium Terasciæ oppidum, iure nexi suum, vicinus Dynasta Ruminiacensis Francici iuris effecit, tametsi anteà merum Imperij allodium. Sic Rosoij Baro, illi vicinus, Imperij ab antiquo cliens, Francorum se Regno adiunxit.

Idem

Idem Ruminiaci Dynasta suam ipsam ditionem, Campaniæ & Imperij semper feudum, in Francorum iura transtulit.

Ab dictâ Ardennensi Lauduni portâ Imperium porrò in Nouum castellum ad AXONAM, *inde aduerso amne Condatum, Castrum Porcianense Reteliamque procurrit. Eâ regione quidquid Axonam & Ardennam intercipit (licet hodiernæ Campaniæ adscribatur) purum Imperij allodium est: eoque titulo à Campaniæ quondam Comitibus possessum.* *Aisne.*

Istius Comitatus hereditatem Theobaldus Rex Nauarræ aliquando adiuit, nec Franciæ tamen Regem, velut eius beneficiarius, vmquam agnouit; tametsi eo nomine sæpiùs appellatus. Filius eius natu maximus, eius in illo Comitatu iuxtà & Regno heres, quantumuis Regis Franciæ filiam vxorem accepisset, numquam tamen Comitatum à Franciâ, sed ab Imperio habuit: frater eius ceu improlis successor, primus eum in Franciæ clientelam inuexit. Ante illum nulla vmquam, vltra Castrum Porcianense, Francicorum administrorum acta visa vel audita. Reteliæ Grandipratique eo tractu Comites terras suas eiusdem naturæ profitentur.

Reteliæ Comes Maseriam, suum ad Mosam oppidum, à Franciæ quidem Rege recepit, sed nouo iure, quod ab omni priùs æuo erat iuris Imperij.

Ad eumdem fluuium, paulò superiùs, DONCHERY *oppidum aliud est pleno iure Cæsaris: tametsi iam ibi Franci publica munia obeant: quia scilicet ad Suessionense sancti Medardi Monasterium attinet.*

Ceterùm in Campaniæ Comitatu Castellum nomine HAYS *visitur Ducis Barrensis, iurium adhuc hodie Imperialium: quod quia à Franco recipere non vult, ingentes ab eo molestias patitur.*

Postea ad Commercy, municipium Mosæ superioribus adsitum, inde ad aliud eiusdem fluminis aduersi, nomine VAVCOVLEVR, *pergit Imperium: inde ferè secundùm Ararim in Burgundiæ vrbem Aussonnam, ac denique Rhodanum, communem Imperij Franciæque ad mediterraneum vsque mare limitem. vnde patet Lugdunum, Viennam, Valentiam, Arausicam, Auenionem cum Venascino Comitatu, Tarasconem, Arelatum, Massiliam, iuris esse Cæsarei: qui terrarum ingens tractus est, nouaque Francicarum virium accessio, vrbium, hominum Procerumque plus quàm* M. D. *numero, ac potentia maximè æstimanda.*

Tanti mali origo à Francis maximè manasse videtur Episcopis Imperio conterminis: hi quippe cùm Decimæ exactionem Regi Francorum à Papâ indultam iussu Regis vrgent, eamdem à Diœcesanis omnibus suis, etiam Imperio iure profano subditis, exigunt. Quod cùm Cæsar & eius administri dissimulant, factum vt Episcopatuum istorum Cæsareæ partes Francica haberi cœperint; quod à vero procul abest.

Successione porrò non acquiritur, sed electione, Imperium: quare nec

vendere,

vendere, nec oppignorare, nec alienare quidquam potest Imperator. Recipiendi vindicandique ius semper est successori & Electoribus.

Quod quia iampridem negligit Imperator, munera omnia pacatè iam & publicè obeunt Franci: nullâ iuris antiqui, pactorum aut sacramentorum toties iteratorum ratione. Prouidere dignetur bonus Deus.

Philippo Roboretano, Burgundiæ Duci, primo Franciæ Pari, CAROLVS IV. *Imperator veniam ætatis contulit iure supremi dominij manifesto, in hunc qui sequitur modum.*

Ex Archiuo Diuionensi.

CAROLVS QVARTVS *diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, Illustri* PHILIPPO DVCI *& Comiti Burgundiæ,* PRINCIPI *& Consanguineo* NOSTRO *Dilecto, gratiam nostram & omne bonum. Imperialem decet magnificentiam sic pro* SVBDITORVM *commodis adaugendis (illorum præsertim qui radiantes generis claritate, & communione sanguinis ac alijs virtutum exercitijs se charos efficiunt) interdum illis vti remedijs, sic illis vijs etiam dirigi in agendis, vt rigorem iuris dispensationis gratia temperet, & pro necessitate temporis à lege prohibita, de speciali gratiâ facienda relaxet. Sanè pro parte tuâ Celsitudini nostræ extitit* CVM INSTANTIA SVPPLICATVM, *vt cùm tibi* PRO TE *&* TERRA TVA, *in pluribus Pratorijs, & ciuilibus negotijs exercendis, maiorum eorum, qui ætatem legitimam attigerunt, sit beneficium opportunum, & præpediente ætatis defectu, ex eo quòd minor annis existis, ad gerenda, exercenda & facienda huiusmodi negotia inhabilis reputeris, super hoc de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur considerantes magnificum statum tuum, & negotiorum qualitates, quibus intendere cum vtilitate teneris; & volentes* TE *super præmissis de speciali gratiâ reddere consolatum,* TIBI AVCTORITATE NOSTRA, ET DE PLENITVDINE IMPERATORIÆ POTESTATIS, *veniam ætatis & beneficium maiorum & maiorennium damus & concedimus gratiosè: tecum super defectum ætatis seu minorennitatis, quem pateris, etiam dispensantes. Volentes, &* EDICTO IMPERIALI *decernentes omnino, vt omnia, & singula facta, & negotia ciuilia & Pratoria, in iudicio & extra, vbique locorum, & quibuscumque personis, Ecclesiasticis vel mundanis, agere, facere & exercere liberè valeas atque possis, nonobstante defectu prædicto. Et per te acta, facta & gesta perinde valeant & teneant, ac si maior annis & maiorum fultus beneficio existeres de præsenti. Nos enim iuribus & sententijs omnibus, & singulis scriptis, vel municipalibus, de quibus in genere vel specie in contrarium facientibus oporteret specialem in præsentibus fieri mentionem, expressè & ex certâ scientiâ derogamus præsentium, sub*

nostra

nostræ Imperialis maiestatis sigillo, testimonio litterarum. Datum Pragæ anno Domini M. CCC. L V. *Indictione* VIII. XII. *Kalend. Septemb. Regnorum nostrorum, Romani anno* X. *Bohem.* IX. *Imperij verò* I. *P. D. Cancellarius Iacobus Augustini.*

Fatetur ingenuè Guillelmus Paradinus, Conradum II. Imper. ius obtendisse in Burgundiæ Ducatum, vtpote Burgundici Regni veteris principale membrum; prætereà Ducatus illius Ecclesias priuilegia sua per Imperatores Germanicos, Burgundiæ simul Reges, confirmari curasse; quod constare air ex antiquis chartis, quarum exempla nominatim designat. Annal. Burgund. l. 1. p. 143. l. 2. p. 158.

Sigismundus Imperator iurisdictionem palàm exercuit in Regiâ Francorum Lutetiâ.

ANno M. CCCC. XV. cùm SIGISMVNDVS Imperator Parisijs agens supremæ Curiæ consessum adijsset, primarium Præsidem supra, vbi Rex sedere solet, cum maiestate se collocauit, causamque in iudicio dicentes audiuit. Agebatur de Senescaliâ Belcariensi, ad quam ex Equestri ordine quispiam ius se habere contendebat, aduersus Guilielmum Signetum nobilem Scutarium, eo munere (aiebat Eques) idcircò indignum, quòd Equestri dignitate conspicuus non esset; munus illud non nisi Equitibus conferri solitum. Quibus auditis, Imperator Signetum Latinâ Imperij linguâ percontatus est, num vellet Eques fieri: qui cùm se velle & quidem libenter respondisset; procumbentem in genua Cæsar ense districto, vt moris est, Equitem creauit, ipsique aurea publicè mandauit indui calcaria. Tunc Imperator: *Ratio quam attulistis cessat: iam enim Signetus in Equestrem Ordinem est adscitus.* Signetoque exemplò Summa Curia munus adiudicauit. Quid-ni actus ille tam solemnis, in ipsâ Francorum Curiâ, ius Imperatoris supremum in Franciâ significauit palàm? Primus enim actus iurisdictionis, quem Imperator inauguratus & in regio throno collocatus exercet in Imperio, Equitum Auratorum est creatio. Non ergo nisi assentatione dixit Baldus, *Regem Francorum super omnes Reges Christianorum obtinere* CORONAM LIBERTATIS *& gloriæ.* Opponunt Franci Innocentium PP. III. in Decretalibus Epistolis: sed aduersus verba Innocentij liberè pro Imperio pugnat Andreas Alciatus I. C. Mediolanensis celeberrimus, in Praxi suâ vtriusque Iuris, quam *auream* appellat: *A sententiâ*, inquit, *latâ in Curiâ Franciæ de facto non appellatur; cùm* REX *ipse in temporalibus Superiorem non recognoscat, vt adulatur ei Papa in cap. Per Venerabilem, qui filij sint*

Iuuen. Vrsinus in Hist. Caroli VI. Regis. Monstrelet Vol. I. c. 154. Paradinus l. 2. Histor. Lugdun. cap. 92.

Ad l. de Feudis, tit. de prohibitâ feudi alien.

Titulo de appellat.

legitimi. DE IVRE *tamen* SVBEST ROMANO IMPERATORI, *can. In apibus* VII. *q.* I. *qui Canon habet verba Hieronymi, quæ magis me afficiunt quàm verba adulatoris*. Alciato subscribit Fernandus Vasquius, in supremo rei Dominicæ PHILIPPI II. Regis prætorio Senator: *Rex noster*, inquit, *etiam de iure Imperatorem recognoscere desinit: non sic de Rege Gallorum, qui eum recognoscit de iure; licet aliud de facto*; vt per Alphonsum Guerrerium, Baldum, Panormitanum, & alios, quos citat.

In Præfat. Illustr. controuersiarum.

Vrgent Franci & dicunt, Reges suos Imperatorum more scuto militari imponere coronam supernè circulis fastigiatam, vt sic se supremos & liberos ostendant neminique inferiores. Sed inspiciant, obsecro, Regum suorum sepulcra, nummos, sigilla; nullumque inuenient (spondeo) qui, quòd Regno Francorum potiretur, coronâ desuper clausâ vsus sit, ante Franciscum I. qui Cæsari CAROLO V. infensus, & Imperatoriæ Maiestatis æmulus, vexarusque inuidiæ malo, primus Regum decus illud Imperij atque ornamentum præter ius & rationem vsurpauit: Reges enim ante illum aperto dumtaxat verticis coronamento vtebantur; vt constat ex antiquis eorum statuis publicisque monumentis.

CAPVT XIV.

Tertia Prærogatiua Catholici Regis, à Ditionum multitudine ac potentiâ, quâ Francorum Regibus longè antecellit.

DVDVM hoc planum quidem ex antiquis Fecialium libris, debuisse olim Imperatorem habere sub se plures Reges; Regem, quatuor saltem Duces; Ducem, quatuor Comites, seu Marchiones; Comitem, quatuor Barones; Baronem, quatuor Nobiles: ita vt in ordine dignitatum Barones præcederent & antistarent Nobilibus; Comites & Marchiones Baronibus; Duces Comitibus & Marchionibus; Reges Ducibus; Imperatores Regibus. Sed illud quæri solet; Ecquinam inter æquales titulo dignitatis maior honos & potior locus assignandus? minimeque dubitandum videtur, quin ei decerni debeat, quem plures eiusdem dignitatis tituli extulerint. Equidem quod ad honorem attinet, in Regno Franciæ id vsu receptum fuisse colligitur ex Antonio Lalaino, Montiniaci Toparchâ, qui narrat, PHILIPPO Austriaco, CAROLI V. Imp. parenti, pergenti in Hispaniam anno M. D. I. ab vrbis Siluanectensis Rectoribus oblata fuisse vini vasa duodecim cum hac oratione: *Celsissime,*

In Itinerario Archiducis Philippi l. 1. c. 2. MS.

me, Excellentiſſime ac Potentiſſime Domine, vrbs iſta Siluanectum humillimè ſe commendat veſtræ Nobili gratiæ, vt vni ex duodecim Franciæ Paribus, atque vt illorum etiam Decano: ſi enim ſemel dumtaxat Par eſſetis; tantam vini quantitatem Vobis non offerremus. Illum ſic agnoſcebant Burgundiæ legitimum Ducem, atque adeò primum Franciæ Parem, & duodecim Parium Decanum; ac iterùm, vt Flandriæ Comitem, alterum è Paribus. Sed plana fiet noſtra propoſitio ex actis autographis Concilij Baſileenſis, in quibus de prærogatiuâ ſedium inter Duces hæc reperi monimenta:

Die Veneris XXVI. *Iunij* M. CCCC. XXXIII. *in Congregatione generali lectæ fuerunt litteræ Domini Ducis Burgundiæ credentiales: deinde eiuſmodi credentiam expoſuit Dominus Epiſcopus Niuernenſis, in effectu continentem; quòd Ambaſſiatoribus Ducum Burgundiæ debetur locus ſtatim & immediatè poſt Reges. Et ita fuit obſeruatum* IN CONCILIO CONSTANTIENSI ET ALIIS CONCILIIS. Ex Actis mss. Concilij Baſil.

Die Lunæ XVII. *Auguſti Dominus Gilbertus de Lannoy verbis Latinis gratioſè requiſiuit, quòd eumdem locum quem habuit Dominus Dux Burgundiæ* IN CONSTANTIENSI, *abſque mixturâ ipſis daretur.*

Die Iouis, quæ fuit vigilia Natiuitatis Domini, Domini Ambaſſiatores Domini Ducis Burgundiæ occuparunt ſedes ſuas. Propter certas cauſas Dominus Imperator non fuit præſens in Veſperis.

Die Veneris XIX. *Martij anni* M. CCCC. XXXIV. *Ambaſſiatores Ducis Britanniæ, qui recenter aduenerunt, intenderunt prioritatem loci ante Ducis Burgundiæ Legatos: atque,* inter cetera, *propoſuerunt, quòd Dux Andegauiæ præcedere debebat Ducem Burgundiæ, quia erat filius ſecundogeniti Regis Franciæ; & quòd Dux Britanniæ præcedebat Ducem Andegauiæ antequam eſſet Rex Siciliæ. Item quòd in Britanniâ erant tres Comites, & nouem Barones, qui æquiparantur magnis Ducibus; octodecim Baroniæ, & quatuor millia Nobilium cum ſeptingentis. Item quòd in Britanniâ erant portus marini; quòd Dux faciebat monetam, & habebat ius Regale, vt Rex Franciæ.*

Die Veneris IX. *menſis Aprilis eiuſdem anni* M. CCCC. XXXIV. in Congregatione generali Simon de Teranyo, Aduocatus Legatorum dicti Ducis Britanniæ, expoſuit; *quòd Dux Burgundiæ non erat ita propinquus ſtipiti Regis Franciæ ſicut Dux Britanniæ, qui attingebat Regi Franciæ in tertio gradu. Item quòd Dux Britanniæ præcedebat Ducem Andegauiæ & Ducem Aureliani, qui in ſecundo gradu attingebat Regi Franciæ. Item quòd Dux Britanniæ antiquitus titulum Regium habuerat.*

Hiſce nihilominùs poſthabitis, reque ſeriò perpenſâ & examinatâ, lata eſt à Patribus ſententia in hunc modum:

Ex Actis ijsdem.

In nomine Domini amen. *Tenore præsentis publici instrumenti cunctis pateat euidenter, & sit notum, quòd anno à Natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo trigesimoquarto, Indictione XII, die verò Lunæ, quintâ mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini Eugenij diuinâ Prouidentiâ Papæ Quarti, anno quarto, celebrata fuit Sacrosancti Basileensis Concilij generalis Congregatio in Ecclesiâ maiori Basileensi de manè horâ consuetâ: in quâ quidem generali Congregatione, sedentibus pro tribunali in maiori & in insigniori loco Reuerendissimis Reuerendisque in Christo Patribus ac Dominis, Dominis Ludouico tituli sanctæ Cæciliæ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Arelatensi vulgariter nuncupato, Philippo Archiepiscopo Turonensi, & Ioanne Episcopo Lubicensi, Commissarijs per sacrosanctum præsens generale Concilium, per deputationes sacras primò, & deinde in ipsius sacri Concilij Congregatione generali, ad tractandum, concordandum & concludendum de & super controuersiâ in materiâ assignationis locorum inter Dominos contendentes, videlicet præfati Domini, Cardinalis Arelatensis & Episcopus Lubicensis, super controuersiâ inter Dominos Ambassiatores Illustrissimi Principis Domini Philippi moderni Ducis Burgundiæ, &c. ex vnâ, & Ambassiatores Reuerendissimorum & Illustrissimorum Principum Dominorum Sacri Romani Imperij Electorum ex alterâ partibus: nec non præfati Domini idem Cardinalis Arelatensis & Archiepiscopus Turonensis, de & super controuersiâ in simili materiâ locorum, præeminentiæ inter præfatos Dominos Ambassiatores præfati Domini Ducis Burgundiæ ex vnâ, & Ambassiatores Illustrissimi Principis Domini Ducis Britanniæ ex alterâ partibus: præsentibus in dictâ Congregatione generali Reuerendissimis Reuerendisque in Christo Patribus ac Dominis, Dominis Nicolao tituli sanctæ Crucis in Hierusalem in Regno Franciæ & partibus circumadiacentibus; Iuliano sancti Angeli in Germaniâ, sanctæ Sedis Apostolicæ Legatis; Ioanne tituli sancti Laurentij in Lucinâ, Rothomagensi Vice-Cancellario, Presbyteris, & Diacono, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus vulgariter nuncupatis, ad dextrum latus; nec non Ioanne Archiepiscopo Tarentino, Petro Episcopo Paduano, & Ludouico Abbate sanctæ Iustinæ Paduanæ, eiusdem sanctissimi Domini nostri Papæ Legatis, à latere sinistro dictæ sacræ Congregationis existentibus. Præfatus Reuerendissimus Dominus Cardinalis Arelatensis narrauit, qualiter sacrum præsens Concilium Basileense primò in sacris deputationibus, & deinde in ipsius generali Congregatione Concilij, prædicto Domino Lubicensi Episcopo & sibi commisit & mandauit, quatenus per viam concordiæ, ac propter bonum pacis, inter Principes & Dominos in materiâ sedium contendentes, videlicet Dominos Ambassiatores Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ ex vnâ, & Ambassiatores Illustrissimorum*

Principum

Principum Dominorum sacri Romani Imperij Electorum prædictorum, tractarent & viderent, ac super ipsis auctoritate sacri Concilij finem imponerent. Super quibus præfati Domini Cardinalis Arelatensis & Episcopus Lubicensis per plures dies ac noctes cum summo studio vigilanter & assiduè laborauerant: & tandem, sine præiudicio partium ipsarum, atque iurium suorum & earum cuiuslibet, ad laudem Dei & pro bono pacis & concordiæ certa inter se aduisauerant & concluserant infrà dicenda: & primò, quia aliàs quædam ordinatio sub spe pacis & concordiæ inter ipsos Dominos contendentes à sacro Concilio emanauit, qua tamen per neutram partium fuit exinde acceptata; nec de eadem ordinatione partes ipsæ fuerunt contentæ; ideò eamdem ordinationem, dum tamen partes hinc inde eamdem concordiam acceptent, cassarunt & annullarunt auctoritate sacri Concilij prædictâ: aliàs verò, casu quo sua facta ordinatio suum plenum non sortiretur effectum, eamdem ordinationem in suo robore & pristino effectu voluerunt & decreuerunt permanere: quo facto Reuerendissimus in Christo Pater ac Dominus, D. Cardinalis sancti Angeli, Legatus & Præsidens, de mandato sacræ Concilij Congregationis exhortatus est, & rogauit Reuerendos in Christo Patres & alios Dominos dicti Illustrissimi Domini Ducis Britanniæ Ambassiatores, qualiter locum & sedes post Ambassiatores Regum, in dictâ generali Congregatione tunc à sinistrâ parte existentium, & signanter Domini Regis Daciæ Serenissimi, vellent recipere nomine Domini sui Ducis Britanniæ antedicti, donec videlicet & quousque per sacrum Concilium aliud super hoc foret ordinatum, vel aliud à Domino suo Duce haberent in mandatis: postmodum verò præfati Domini Cardinalis Arelatensis & Episcopus Lubicensis Commissarij, vt suprà pro tribunali sedentes, per organum ipsius Reuerendissimi Patris Domini Cardinalis Arelatensis, pro bono pacis & concordiæ inter præfatos Dominos Ambassiatores Dominorum Ducis Burgundiæ & Principum Electorum sacri Romani Imperij Illustrissimorum; repetitisque priùs per ipsos Dominos Cardinalem & Episcopum illis quæ superiùs per ipsos dicta fuerunt, quæ etiam pro repetitis haberi voluerunt, iuxta formam & tenorem commissionis per sacrum Concilium in suâ generali Congregatione attributæ, pronuntiauerunt & ordinauerunt, quòd AMBASSIATORES *Illustrissimi Principis Domini* DVCIS BVRGVNDIÆ *tam in sessionibus, Congregationibus & processionibus generalibus, quàm alijs priuatis & publicis actibus & locis sacri Concilij,* SEDEANT ET INCEDANT IMMEDIATE POST AMBASSIATORES REGVM IN PARTE DEXTRA: *& hoc sine præiudicio iuris & honoris ipsius Domini Ducis & aliorum quorumcumque. Ambassiatores verò Illustrissimorum Dominorum Principum* SACRI IMPERII ROMANI ELECTORVM, *in eorumdem Dominorum Electorum absentiâ, vel ipsi Domini*

ELECTORES, *vel aliqui eorumdem qui personaliter præsentes fuerint, debeant sedere prope Serenissimum Dominum* IMPERATOREM, *& esse ac stare iuxta ipsum in sessionibus, Congregationibus, processionibus generalibus, ac alijs priuatis & publicis actibus dicti sacri Concilij, sine tamen præiudicio iurium, honorum & præeminentiarum ipsorum Dominorum Electorum, nec non aliorum quorumcumque; volentes & expressè ordinantes præfati Domini Cardinalis Arelatensis & Episcopus Lubicensis Commissarij, per sacrum Concilium in hac parte, vt præfertur, deputati, quòd huiusmodi ordinatio per eos facta habeat vim & auctoritatem, perinde ac si in scriptis per eosdem ipsa ordinatio pronuntiata extitisset: quam quidem ordinationem & pronuntiationem præfati Domini* AMBASSIATORES *Illustrissimi Domini* DVCIS BVRGVNDIÆ *acceptarunt, ratamque & gratam habuerunt: virtute cuius ordinationis ipsi Domini Ambassiatores præfati Domini Ducis Burgundiæ, videlicet Reuerendissimus ac Reuerendi Patres Domini Hugo Archiepiscopus Rothomagensis, Philibertus Constantiensis, & Ioannes Niuernensis Episcopi, in altis, in bassis verò sedibus, Abbas de Domno-Martino Ordinis Præmonstratensis, Magistri Ioannes de Fruyno Thesaurarius Ecclesiæ Bisontinensis, Humbertus de Rupe Præpositus Lausanensis, & Robertus du Clou Canonicus Parisiensis, Ambassiatorijs nominibus prædicti Domini Ducis, loca sua ad dextrum latus immediatè post Ambassiatores Dominorum Regum in parte dextrâ, per supradictam ordinationem assignatâ, acceptarunt & receperunt. De & super quibus omnibus & singulis præmissis præfati Domini Ambassiatores, Ambassiatorijs nominibus quibus suprà, per organum præfati Domini Episcopi Niuernensis, alterius Ambassiatorum prædictorum, petierunt à nobis Notarijs publicis, & dicti sacri Concilij Scribis infrascriptis, sibi fieri atque tradi vnum & plura, publicum & publica, instrumentum & instrumenta, ad futuram rei memoriam. Acta fuerunt hæc Basileæ in dictâ generali Congregatione sub anno, Indictione, die, mense & Pontificatu quibus suprà, præsentibus ibidem Reuerendissimis, Reuerendisque in Christo Patribus ac Dominis, Dominis Ioanne Antiocheno, Ludouico Aquilegiensi Patriarchis, Mathæo Albinganensi, Francisco Pergamensi Episcopis, Alexandro Virziliacensi, Ioanne sancti Cornelij Ordinis sancti Benedicti, Eduensis & Suessionensis Diœcesium, Monasteriorum Abbatibus, ac Venerabilibus & circumspectis viris Dominis ac Magistris, Ioanne Pulcripatris, Radulpho de Portâ, in sacrâ paginâ, Henrico Flekel, Curiæ Cameræ sacri Concilij Causarum Auditoribus, & Henrico Nithardi Canonico Constantiensi Prouinciæ Maguntinæ, Decretorum Doctoribus, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, & me Petro Bruneti Notario.*

Vides perspicuè, vt neglectâ Francorum Occidentalium proxi-

miori cognatione, PHILIPPVS BONVS, Dux Burgundiæ, quibusuis alijs Ducibus prælatus sit, & immediatè post Reges collocatus, nempe propter maiorem alijs Ducibus potentiam; quia plures simul summæ iurisdictionis amplique territorij Ducatus, Comitatus & Dominia possidebat: quod de illo Sanmarthani fratres, Regij Francorum Historiographi, disertè: *Dux iste, vnà cum eminenti natalium prærogatiuâ, Dominus erat & possessor maiorum quinque, cum flosculis emicantibus, Ducatuum; nec non antiquæ erectionis & magnæ amplitudinis, quindecim Comitatuum, aliorumque præterea plurium eximiæ vbertatis Dominiorum: quibus permoti causis Concilij Basileensis Patres, ordinem & sedem ei assignarunt immediatè post Reges, tamquam Duci totius Christianitatis priori & digniori.* Ignoscite Doctissimi Fratres; ad natalium prærogatiuam Patres non respexisse argumento est, quòd alij tunc essent in Franciâ Duces Coronæ proximiores Philippo Duce: ergo ad potentiam dumtaxat; de quâ sic vos alio loco verissimè: *Vltimi quatuor Burgundiæ Duces, Francicâ stirpe oriundi, adeò magni fuère, adeòque potentes, totque Ducatuum Comitatuumque possessores, vt Regibus plerisque in ditionibus, opibus & potentiâ non æquales modò sed superiores essent: videturque ad cumulum magnitudinis illis nihil defuisse præter nomen & titulum Regium.* Mattona, pernobilis, Alienota de Pictauiâ, in libello eleganti, quem scripsit de Aulicis honoribus, hæc refert: *Cùm* MARIA *Cliuensis nupsisset* CAROLO *Duci Aurelianensi anno* M.CD.XL. *dicebant plerique, illam (propterea quòd coniux eius Dux* CAROLVS *erat proximior coronæ Franciæ) praire debere* ISABELLÆ *Lusitanæ, Burgundiæ Ducissæ: Prohibuit tamen vxori suæ Dux* CAROLVS, *ne antecederet Dominam Ducissam Burgundiæ; quia dicebat eam esse filiam Regis, & vxorem* PHILIPPI, *adeò* POTENTIS NOBILISQVE *Ducis, vt planè præcedere deberet.* Equidem ob illam eximiæ potestatis rationem, Regia dignitas Philippo Bono Duci à Friderico IV. Imperatore fuerat designata, vt Pius II. Papa ipsi significauit his verbis: *Ex ipsis Imperatoris litteris læto animo accepimus, eum decreuisse, nostrâ præsertim contemplatione, concedere tibi* REGALEM INVESTITVRAM; *super quo in Tui fauorem sæpiùs ad Celsitudinem suam scripsisse meminimus: & non solùm hoc facere deliberasse, sed etiam affinitatem tecum contrahere; ratione filij sui & filiæ, tui nati; ac tibi* VICARIATVM IMPERII IN TERRIS GALLICANIS VLTRA RHENVM *concedere statuisse: quod profectò nobis est gratissimum: quodque Serenitati suæ & Generositati tuæ prosperum & felix etiam optamus, ad pacem & perpetuam confœderationem vtriusque vestrium, ac Sedis Apostolicæ & Christianæ religionis conseruationem & augmentum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarna-*

Lib. 1. c. 8.

Lib. 12. cap. 1.

Ms. apud Auctorem.

Epist. 395.

carnationis Dominicæ M. CCCC. LXII. III. *Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno quinto.*

Triennio iam antè Pius II. Philippum Burgundiæ Ducem non alio quàm Regum exceperat ordine: in Conuentu enim Mantuano anno M. CCCC. LIX. Ioannem Cliuiæ Ducem, Philippi Boni Legatum, atque ex sorore Nepotem, sedere iusserat in scamno Regum: id quod obseruatum reliquit Georgius Castellanus, Philippi Ducis Historiographus, ipsissimis hisce verbis: *Enuoya à Mantoüe son Nepueu le Duc de Cleues; & là fut assis en son nom au banc des Roys:* non aliam sanè ob causam, nisi quia PHILIPPVS *tot ditissimis Prouincijs imperaret, vnusque inter Christianos Principes fœlicissimus existimaretur.*

In Elogio Ducis Philippi. Pius II. l. 3. Comment.

Iam verò de CAROLO Duce Burgundiæ, Philippi Boni filio, sic Campanus Episcopus Aprutinus, vbi agit de Comitijs Augustanis anni M. CCCC. LXXI. *Oratores Burgundi, cùm post Legatos Electorum collocati, atque ideò despecti priore consessu viderentur, redire in subsellia recusabant. Electores absentibus collegis qui aderant, quamquam cum summâ modestiâ, dignitatem tamen communem tuebantur. Burgundi* POTENTIAM SVI PRINCIPIS *& in Galliâ & in Germaniâ* MAXIMAM; *Electores parem nobilitatem &* VETVSTVM MOREM *obijciebant; seque, è corpore Cæsaris cùm essent, ne Regibus quidem, si qui adessent, cedere oportere contendebant. Quæ contentio cùm tres propè horas consumpsisset, non antè est sublata, quàm Burgundi alteris subsellijs, ad frontem Cæsaris,* INTER ORATORES REGIOS *locarentur*. En vt Burgundiæ Duces ob maiorem alijs Ducibus potentiam in Regum ordine collocati fuerint; vnde sic inferre licet à pari.

Epistolar. Papiensis 375.

Quemadmodum Ducibus Burgundiæ in Concilijs Constantiensi, Basileensi, Mantuano & Augustensi assignatus est prior reliquis Ducibus locus, propreteà quòd plures alijs Ducatus & Comitatus, aliaque perampla Dominia possidebant: sic etiam REGI CATHOLICO, quia hodie plurium simul Regnorum Rex est, de iure & consuetudine primus antè Regem Franciæ locus est adiudicandus; quia Maiestatis prærogatiuam, quam Franciæ Rex vnicam habet, ille pluries possidet. Vt enim à magno fit *Magnitudo* seu *Magnitas*, vt Accius loquitur; sic à maiori *Maiestas*, Cæsarum Regumque propria, quòd illi alijs Principibus maiores sint. Vnde quia REX CATHOLICVS multitudine Coronarum Rege Franciæ multoties MAIOR est, toties repetito Maiestatis decore, Regem Franciæ vt ARCHIREX & MAXIMVS REX iure optimo præcedere debet. *Nemo enim inficiari potest* (inquit doctissimus ZYPÆVS) *plura simul decora coniuncta*

In Hiatu Cassani lib. 1. c. 13.

Ita præ vnico excellere; pluribus simul facibus coniunctis maius lumen collucescere; pluribus simul lignis maius incendium excitari.

In Chronico S. Trudonis PIPINVS sub Dagoberto dicitur ARCHIDVX *Austriæ seu Austrasiæ Inferioris*: quæ perampla regio, Franciæ Orientalis magna pars, plures Ducatus Comitatusque complectebatur. Dinterus etiam sic in Chronico: *Erat ipse* PIPINVS *tamquam Maior domus in Austrasiorum Regno, & posteri sui iure hereditario gladium portantes Regni, & super omnes Principes ipsum Regnum gubernando principantes: vnde adhuc Lotharingiæ & Brabantiæ* ARCHIDVCI *adiudicatur gladius totius Regni, tamquam huius dignitatis heredi*. Apud Sigebertum, sub annum DCCCC. LIX. BRVNO *Archiepiscopus Coloniensis, &* ARCHIDVX *Lotharingiæ, secundas partes in Regno fratris sui* [Othonis I. Imperatoris] POTENTER *& industriè administrabat*: à Rogero, Abbate S. Panthaleonis Coloniensis, *Archidux* etiam dictus, propter plurium Ducatuum curam ipsi à Cæsare commissam. Austriaci Principes, quòd multis Ducatibus & Prouincijs dominarentur, dicti sunt ARCHIDVCES, id est *Primarij Duces*. Poncius I. Comes Tolosanus, in chartâ fundationis Monasterij Thomeriensis, anni DCCCC. XXXVI. se vocat PRIMARCHIONEM *& Ducem Aquitanorum*; quòd pluribus marchis siue limitibus præesset. Alphonsus Rex Aragonum à perorante quodam Legato appellatus est ARCHIREX; *quòd non solùm apud Hispanos, sed apud Italos, Siculos, Sardos, Maioricos, Minoricos, Regna possideret*. Quidni ergo & REGEM CATHOLICVM meritò dicamus ARCHIREGEM esse, qui longè pluribus imperat quàm aut Rex Alfonsus Regnis, aut vllus vmquam Archidux Ducatibus, vel Primarchio limitibus? Dignitatis nàmque ordinem à magnitudine ac potentiâ potissimùm solere æstimari, præter iam dicta, clarè docuit Pius PP. II. in Conuentu Mantuano, vbi quæ ipsemet decreuit sic refert: *Factâ re diuinâ in Ecclesiâ Cathedrali, Principes ac Legati omnes in concionem accersiti sunt: multæ ibi* DE SESSIONE *contentiones fuêre; sed nulla maior quam* VENETORVM *&* SABAVDIENSIVM: *illi* POTENTIAM *& antiquitatem sui Imperij præferebant; isti* NOBILITATEM *sanguinis & consuetudinem. Pontifex, cùm alio modo sedari controuersia nequiret, cresceréntque paulatim iurgia, & iam Vrsinus Iustinianus Orator Venetorum accinctus ad rixam videretur*, VENETIS *post Oratores Ducis Burgundiæ collocatis*, SABAVDIENSES *ad scabellum sui solij sedere iussit*.

Alienora de Pictauiâ, à nobis iam laudata, narrat, PHILIPPVM Bonum Burgundiæ Ducem vnà cum vxore suâ ISABELLA Lusitanicâ adijsse Regem & Reginam Franciæ Catalauni agentes, anno

[Margin notes: Lib. 1. c. 4. — Lib. 1. cap. 17. — In Chron. — In Vitâ Brunonis cap. 17. & 27. — Catel l. 1. Hist. Tolos. c. 14. — In Gratulat. de nuptijs Frider. III. Imper. & Leonoræ Lusitanæ, apud Freherum Tomo 2. — Lib. 3. Commêt. an. M. CD. LIX. — Lib. MS. cit.]

M. CD. XLV. Isabellam Ducissam Reginæ Franciæ magnum honorem exhibuisse; sed cum Reginâ Siciliæ, Ducis Lotharingiæ filiâ, quæ ibi aderat, admodum frigide se gessisse; *quia*, dicebat, *ego sum filia Regis Portugalliæ, qui est* MAIOR *Rege Siciliæ*. In eamdem quoque sententiam iuit Alphonsus à Carthagenâ, Burgensis Archiepiscopus: quem Æneas Syluius vocat *Prælatorum decus & delicias Hispaniarum*: eius hæc sunt verba: *Hispaniæ Reges licet ab illis Gothorum Principibus in suis protoparentibus descenderunt, tamen* SCEPTRA ALTIORA *&* CLARIORA *acquirentes, manentibus intra illarum terrarum confinia eorumque successoribus nimium* PRÆSTARE *non incongruum est. Sic & apud nos in alijsque Regionibus fit, vt Nobiles & Barones ex montanis domibus exeuntes, ac in alijs partibus terrarum* DOMINIA *acquirentes*, DVCES, COMITES *&* BARONES *effecti, longè* PRÆSTANTIORES *habeantur illis, qui in domibus, quas Solaria vocant, morantur; licet etiam ipsi cognomentum illarum domorum retineant. Quæ similia memor sum respondisse* * *cuidam Prælato Oratori Regis Daciæ, qui audiens aliqua, quæ in* DISPVTATIONE SEDIVM *cum Anglicis de antiquâ claritate* GOTHORVM, *ad* REGIS NOSTRI EMINENTIAM *demonstrandam, in medium adducebantur, se interserere voluit, & Regi Daciæ, qui Gothorum Rex nuncupatur, sedem eminentem quærere. Nam etsi magnum & insignem Regem illum fateretur, tamen maiores & insigniores illos fuisse, qui à Gothiâ & vicinis circum Regionibus exeuntes, Italiam & Galliam ac etiam Hispaniam occuparunt, quis negare valeat? & ex illis profluit is qui hodie sceptra gubernat, licet à Gothiâ, quasi quodam solario, cognomentum magnis temporibus seruauerunt, & etiam hodie realiter tenent, licet titulorum nomina ex prælijs & alijs insignibus gestis, quæ posteà venerunt, sunt mutata.*

Anaceph. cap. 7. Lib. 1. de Gestis Conc. Basileensis.

* in Concilio Basileensi.

Scribebat hæc Carthagena sub Henrico IV. Hispaniæ Rege circa annum M. CCCC. LVI. quo Historiam suam absoluit. Ex quibus noscas licet, haud habendam esse rationem consuetudinis, sed tempora inspicienda esse: *quia*, vt ait Pancirolus, *consuetudo procedit* INTER PARES, *non vbi quis habet digniores qualitates*. Exigua fuerunt initia vrbis Romæ, quæ postmodum ceteris præcelluit, legesque dedit Orbi toti: vt in oppidis, sic in Regnis magna vis est fortunæ.

Cons. 162. num. 19.

Verùm vt ingenuè dicam quod res est, eiusdem honoris & gloriæ certamen inter Castellæ & Franciæ Occiduæ Reges agnouisse constat æuo suo PIVM II. Papam. Vbi enim refert Pontifex congressum HENRICI IV. Castellæ Regis cum LVDOVICO XI. Franciæ Rege ad Regni vtriusque confinia, ita loquitur: *Viderunt se* DVO REGES, *& amplexati sunt, & duabus circiter horis secreta inter se miscuêre colloquia*. Deinde post pauca: *Non potuêre* DVO REGES, *quorum diuersissimi*

Lib. 11. Commét. an. M. CD. LXIII.

ſimi mores, & QVORVM DE GLORIA PAR CONTENTIO, diu ſimul eſſe. Sed tunc tota Hiſpania (quod ſeriò eſt aduertendum) quinque parebat Regibus; quatuor Chriſtianis, Caſtellæ, Arragoniæ, Luſitaniæ & Nauarræ; & infideli vni, Granatæ Regi: eodem teſte ſupremo Pontifice. Lib. 2. de Geſtis Concil. Baſil.

Nunc expendamus inæqualitatem, quam illos inter Reges tempora & euentus rerum poſteà pepererunt. Ludouicus XI. Occiduæ Franciæ Rex, iam ditior ac potentior ex occupato præter ius à Maioribus Prouinciæ Lugdunenſis Regno, nec non & veteri Anglorum hereditate, Aquitaniâ, Normanniâ, Pictauiâ alijſque Ditionibus; poteſtatem ſuam iniuſtè auxit Ducatu Burgundiæ, quem Auſtriacis Principibus eripuit; & Prouinciæ Comitatu, quem Lotharingicis; eius deinde ſucceſſores, Britanniæ minoris Ducatu, quem Annæ Duciſſæ proſapiâ oriundis abſtulêre. Sed quid hæc (etſi iuſta eſſent) ad prodigioſa & æquiſſima incrementa Hiſpanici Imperij? muſca ad elephantum. Quantum enim ab Henrici IV. Caſtellæ Regis temporibus Hiſpanica potentia & gloria iuſtis titulis creuerit deſcribere non eſt facile. Iure ſucceſſionis illi ſunt adiectæ Familiæ Auſtriacæ potentes in Germaniâ Ditiones; Burgundicæ, in Galliâ Belgicâ Celticâque; Arragonicæ, in Hiſpaniâ & Italiâ; & in illâ etiam Nauarricæ & Luſitanicæ; ita vt à Pyrenæis ad Gades, à Mediterraneo mari ad Oceanum, Imperium eius in Hiſpanijs latiſſimè protendatur. Præterea belli iure à ſanctâ Sede Apoſtolicâ conceſſo, Noui infidelium orbes, Indiæ ſcilicet Orientales & Occidentales. Vnde ſancta Synodus Tridentina in reſponſis ad Legatos Philippi II. Regis Hiſpaniarum & Caroli IX. Franciæ Regis, Philippum vocat *Catholicum ac* POTENTISSIMVM *Regem*; Carolum verò ſimpliciter *Chriſtianiſſimum Regem*. Vide Concil. Trid. editum Louanij an. M. D. LXVII.

Hinc etiam Eliſabetha Angliæ Regina, in edicto quodam anni M. D. XCI. de PHILIPPO II. Rege Catholico ſermonem faciens, apertè profeſſa eſt, *plures eum Coronas, plura Regna, plures etiam diuitias poſſidere, quàm vllus vnquam Chriſtianus Princeps habuerit*. Bortellus d. c. 45. num. 8.

Subſcribunt illi Reginæ auctores Franco-Galli. Iuxta ſententiam Bodini Andegauenſis (qui aliàs veritatis perquam auarus eſt) *amplitudo Ditionum Catholici Regis Turcici Imperij dimenſionem decies excedit*. Lib. 2. Reip. c. 2.

Nicolaus de nouâ Villâ, Marchio Villaregius (qui quatuor ordine Regibus à Secretis conſilijs fuit) in Ordinum Franciæ conuentu Pariſijs habito anno M. D. XCIII. publicè pronuntiauit, POTENTIAM *Regis Hiſpaniæ* MAXIMAM *eſſe; illumque poſſidere ac dominari pluribus* Memoires de Villeroy Tom. 1.

Regionibus, quàm vllus alius Princeps Orbis Christiani à temporibus Caroli Magni.

Lib. Hist. 136. Iac. Aug. Thuanus, supremæ Francorum Curiæ Præses, eumdem PHILIPPVM II. Regem vocat *Potentissimum orbis Christiani Monarcham*. Neque alio sensu Petrus Matthæus, Henrici IV. Franciæ Regis Lib. 1. Hist. pacis narrat. 3. Historiographus, scripsit, PHILIPPVM II. *Hispaniæ Regem eo patre natum fuisse* [CAROLO V. Cæsare] *qui post* CAROLVM MAGNVM *omnium Occidentis Imperatorum maior fuerit; quique meliori iure quàm Persarum Reges vocare se poterat.* REGEM REGVM, FRATREM SOLIS AC LVNAE.

Franciscus Malherbius, Ludouici XIII. Regis Nobilis aulicus, de PHILIPPO IV. Hispaniarum Principe, ELISABETHAE Borboniæ futuro sponso, ita cecinit:

Lib. 5. Carm.

ELIZE est elle à plaindre
D'vn bien que tous nos vœux luy doiuent souhaitter:
Le ieune DEMYDIEV, *qui pour elle souspire,*
De la fin du Couchant termine SON EMPIRE
En la source du iour.

Tristanus Eremita, Gastoni Borbonio, Aureliorum Duci, Poëta charus, sic de PHILIPPO II. Rege Catholico:

In Icone Infantis Isabellæ.

PHILIPPE, *ce grand Potentat,*
Qui ne termine son Estat
Que du tour des deux Hemispheres.

Deinde: *Imposant des Loix*
A beaucoup d'infideles Roys,
Qui s'esleuoyent entre les Poles,
Sur le debris de leurs Idoles
Il a fait arborer LA CROIX.

Rursum alio loco Hispaniam sic alloquitur:

Et toy, qui iamais ne te rends
Aux affaires laborieuses,
Tenant VINGT SCEPTRES *differents*
Entre tes mains victorieuses,
ESPAGNE, *à qui l'astre des cieux*
Paroist tousiours deuant les yeux,
Quelque part que soit sa descente.

In præfat. Induciarum Belgic. Francos sequuntur Batavi: Dominicus Baudius, in Leidensi Academiâ Historiarum Professor, PHILIPPVM III. Hispaniarum Regem vocat, *Regem longè latéque Dominum; cuius* IMPERIVM *penè iisdem Regionum spatijs quibus Solis cursus terminatur.* Item: MAXIMVM *Dominatorem*

minatorem PHILIPPVM, *tot populis ac Regnis latè imperantem, vt vix eorum titulis recensendis memoria ipsius sufficiat*. Alio loco: *Maximum Regum, quos Sol aspicit*: nec non &, *Maximum Regnatorem terrarum, qui latius imperitat, quàm vmquam Romanæ potentiæ Maiestas sese propagauit*. Lib. 2. Induc. Belgic.

Hugo Grotius Delphensis, ingenij fœcunditate clarus, dum Pacem Deam PHILIPPVM III. Regem Catholicum ad Belgicas inducias sollicitantem induxit, Regis magnitudinem culto carmine sic expressit: Lib. 2. Syluar.

Sic postquam AVSTRIACAM *blandis sermonibus* *. AVLAM
Flexerat, Occiduas curru defertur ad oras,
Curru, quem geminæ iactant per inane columbæ:
Atque vbi LAVRENTES *aduenit cominus* ARCES,
Magnum Regis opus, solio sublime sedentem
Conspicit in multâ gemmarum luce PHILIPPVM.
CENTVM *illinc* POPVLI, *centum responsa petebant.*
Hinc quibus ÆTNÆAS *datur aspectare* FAVILLAS;
Et quos SIRENVM *mittit domus: inde superbus*
INSVBER; *&* *rapidæ tortor* BALEARIS *habenæ:*
Et quos tot titulis distinguit IBERIA *gentes:*
Et LYBIS: *&* *primi mirator luminis* INDVS:
Ignotisque auium velat quæ corpora pennis
MEXICA, *vel fului diues* PERVANA *metalli:*
Inque NOTOS *vergens* ALIVS *quos despicit* AXIS.
NON TOT CONTINVIT ROMANA POTENTIA TERRAS,
TVNC CVM SVMMA FVIT: *nec ad hac fastigia rerum*
Sub Duce Pellæo MACETVM *venère sarissæ.*
Nunc quoque BISTONII *quamuis sint vasta* TYRANNI
Regna; nec exiguo claudatur limite PARTHVS;
Et latè gelidi glacialia littora Ponti
SARMATA *possideat; plaustrisque vagantibus exul*
Mutet sæpè domos SCYTHICORVM *rector equorum;*
Multaque perpetuo defendat millia muro
SINARVM *Dominus; vix & sua nouerit arua*
Qui regit ÆTHIOPAS, *damnatum Solibus orbem:*
HESPERIIS NEMO REGNORVM FINIBVS EXIT
LONGIVS. ——

* Alberti Archiducis.

Hanc veritatem etiam elatè celebrant fideles Belgæ. Abrahamus Ortelius, æui nostri Ptolemæus, Theatrum suum Orbis terrarum inscripsit, PHILIPPO II. *Regi, omnium ætatum & totius Orbis amplissimi*

Præfat. in Admir.

Imperij Monarcha. Iustus Lipsius, Scriptor famâ inclytus, *datam*, ait, *& demissam è cælo Familiam Austriacam ad Imperia Terrarum*. & alio loco PHILIPPVM III. tunc Hispaniarum Principem sic alloquitur: *Nihil blandimur* TIBI, *nec publicè locus sit aut gratia: sed* AB ORBE CONDITO *non fuit qui* MAIOR *in re aut spe fuerit, quàm* TE *fata videntur destinasse. Praeest iam dudum* MAXIMVS REGVM PATER TVVS *tot Regnis, in vtroque Orbe iura reddit, veteri & nouo.*

Præfat. in Milit. Romanâ.

Præfat. in Hist. Insubr.

In eo argumento exsultat quoque Florus nostri sæculi Erycius Puteanus, vbi ad Regem maximum PHILIPPVM IV. verè ac venustè scribit: *Tui sunt fluuij, Tui lacus, Tuus Oceanus: & quidni omnem derepentè flammam compescens, stragem possis & ruinam inhibere? Quid? cùm nullus ignis erit, tuo magis iubare relucebis: cùm verò sedabis tempestates, agnoscent omnes à cælo in terras salutare sydus descendisse. Ideò profectò* SVMMVS ES: *& tamquam vnius potentiâ tranquillitas nitatur omnium,* MAIESTATE MVNDVM COMPLES. *Quis tam remotas adijt terras, tam vasta nauigauit maria, vt* MAGNITVDINIS TVÆ *fines excederet? Vbicumque Sol oritur, vbicumque occidit, tuus est: cùm lustrauit omnia, adhuc à* TE *non discessit. Neque hoc Regnorum Tuorum decus aut robur imminuit, alieni alicubi siue iuris, siue potentiæ, siue fortunæ solum interiacere: vt non sine scopulis insulisque pelagus suum Neptunus habet, & tellurem tamen claudit; in* TVI IMPERII, *vt sic loquar, sinu situm est quidquid alienum est. Alterâ manu* ORIENTEM *(quod de Alexandro dictum est) alterâ* OCCIDENTEM *complexus, scire adhuc non potes, vbi tanti Nominis fulgorem condas. Nempe terrarum iste globus, quà modo caret & termino, Tui simulacrum exhibet; ijdem Imperij Tui & Mundi limites sunt; ijdem Nominis Tui & Temporis; ijdem virtutis Tuæ & Æternitatis.*

Alio insigni vtitur Elogio Casp. Geuartius, I. C. Ferdinandi III. Cæsaris Historiographus, vir candidæ fidei ac doctrinæ singularis, & verè Belgij Honos. sic ille de Augustissimâ Austriæ Domo, in quâ PHILIPPVS IV. Rex primatum natalium tenet: *Eius ea est Imperij magnitudo & vastitas, vt nullo non momento Sol Regionem aliquam ditioni eius subiectam permeet ac illustret, quacumque cæli parte die noctuque voluatur: quod de nullo maximorum Imperatorum aut Regum, quotquot olim fuêre, vel modò supersunt, reuerà dici potest. Quinimò asserunt, non ita pridem Regem Persarum ad Hispaniarum Regem litteras misisse cum hac inscriptione:* REGI, QVI SOLEM HABET PRO GALERO. *Quod nempe numquam non populorum aliquorum Coronæ Hispanicæ subditorum, lateque per Orbem terrarum sparsorum, vertici Sol incumbat.*

In Pompâ Introitus Ferdinandi Hispaniar. Infantis in vrbem Antuerpiam. Ferrer. præfat. Catholic. Stat.

Denique Nicolaus Vernulæus, Louanij celebris Professor eloquentiæ,

quentiæ, de dominatione Gentis Austriacæ sic prolixiùs, & capitibus distinctis: *Eius potentia tanta est, vt nec maior olim Romanorum fuerit, nec hodie vllorum Principum sit, aut Regum. Orientem enim vnâ, Occidentem alterâ manu tenere videtur. Et ille temporum Sol parens dum alijs occidit, semper in aliquâ Gentis Austriacæ Prouinciâ oritur, & diem facit. Noctem nescit, tantum Imperium, quod alicubi diem semper habet.* Apolog Austr. c. 2.

Si consideremus GERMANIAM, *in eâ* FERDINANDVS *Austriacus, præter* HVNGARIAE BOHEMIÆQVE *Regna*, AVSTRIAM, DALMATIAM, CROATIAM, SCLAVONIAM, STYRIAM, CARINTHIAM, CARNIOLAM, MORAVIAM, SILESIAM, LVSATIAM, WIRTEMBERGAM, ERGOVIAM, TYROLIM, ALSATIAM, *opulentas omnes & amplas Prouincias possidet, suoque Imperio complectitur. Et quamquam inter Principes Austriacos eæ aliquando Regiones diuidantur; tanta tamen concordia est, vt omnium sit quod singulorum est; & plurium opes vnius Familiæ potentiam constituant. Adeoque qui Principem vnum ex hac Domo lacessit, omnium potentiam irritat, & tacitâ hac catenâ omnium in se vires attrahit.* In Germaniâ.

Accedit IMPERIVM, *in quo idem* FERDINANDVS *hodie post tot* AVSTRIACOS *constitutus* IMPERATOR; *tantæ dignitatis accessione mirum quantum hereditariam potentiam auget, & Germaniæ viribus hostes suos deterret.* In Imperio.

Si in HISPANIAM *oculos coniiciamus, eâ tota in tot Regionum amplitudine* PHILIPPO IV. REGI AVSTRIACO *paret, & suis viribus Regni sui Monarchiam tuetur. Bellatrix illa* HISPANIA *viris armisque nobilis, tot exercituum seminatrix,* INDIAE VTRIVSQVE *&* NOVI ORBIS *domitrix, non paruam exteris formidinem incutit.* In Hispaniâ.

Si in ITALIAM *nos conuertamus, hic* SICILIA, SARDINIA, NEAPOLIS, DVCATVS MEDIOLANENSIS, *Austriacos sub Hispano fasces agnoscunt, & vires suas facilè per Alpes & Tyrolim Austriæ coniungunt.* In Italiâ.

Quid quod BVRGVNDIA BELGIVMQVE, *fortissimæ & verè militares Prouinciæ, ac certissimum Regis Hispaniæ patrimonium, Austriaci iuris sunt?* In Burgundiâ & Belgio.

Quid quod idem Rex ita in multis AFRICAE ASIAEQVE *locis dominatur, vt illi compedes, huic frænum iniecisse videatur?* In Africâ & Asiâ.

Iam VTRAQVE INDIA, ORIENTALIS *&* OCCIDENTALIS; *illa* AMERICA, *ille nouus & Romanis incognitus Orbis, per* HISPANVM *ab Austriacis legem accipit. Magnum sanè tantæ potentiæ incrementum; nisi* FONTEM *potiùs dicamus, vnde illa* INGENS VIS AVRI *quotannis promanat, quo tot in Europâ Prouinciæ Regnaque ditantur, defenduntur, in Austriacorum obedientiâ fideque retinentur.* HIC MONARCHIAE HISPANICAE In Indijs.

SPANICAE NERVVS EST; *etsi ipsa per se potens sit* HISPANIA, AVRI *& aliarum opum feracissima.*

Neque alia porrò est HISPANI *quàm Gentis totius Austriacæ potentia: sicut enim vinculo quodam & cognatione inter se continentur, ita ex tot Prouinciarum opibus vna vnius Gentis potentia est. Vires, vbi & quando opus est, iungunt: vnius hostis omnium hostis est: qui vnum inuadit, totius Familiæ vim sentit. Non exiguum etiam pondus ad hanc potentiam adferunt ij Principes, qui huic Genti obnoxij sunt, aut quorum illa Patrocinium suscepit.*

Iraque ex illâ tot Regnorum & Prouinciarum legitimâ coniunctione, Maiestate in immensum auctâ, PHILIPPVS IV. Rex Catholicus, Austriacæ familiæ Caput, prærogatiuam exigit aduersus Regem Franciæ; & iure quidem perquam optimo: quandoquidem haud obscurè constet, ob eamdem causam, PIVM V. eximiæ sanctimoniæ summum Pontificem, PHILIPPO II. Hispaniarum Regi (etsi Lusitaniâ nondum potienti) PRIMATVM inter Reges attribuisse. Cùm enim horraretur Maximum illum Regem verè Pius Pontifex, vt Insulæ Melitæ auxiliaretur, sic ad eum scripsit VIII. die Dec. anni

Lib. 1. Epist. 28. M. D. LXVII: *Proinde æquum est cùm alios Principes, tum* IN PRIMIS *Maiestatem Tuam (cui Deus tot Regna & tantas opes concessit, vt ipsa* POTISSIMVM *populum suum ac Religionem Christianam ab impio & immanissimo hoste defendat) enixè eum Ordinem tam necessario tempore iuuare.*

Rursus cùm eumdem Regem compellaret idem Papa PIVS, vt aduersus Turcas afflictæ Ecclesiæ suppetias ferret, sic ei mentem suam litteris Apostolicis significauit VIII. Martij M. D. LXX. *Quod vt fiat,* MAIESTATEM TVAM, *quæ* INTER CETEROS ORBIS CHRISTIANI PRINCIPES *non minùs erga Deum Omnipotentem Pietate quàm* VIRIVM POTENTIA EXCELLIT, POTISSIMVM *decet adiuuare.* Tum post nonnulla: *Tu igitur, charissime Fili, quem omnipotens Deus tot egregijs virtutibus ornauit, tot opulentissimis Regnis ditauit,* PRIMVS *Christianos Principes ad fœdus contra communes hostes ineundum hortare: sequentur* AVCTORITATEM TVAM *ceteri Reges.* Subiungit demum: *Christianis Principibus,* TIBIQVE IN PRIMIS, *aduentantium luporum clamorem lacrymis & gemitu significamus.*

(Marginal note beside the paragraph above: Lib. 4. Epist. 13.)

Anno dein subsequenti M. D. LXXI. XVI. Kal. Dec. supremus

Lib. 5. Epist. 7. idem Christi Vicarius SIECVM Persarum Regem admonuit, *rogandos esse Christianos Principes omnes,* IN PRIMISQVE *charissimum nostrum in Christo Filium,* PHILIPPVM *Catholicum Hispaniarum Regem, vtpote* INTER CETEROS PRAEPOTENTEM, *& Regnorum amplitudi-*

ne,

ne, & multorum robore populorum, & opum diuitiarumque splendore florentissimum, vt omnes conspirarent in Turcarum Tyranni rabiem & furorem comprimendum.

Vt verò palàm constet facta PII Pontificis verbis eius respondisse; ille, cùm promouendum foret Christianorum Principum fœdus, illo eodem anno M. D. LXXI. *in amplissimo Cardinalium consessu ad* XIII. *Kal. Iulias habito* (inquit Gaburius, qui ipsas Legatorum institutiones inspexerat) *Cardinalem Alexandrinum ad tres præcipuos Christiani orbis, eosdemque potentissimos*, HISPANIAE *videlicet*, GALLIAE *&* LVSITANIAE REGES (nota ordinem) *Legatum Apostolicum declarauit.* In Vitâ Pij V. l. 4. cap. 8.

Veruntamen ob illam Catholici Regis prominentem prærogatiuam, ne Francis inuidentibus præberetur occasio discedendi à rectâ fide, vt ipsi per Carolum Cardinalem Lotharingum an. M. D. LXIII. ac deinde per Legatos Sedi Apostolicæ minitabantur; atque vt salua & integra maneret Hispaniæ dignitas; motu proprio eiusdem PII PP. V. per Apostolicum Breue declaratum est, *non nocituram Hispanorum iuri & antelationi vitationem concursus cum Franciæ Legato*: dataque est instructio Legatis Hispanicis, Comiti Oliuariensi, & alijs, quâ significatum fuit, PIVM PP. IV. *contra Hispaniæ prærogatiuam nihil decreuisse; Catholicumque ac religiosissimum Regem* PHILIPPVM II. *diuini cultus incensum studio contentionem distulisse, ne Franci eâ occasione à fide deficerent.* Ad hæc, minimè prætereundum videtur id quod à PIO II. PP. omnis Ecclesiasticæ antiquitatis scientissimo, obseruatum est: *Consueuerunt* (inquit) *Romani Præsules, vbi* IVSTITIA *sine publico scandalo ministrari non potest, tam diu dissimulare, donec temporis opportunitatem capiant: neque id legum conditores vetant: semper enim maiori malo est occurrendum.* Valdesius cap. 3. Lib. 3. Cóment.

Regnorum porrò & Prouinciarum, quorum titulis Rex Catholicus in Diplomatis legitimè vsus est, hæc est series:

PHILIPPVS *Dei gratiâ Rex Castellæ, Aragoniæ, Legionis, vtriusque Siciliæ, Ierusalem, Portugalliæ, Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Maioricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiorum, Algeziræ, Gibraltaris, ac Insularum Canariæ, & Indiarum tam Orientalium quàm Occidentalium, ac terræ firmæ maris Oceani.* Regna.

Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ & Mediolani. Ducatus.

Comes Habspurgi, Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ Palatinus, Tirolis, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ. Comitatus.



Princeps

Principatus. Marchionatus. Dominia.

Princeps Sueuiæ, Marchio Sacri Romani Imperij, Dominus Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ, Ciuitatum, vrbium & Prouinciarum Vltraiecti, Transisalanæ & Groningæ: & Dominator in Asiâ & Africâ.

Ecce quàm modestè Rex maximus multa amplissimaque noui Orbis Regna solo **Indiarum** nomine comprehendat, quæ alioqui paginas integras implere possent. Iustissimos nihilominùs eius titulos nouitius quidam Scriptor non erubuit *titulosas multisque versibus insignes Hispanorum appellationes*, velut ex ioculari ludibrio, nuncupare: meminisse debuerat ille, suos Reges, cùm aliquid extra Regnum Franciæ quouis iure possiderent, illud non prætermisisse: Ludouicus enim XII. se inscripsit *Regem Franciæ, Ducem Mediolani ac Dominum Genuæ*; Henricus III. *Regem Franciæ & Poloniæ:* qui postremus cùm Regias tres Coronas nummis insculpi fecisset, quia Francicam & Polonicam dumtaxat possidebat, tertiam extra Orbem terrarum inuestigauit, additâ nummo epigraphe: *Manet vltima cœlo.*

Vindex Gallicus cap. 7.

Sueciæ Reges in scuto cæruleo tres præferunt aureas coronas, Succorum, Gothorum & Vandalorum: ob quas cùm ineunte anno M. DC. XXXII. Gustauo Adolpho Regi Germaniam deuastanti mutuus affatus cum Ludouico XIII. Franciæ Rege, Metis tunc agente, per Brezæum Marchionem Cardinalis Richelij nomine proponeretur; respondit Rex Gustauus se cum Ludouico Rege ita demum collocuturum, si is religiosè & ad amussim obseruatam vellet dignitatis prærogatiuam, quam ipse Suecus in gradu, sede, incessu sibi deberi affirmabat. Quo accepto responso turbatus Richelius ac pudore suffusus, vrgere congressum Regum vlteriùs destitit. Itaque si Franco Regi ter diadematus Suecus loco cedere noluit; quantò magis Franco anteire debet Hispanus, qui coronis plusquam vicenis caput redimitum habet.

In Dedicatione Tomi 3. Annal.

Non igitur præter æquitatis normam Cardinalis Baronius PHILIPPVM II. Regem Catholicum vocat *Regum Maximum:* nec absque maturo consilio Onuphrius Panuinius Veronensis, *Pater Historiæ Romanæ* dictus, libros quatuor, quos de Principibus Romanis, ijsque, quorum maxima in Italiâ Imperia fuerunt, eidem PHILIPPO II. dedicauit hac epigraphe: REGVM MAXIMO, PHILIPPO AVSTRIO, IMP. CÆS. CAROLI V. AVG. F. REGI CATHOLICO, & ORTHODOXAE FIDEI DEFENSORI.

Magnorum itaque virorum vestigijs insistens Carolus Scribanius è Societate IESV, Institutionem Principis Christiani anno M. DC. XXIV. benè inscripsit PHILIPPO IV. REGVM MAXIMO: cui compendioso honoris titulo in alterâ Epistolæ editione hunc

substituit:

substituit: PHILIPPO IV. *Catholico, Hispanico, Austriaco, Surgentis & Occidentis Solis Indico, Germanico, Belgico, cis & vltra Pharum Siculo, Burgundico, Insubrico, Sardico, Balearico, Ierosolymitano, Canarico, Corsico, Asiatico, Africano Regi: Archiduci, Principi, Marchioni, Comiti; Insularum Oceani Domino*. Atqui posterior hæc inscriptio non aliter differt à priori quàm definitio à definito. Nec minori ratione Ioannes Solorçanus præclarum Opus suum de Indiarum iure eidem Catholico Regi sic inscripsit anno M. DC. XXVI. D. PHILIPPO IV. *Hispaniarum & Indiarum Regi, optimo*, MAXIMO, *id est, omnium ferè Nascentis Obeuntisque Solis Regionum* IMPERATORI *semper Augusto:* quem mox appellat *Regem omnium, quos Sol vmquam aspexit, Augustissimum ac potentissimum*. Sed audi & obserua Francorum consensum in titulo REGVM MAXIMI, PHILIPPO IV. Regi meritò attributo. Augustinus Barbosa Lusitanus de Iure Ecclesiastico vniuerso Lugduni in Galliâ Opus edidit anno M. DC. XXXIV. sumptibus Laurentij Durandi, cum priuilegijs Vrbani VIII. Summi Pontificis, & Ludouici XIII. Regis Christianissimi; vastumque illud Opus inscripsit: PHILIPPO IV. *Regi Catholico, Hispaniarum & Indiarum Regi inuictissimo S. R. E. Gladio, Clypeoque* MAXIMO, *Fidei defensori acerrimo, inconcusso veræ Religionis fundamento*, REGVM MAXIMO. Quibus elogijs in Regno Franciæ auctoritate Pontificiâ Regiâque promulgatis contradixit nemo, neque verbo in publicum emisso obmurmurauit; quia nempe veritas haud secùs potest quàm ignis flammas vibrans celari.

Vestigia igitur relegens mea, verè & audacter repeto, Regem Catholicum Rege Franciæ longè maiorem esse; quandoquidem plura Regna, Prouincias ac suprema Dominia solus obtinet quàm Franciæ Rex ciuitates: idque concluditur ex celebri doctrinâ [1] Baldi, quæ fulcitur illo [2] Prouerbiorum: *In multitudine populi dignitas Regis: & in paucitate plebis ignominia Principis*: prætereà auctoritate diui [3] Thomæ, & aliorum quos citat [4] Chassanæus: eaque propter Regem Hispaniarum ceteris præferunt [5] Bolognetus, [6] Lindembergius, [7] Marzarius, [8] Borrellus, [9] Malunenda, [10] Bosius & alij, qui *Catholicum Regem Potentiâ & Maiestate Imperij non modò Sinensi anteferunt, sed etiam Romanis Imperatoribus*: quorum licet Monarchia fuerit olim omnium [11] amplissima, concludunt tamen, illam viginti & pluribus etiam partibus ab Hispanicâ superari: hæc enim circumdat & peruadit Orbem vniuersum, & ab Oriente in Occidentem ita protenditur, vt possit quis Orbem totum circumnauigare, nec tamen ex Hispanico Dominatu excedere. Dudum certè Catholici Reges multa Regna in

In Dedicat.

1 In l. 1. de Offic. Præf. præt. & in l. *Sed et si militet*. D. De excus. tutor.
2 Cap. 4.
3 Lib. 2. de Regim. Princ. cap. vlt.
4 In Catalogo p. 5. consideratione 37.
5 Consilio 1.
6 Lib. 2.
7 Cons. 26.
8 Cap. 45. & 46.
9 Lib. 3. de Antichr. cap. 15.
10 Lib. 8. de Signis Ecclesiæ c. 1. & 7.
11 Dan. 2.

in Europâ & magnam Africæ partem obtinuerunt: iamque in Asiâ Orientalibus Indijs potiebantur, cùm adiecta fuit eorum Imperio quarta mundi pars, aut, vt veriùs dicam, ALTER ORBIS; quem dum detexit ac sibi subiecit Hispania,

Claudian. Paneg. 4. *Subdidit Oceanum sceptris, & margine cæli*
Clausit opes. ——

Iustinus Hist. l. 18. Apud Tyrios olim Regnum adeptus est STRATO, propterea quòd ortiui Solis fulgorem versus Occasum in summo ciuitatis fastigio primus indicauerat: PHILIPPI Hispaniarum Reges vtriusque Solis iubar priores inspexerunt, vt in vtroque Orbe, Deo acceptissimi, feliciter imperarent.

De Iure Venet. & Sabaud. cap. 21. In Legato cap. 39. *Quantò* igitur *potioribus quis imperitat* (verba sunt Grauinckelij I. C. Bataui) *tantò* POTIOREM *habendum esse omnes norunt*. Atque (vt ait Paschalius, Regis Franciæ apud Rhetos Legatus) *nobilissimum, opulentissimum & POTENTISSIMVM quemque prima siue superioris sessionis honor demonstrat*. Talis autem est PHILIPPVS IV. Rex Catholicus: illi ergo, ipsorum etiam hostium iudicio, πρωτεία assignari debet.

Verbo Ordo. Caput hoc absoluo alio reconditiore argumento, & ex ipsis latebris Romanæ antiquitatis; cuius cognitio hîc nobis subsidio & adiumento erit. Festus Pompeius sic de ordine Sacerdotum: *Maximus videtur Rex, deinde* DIALIS; *post hunc Martialis; quarto loco Quirinalis; quinto loco Pontifex Maximus. Itaque in conuiuijs solus Rex supra omnes accubat; sed* DIALIS *supra Martialem, Martialis supra proximum; omnes deinde supra Pontificem: Rex, quia* POTENTISSIMVS: DIALIS, *quia vniuersi mundi Sacerdos*. Quinque dumtaxat conuiuas in hoc Pontificali epulo Pompeius enumerat, ita vt instructum fuerit triclinium tali modo: In summo lecto solus accumbebat REX SACRORVM; in medio FLAMEN DIALIS supra Martialem; in imo Pontifex supra Quirinalem. Sed & de Diali audiendus est Fabius Pictor:

Apud Gellium l. 10. cap. 15. Verbo Maximus. *Super Flaminem Dialem in conuiuijs nisi Rex sacrificulus haudquaquam alius accumbit*. Quorsum ista Dialis superlatio? quia, vt dixit Festus, *vniuersi mundi Sacerdos* erat, & idcircò *maximæ dignationis inter quindecim Flamines*: Sacerdos quippe τοῦ Διὸς: cui præ alijs Numinibus maior potestas & in Orbe imperium. de cuius summo dominatu Naso:

Lib. 10. Metam. —— *Cedunt* IOVIS *omnia Regno*.

Itaque moris erat Romæ, sacrorum REGEM, QVIA POTENTISSIMVM; ac deinde potentioris Dei ministros, quia digniores, ordine alijs anteponere: illa verò mundi quondam Domina, Christianis initiata sacris, gentiles ceremonias omnes non abrogauit, sed ex pro-

tanis

fanis ritibus plerosque retinuit, & sacros effecit. Factâ igitur comparatione prisci æui cum nouo, PHILIPPO IV. Regi Catholico, QVIA REGVM POTENTISSIMO (& Legatis eius, quia dignioribus) Romæ prior & superior ante Regem Franciæ & eius Legatos locus est adiudicandus.

MORIBVS ANTIQVIS *stet Res Romana viriśque.*

CAPVT XV. ET VLTIMVM.

Quarta Prærogatiua Catholici Regis, à Christianitatis antiquitate ac perpetuo Orthodoxæ religionis zelo. Franci Occidentales ne quidem primi in Gallijs fuêre Christiani; quinimò ab Hispanis liberam Christianitatem per medios Burgundiones mutuati sunt.

NON est nostri genij ex hortis alienis flores carpere, & aliorum qui ante nos scripserunt gloriæ inuidere: nimirum enuntiamus mysteria, & in ARCANIS recondita cistis Orgia vulgamus. Iacobus Valdesius & Alexander Patritius præclaris docuêre monumentis, priscos in Hispaniâ Gothorum Reges sacrâ vnctione fuisse delibutos, priusquam ceteri Orbis Christiani Reges eo iure vterentur: insuper *Christianissimi* titulum Regibus Hispaniæ vsitatum ac debitum fuisse sæculis aliquot, antequam eumdem Summus Pontifex Regi Franciæ concessisset. Postremò, Reges Hispaniæ, neglecto *Christianissimi* titulo, vtpote nimis vago & cum hæreticis schismaticisque communi, sese CATHOLICOS & ORTHODOXOS nuncupasse; atque ita à Pontificibus & Ecclesiæ Comitijs iure merito fuisse appellatos. Illis addo ipsissima Baronij S. R. E. Cardinalis litteratissimi verba, quibus agnoscit *haud recentem, vel indebitè vsurpatum, titulum Hispaniarum Regum, vt* CATHOLICI *cognominentur: vtpote tanto facti titulo digni, quòd non solùm iurent se fore Catholicos, sed neque passuros quemquam non Catholicum in amplissimo suo Regno reperiri.* Contrà, Reges Franciæ conscientiæ, vt vocant, libertatem passim permittunt, præter solemnis iusiurandi caput, quod priusquam inungantur sic pronunciant: *Item de terrâ meâ & iurisdictione mihi subditâ hæreticos ab Ecclesiâ denotatos pro viribus bonâ fide exterminare studebo.* Insuper cum infidelibus & hæreticis Franci fœdera percutiunt, eorumque vires euocant ac fouent aduersus Catholicos: quod longè abest à titulo & origine Christianissimi.

In Prærogat. Hispaniæ. In Marte Gallico.

An. DC. XXXVIII. num. II.

Ceremoniale Franc. cap. vlt.

Perperàm quoque Scriptores Franci Reges suos PRIMOGENITI ECCLESIÆ FILII & CHRISTIANITATIS ARBITRI titulis cohonestare solent, nullis omnino productis in medium Summorum Pontificum aut Conciliorum testimonijs in eorum confirmationem. Illud quidem constat, CLODOVEUM I. Regem à Concilij Aurelianensis primi Patribus appellatum fuisse *Catholicæ Ecclesiæ filium*; sed latiùs id nominis extendi quàm vt vni competat, facilè quiuis intelligit: quandoquidem Principes Orthodoxi omnes Ecclesiæ Catholicæ reuerà filij sunt & dicuntur. Primi autem ortus seu Christianorum natalium prærogatiuam nemini hactenus Romani Pontifices adscripserunt: quæ si à Clodouæo manaret in posteros, ad Regem Catholicum præcipuo quodam antecessionis iure spectaret.

Anno D. XI.

Frustrà etiam Occidui Franci priorem alijs omnibus Christianitatem sibi vindicant, cùm minimè apud illos tutam sedem primùm fixerit, vti paucis ostendo ex ipsis Euangelicæ libertatis incunabulis, hoc est, ex initijs publicæ professionis mysteriorum fidei, à catastis, eculeis atque crucibus immunis.

Versabatur in Galliâ Belgicâ Constantinus Magnus Imperator, vnde populos circa Rhenum & Oceanum tumultuantes represserat, cùm ei de liberandâ à tyrannide Maxentij Româ seriò cogitanti, plurimis oppressorum legationibus excito, & iam ad iter se accingenti, ostensum est diuinitus in cælo SALVTARE SIGNVM, promissaque de Tyranno victoria hoc monito, ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, *In hoc vince*. Quo de ostento cùm Sacerdotes & veræ religionis professores consuluisset, signum Crucis labaro inscribi mandauit, vt Sozomenus disertè: Τοιαῦτα τῶν ἱερέων ὑφηγουμένων, θαυμάσας τὰς περὶ τοῦ Χριστοῦ προφητείας ὁ βασιλεὺς, ἐκέλευσεν ἄνδρας ἐπιστήμονας χρυσῷ, καὶ λίθοις τιμίοις εἰς σταυροῦ σύμβολον μεταποιῆσαι, τὸ παρὰ Ῥωμαίοις καλούμενον λάβαρον; *His rebus à Sacerdotibus expositis, Imperator Prophetias de Christo admiratus, mandatum viris arte peritis dedit, vt* SIGNVM, *quod à Romanis* (Thraces intelligit) LABARVM *vocabatur, in* EFFIGIEM CRVCIS *auro & lapidibus pretiosis collustratam mutarent*. nempe, vt eius assiduo aspectu & CVLTV (subiungit) subditos suos paulatim à falsis ritibus auocaret, eumque solum Deum existimarent, quem ipse coleret: quo duce & adiutore in bellis contra hostes gerendis vterentur. De ambulante Constantini per Belgicam exercitu, cuius fama in Celtas & Aquitanos se diffuderat, Nazarius, exsors licet Christianæ fidei, sic loquitur: *In ore est omnium Galliarum, exercitus visos, qui se diuinitus missos præ se ferebant: flagrabant* HORRENDVM NESCIO QVID (crucem nimirum:) *vmbones corusci &* COELESTIVM ARMORVM

Euseb. l. 1. de Vitâ Constant. cap. 22.

Lib. 1. c. 4.

In Paneg. Constant.

RVM *lux terribilis ardebat*. De transitu Alpium cum illo eodem signo Prudentius ad vrbem Romam disertis verbis: Lib. 1. Contra Symmachum.

HOC SIGNO *inuictus* TRANSMISSIS ALPIBVS *vltor*
Seruitium soluit miserabile CONSTANTINVS,
Cùm te pestiferâ premeret Maxentius aulâ.

Dixi autem in Belgicâ contigisse ostentum illud (nam eidem Cæsari posteà quoque oblatum fuit tum Romæ, tum apud Scythas, adeoque Bisantij) quia Constantinus castra sua firmissimis aggeribus munita Niuomagi habebat, dum Romanis aduersus Maxentium opem ferre cogitaret, vt ex carmine Ausonij haud obscurè colligitur: qui Præfectus Prætorio Galliarum circa annum Christi CCC. LXX. Mosellæ fluminis tractum curiosè perlustrarat. sic enim ille: Nicephorus lib. 7. cap. 47. & 49.

Et tandem primis BELGARVM *conspicor oris* In Mosellâ.
NIVOMAGVM, *Diui* CASTRA INCLYTA *Constantini:*
Purior hic campis aër, Phœbusque sereno
Lumine purpureum reserat iam sudus Olympum.

Inclyta vocat castra, seu fulgore gloriæ splendentia, ob cæleste Constantini visum, verique Dei cultum, qui publicè ibidem cœptus in sacrorum adoratione vexillorum. Raram illam Belgij antiquitatem sic obiter tetigit Aubertus Miræus: *Constantinus ipse* APVD TREVIROS *cælesti Crucis ostento contra Maxentium animatus, post Alpes cum exercitu transgressus, eumdem ad Pontem Miluium prælio superauit.* Soler- ter equidem *apud Treuiros*. Niuomagum namque, vbi validæ Constantini muniriones erant (vulgò **Neumaghen**) vicus est ad dextram Mosellæ fluminis, ad viam militarem, Augustam Treuirorum inter & Confluentiam, quæ Mosellam Rheno iungit. Illic ergo *primus Romanorum Principum (Constantinus Magnus, repudiatis erroribus, maiestatem Dei singularis & veri cognouit & adorauit*; anno scilicet Christi CCC. XII. qui idcircò *Felicissimus* audit, ob Ecclesiam Dei tum primùm in libertatem assertam. In Epist. præfixâ Chronico Belgico. Lactantius exordio Diuinar. institut. Baronius anno CCC. XII. num. 1.

Sciendum deinde, tradente Eumenio, eumdem Constantinum Magnum in Galliâ Belgicâ *Francos* posteà collocasse, *vt pacem populi Romani cultu iuuarent & arma delectu*. Vnde Belgica (ab incolis postmodum *Francia Orientalis* dicta) cælestibus magni Cæsaris præceptis instructa, Christianitatem profiteri cœpit, binis pænè sæculis ante Baptismum Clodouei in Franciâ Occidentali; in quâ Reges Capetini sceptrum posteà obtinuerunt. Rex autem Hispaniæ in Orientali, siue in Austrasiâ, maior est omnibus alijs Princeps; vtpote qui Belgicarum Prouinciarum heres ac legitimus Dominus ceteros potestate antecellat. Quid si & REGEM dicam? certè Carolum In Paneg.

Audacem,

Audacem, Burgundiæ Ducem, à quo illæ Prouinciæ cum armatâ aliarum Ditionum aduocatiâ Regi Catholico obuenêre, magni nominis viri *Regem Belgarum* nuncupare veriti non sunt. Hermolaus Barbarus Maximiliano I. Regi Romanorum electo coram patre Friderico IV. Imperatore, Venetorum nomine gratulabundus, in hunc modum locutus est: *Peruidit hanc indolis altitudinem* CAROLVS REX BELGARVM, *experientissimus belli Dux, & acerrimi vir ingenij, quâ vsque adeò exarsit, vt nihil priùs habere videretur, quàm vt vnicam sibi filiam, virginem magnæ spei, feminam lectissimam, heredem multarum Gentium Nationumque futuram, & omnino quam multi Reges appeterent, obseruarent, ambirent, tibi vni ferè puero, nec vxorio, nec quærenti, desponsare posset.* Iason quoque Maynus, celeberrimus ille Iureconsultus, Legatus Mediolanensis, in suâ ad eundem Maximilianum iam Imperatorem Oratione, de eius cum Blancâ Insubrum Principe nuptijs: *Hic generis tui Imperatorius splendor*, inquit, *hæc tam præclara adolescentiæ tuæ facinora, peculiares animi & corporis dotes, raræ admodum ac propè admirabiles*, CAROLVM *Burgundionum Ducem ac* BELGARVM REGEM *fortissimum facilè adduxerunt, vt ei assentiretur (quod post obitum per Diuam eius consortem & Primates effectui est demandatum) vt* MARIAM, *filiam vnicam, multarùm Gentium & Nationum futuram heredem, tibi,* REX, *pubescenti matrimonio collocaret.*

In Oratione Panieg.

Sed neque hîc inuidebo studiosis illustre monumentum, quod ex Baronio annotabam: tradit ille, OSIVM, Cordubensem in Hispaniâ Episcopum, CONSTANTINO MAGNO (cui summâ familiaritate coniunctus erat) suasisse, vt sacro Baptismate inaugutaretur; vnde vitum Hispanum constat fuisse auctorem salutis totius orbis Romani.

An. ccc. xxiv. num. 27.

Igitur si *seruandus ordo Nationum, vt quæque verbum Dei priùs suscepit;* sicut Æneæ Syluio aliquando placuit; Hispani haud dubiè, & Franci Ortiui quoque, Francos Occiduos præcedere debent: adeoque PHILIPPVS IV. Hispaniæ Rex vt talis, ac etiam vt Ortiuæ Franciæ Princeps maior, seu veriùs Rex legitimus, illi antestare Regi debet, qui in Occiduâ solùm Franciâ vsurpatum à Maioribus dominatum exercet.

lib. 2. de Gestis Concil. Basil.

Ad aliud iam & paulò propinquius sæculum pergo, quo videlicet Franci à Baptismo Clodouei Regis (qui anno CCCC. XCIX. peractus fertur) suam accersunt liberam Christianitatem; cùm tamen Burgundiones iam antè in ipsis Gallijs Christianam Religionem palàm profiterentur; vti constat è Paulo Orosio, S. Augustini discipulo, *qui* (Gennadio Massiliensi teste) *clarebat extremo penè Honorij Imperatoris*

De Scriptor. Eccles. c. 39.

ratoris tempore, suamque Historiam absoluit anno Christi CCCC.XVI. sic enim ille de Burgundionibus: *Eorum esse praeualidam & perniciosam manum Galliæ hodieque testes sunt, in quibus præsumptâ possessione consistunt: quamuis prouidentiâ Dei* OMNES CHRISTIANI *modò facti*, CATHOLICA FIDE, NOSTRISQVE CLERICIS, *quibus obedirent*, RECEPTIS, *blandè, mansuetè innocenterque viuant, non quasi cum subiectis* GALLIS, *sed verè cum fratribus Christianis*. Latet sub ijs Orosij verbis abstrusum quid, & in primis notatu dignum: is quippe *gente Hispanus*, patriâ Tarraconensis fuit; eiusque æuo Reges Gothorum, ALARICVS & ATHAVLPHVS, in Hispaniâ & Galliâ Aquitanicâ vsque ad Rhodanum flumen rerum potiebantur, *easque Regiones tamquam lares proprios vendicabant, donatione Honorij Imperatoris sacro oraculo confirmatâ*. Orosius ergo Hispanus, vbi ait Burgundiones, NOSTRIS CLERICIS, *quibus obedirent, receptis*, Christianis sacris initiatos fuisse; haud dubiè populares suos Sacerdotes Hispanos intelligit; quos etiamnum Hispani vernaculè *Clerigos* vocant. Ceterùm quod de Gallis Orosius addit, nihil attinet ad Francos Occiduos, qui tunc *fanaticis Deorum cultibus adhuc addicti*, nondum in Gallias tam procul penetrarant.

Lib. 7.

Bellarm. de Scriptor. Ecclesi. anno cccc.xxv. Iornandes de Rebus Geticis. Paulus Diac. l. 14.

Ad hæc sciendum, Francos Occiduos Burgundicis monitis & præceptis factos fuisse Christianos: CLOTILDIS enim *Regina, Chilperici, fratris Gundebaudi Burgundiæ Regis, filia*, CLODOVEO *Francorum Regi adhuc ethnico nupta, precibus suis & hortationibus* IPSI VNIVERSÆQVE GENTI *auctrix fuit, vt Christiana sacra abiectâ idololatriâ susciperet*. Adde, quòd & eadem CLOTILDIS in Vitis antiquis sancti Remigij & S. Bathildis nuncupatur *Christianissima*; quia nempe ad Orthodoxam fidem virum suum traduxerat. Ex quibus manifestum ac euidens est, Burgundiones ab Hispanis, Francos Occiduos à Burgundionibus, lumen fidei publicæ suscepisse; atque adeò liberæ Christianitatis in Occidente prærogatiuam non Francorum, sed Hispanorum & Burgundionum propriam esse.

Gregor. Turon. l. 2. c. 9. & 10. Idem Gregor. lib. 2. c. 30. & 31. Saussayus in Martyr. Gallicano 3. Iunij.

Verùm vt eiusmodi gloriam Burgundionibus Franci præripiant, obijciunt fidissimæ genti labem Arrianam; quandoquidem Rex GVNDEBAVDVS, Clotildis patruus, eâ infectus excesserit: quam deinde abiecit SIGISMVNDVS eodem Gundebaudo natus Rex: at ceteri eâ immunes vixerunt: alioqui Hilarius Papa, datis ad Leontium Arelatensem litteris anno Christi CCCC. LXIII. GVNDVICVM, Gundebaudi patrem, non appellasset *Filium nostrum*. Quęque de GODEGISILO, Gundebaudi fratre, eiusque coniuge THEODESINDA referuntur in Actis SS. Victoris & Vrsi, de Basilicâ ab ijs regio sum-

In Vitis Patrum cap. 1.

ptu Geneuæ exædificatâ, translatisque Solodoro in eamdem sancti Victoris Reliquijs; quæ item de CHILPERICO, Clothildis patre, fratre Gundebaudi, memorantur à Gregorio Turonensi, & ab Auctore adhuc antiquiore, qui Vitas Sanctorum Iurensium, Romani, Lupicini atque Eugendi conscripsit; satis ostendunt singularem fuisse Gundebaudi Regis impietatem Arrianam, non autem vniuersæ priscorum Burgundiæ Regum familiæ communem.

His ARCANIS è priscâ Historiâ erutis, addenda essent recentiora Austriacorum Hispaniæ Regum merita; verùm quia egregiam in eo iam argumento posuit operam Ioannes Solorçanus in suis de Iure Indiarum libris, eâ scriptione in præsentiarum abstineo; & obiter tantùm dico, Austriacos Hispaniæ Reges pro Christiani nominis dignitate, pro antiquæ & germanæ Religionis auctoritate semper bella gessisse; negasse vllas se conditiones pacis posse admittere aut dare ijs, qui eorum Imperio obnoxij à fide Catholicâ abhorrerent: neque clientes habere voluisse, qui Christi germanæ proles non essent: eorum fortitudine, curâ, sedulitate, plures Christiano gregi Gentes & Nationes adiunctas, quàm præteritis sæculis aliorum seu Regum seu Imperatorum vigilijs studijsque: ijs deberi, quòd *à Solis ortu vsque ad occasum & laudabile sit & laudetur Nomen Domini*. Denique *Hispanorum opus esse* (verba sunt Genebrardi Theologi Parisiensis) *infideles & paganos expugnare*; addo ego, *& eosdem Christiano cœtui aggregare*: vnde tantam potentiam Hispanis Deus indulsit. Certè antiquus Scriptor, de Constructione nouæ Corbeiæ in Saxoniâ, credit idcircò CAROLVM MAGNVM *præ omnibus Christianis Regibus* POTENTISSIMVM *fuisse, quia quos suo dominio subiugabat*, CHRISTI NOMINI *dedicabat*.


Psal. 112. vers. 3. Lib. 4. Chron. anno M.CCCC. XCII.

Non erit igitur qui ex æquitatis normâ neget iustum esse, vt PHILIPPVS IV. decessorum iure Hispaniarum Imperator, antiqui Orbis potentissimus Archi-Rex, Clodouei Primi Regis & CAROLI MAGNI Imperatoris Germanus primigeniusque sanguis, dextrum Ecclesiæ brachium, ac firmissima fidei Catholicæ columna, Regi Francorum Occidentalium anteponatur; rituque solemni ac festo apparatu à sanctâ Sede Apostolicâ, NOVI ORBIS IMPERATOR, vti reuerà est, pronuntietur.

FINIS.

AD

AD VINDICIAS
HISPANICAS
LVMINA NOVA,
GENEALOGICA, SALICA,
PRÆROGATIVA:
SIVE
RESPONSA
AD FRANCORVM
OBIECTIONES.



PRÆFATIO.

CONSILIVM SCRIPTORIS, respondendi solis Veritatis viribus, spretà aduersariorum dicacitate.



IX *in Vindicias meas Hispanicas calamum strinxerat grandi volumine V.N. Ioannes Bouchetus, cùm se nouis eius opinionibus adiunxit M. Ant. Dominicus I. C. cuius è Typographiâ Regiâ* Anno 1646. ASSERTOR GALLICVS *prodijt, insolito editionis cultu ornatúque, vti phaleris equorum vitia tegi solent: sed quoniam eos qui veritati eliciendæ dant operam, ab omni fuco, inuidiâ atque odio vacuos esse decet; ista me certè non admodum mouent, neque talium ego cuniculos hostium reformido.*

Terna Lilia, in ipso Operis vestibulo, Orbi inscribat imperitandi libido, vt quam de vniuersi dominatione fiduciam concepit, vanis hisce imaginibus fallat: singula Capita ære sculptis laxurientur vmbilicis; Veritas ipsa nihilominùs, aduersus calumniantium audaciam, tecta satis atque munita est; nec aliter ac ingenuæ pulchritudinis virgo, mentitas modo Francico muscas aspernatur.

Quare, tametsi ne HERCVLES quidem contra duos; *& vetus Poëta canat;* Noli pugnare duobus; *atque adeò arduum in primis ac difficile videatur,* vnum compescere multos: *ego tamen, in hoc prælij campo, me* LAJO *&* PHERANDRO, *Veritatis viribus superiorem fore spero, cuiusuis periculi securus; accedente præsertim tutelâ & patrocinio vel vnius, sed qui instar omnium esse queat, Exc^mi Domini* GASPARIS BRACAMONTII, *Peñarandæ Comitis, ad* FERDINANDVM III. *Imperatorem Regij extra ordinem Oratoris, nec non in Monasteriensi Conuentu, pro Coronâ Hispanicâ Legati primarij, litteratorum vbique Mæcenatis.*

Hoc tamen de me ferent, qui mihi sunt aduersi, vt retento de Imperij Iuribus commentario iam affecto (quem alteri loco seponendum duxi) hic tantummodò sustinendum onus in me recipiam, non tam ingenij & facultatis, quàm fidei atque obseruantiæ in optimum Principem, PHILIPPVM IV. *Regem Catholicum, Dominum meum.*

Quo quidem in opere, adhibitis characteribus temporum, locorum atque originum, effecturum me confido, vt apud æquos rerum æstimatores eòdem reuoluantur Hispanicæ Magnitudinis aduersarij, vnde se subductos putant: nisi, vti solent, postea quam omnem rudentem mouerint, in tantâ Scriptorum turbâ, vetustiorum sensus detorqueant, vel ad alicuius ignobilis aut nouitij auctoritatem, vi argumentorum iactati, pertinaciùs adhæreſcant.

Cæterùm contumeliosè inuicem altercari, dicteria iacere petulantiùs, id verò neutiquam ingenui hominis esse arbitror, nec faciam. Perit siquidem illa, quæ plurimum fidei adfert modestia, si quis à viro bono in rabulam, latratorémque conuertitur: sicq; in animum semper induxi, omnem animaduersionem, seu castigationem contumeliâ vacare debere; atque ita liberalium artium studijs operam nauandam, vt neminem vmquam superbè premas, sed aduersantium inuidiam virtute potiùs atque obsequio vincas. Vnde si quid acerbiore stylo in petitam Gentem attulerim, non id mihi, nulli infenso, sed citatis auctoribus imputari volo. Qui tamen

Terentius in Phorm. prol.

Maledictis deterrêre, ne scribam, parat:
Is sibi responsum hoc habeat: IN MEDIO
OMNIBVS PALMAM ESSE POSITAM.

Vbi victoria contigerit citra cædem & sanguinem, Pace Reges inter conciliatâ, dexteras iungemus.

Benedictis si certasset, audisset benè:
Quod ab illo allatum est, id sibi relatum putet.

IN-

INDEX LVMINVM
GENEALOGICORVM.

LVMEN



AD

AD VINDICIAS HISPANICAS LVMINA NOVA GENEALOGICA.

LVMEN I.

Ex vetustatis fide ostenditur, Stemma Hugonis Capeti à communi Carlouingorum stipite per masculos deductum, haud germanum esse, sed fictitium.



OC ptæ alijs magnificum Principes habent, vt eorum origo, quodam modo nesciri cupida, inuestigantium industriam fatiget; quæ si minùs accuratos antiquitatis suæ scrutatores inuenerit, haud mirum, si falsa veris miscendo, non lucem veritati, sed tenebras offundant; tribuantque interdum antiquis Scriptoribus, quæ vel ijs numquam venerunt in mentem, vel etiam his, quæ ipsi scripta nobis reliquerunt, penitus repugnant. Quocirca, cùm hodieque Francos inter plurimum dissidij, palmariaque quæstio sit, *An Hugo Capetus, Occidentalis Franciæ Rex, à Carolo Magno Imperatore prosapiam trahat:* ita docui in Vindicijs Hispanicis, ab illo legitimè non processisse; vt ei qui sincero candidoque animo rationum mearum momenta perpenderit, nulla irrepere valeat calumniandi occasio. Maluêre tamen Francorum nonnulli temerè, & etiam cum notâ, ijs se argumentis obijcere quæ conuellere non poterant, quàm veritati velificari. Primus in arenam prodijt V. N. Ioannes Boucherus, Michaëlinæ militiæ Torquatus Eques, qui libro Gallico recèns edito, *De verâ origine Domus Regalis Franciæ,* probare conatus est, Hugonem Capetum ex eadem stirpe quâ Carolus Magnus, serie masculinâ oriundum esse; non quidem directâ lineâ ab Imp. Magno, sed transuersâ, à Childebrando Duce, Magni Caroli propatruo: muliebri verò serie ab Adelaide, quam facit filiam Ludouici Pij Imperatoris. Ex eius genealogiâ prolixiore hos gradus subijciendos duxi, in quibus difficultatis nodus consistit.

Parisijs 1646.

Fragmen falsæ tabellæ D. Ioannis Boucheti.

1. Pipinus Herstalius, Maior palatij Austrasiorum.

2. Carolus Martellus, Princeps Francorum, Caroli Magni auus.	2. Childebrandus, Dux & Comes.
3. Nibelungus I. Comes Madriacensis.	
4. Theodebertus Comes Madriacensis.	4. Nibelungus II. Vilcassini Comes.
5. Robertus I. Comes: vxor Agana. 5. Ingeltruda, vxor Pipini Regis Aquitaniæ.	5. Nibelungus III. Vilcassini Comes.
6. Robertus II. Fortis dictus, Dux Francorum, & Andegauorum Comes.	
7. Odo Parisiensis Comes, & Franciæ Rex: vxor Theoderada.	7. Robertus III. Rex Franciæ: vxor Beatrix.
8. Arnulphus Rex Aquitaniæ, *&c.*	8. Hugo Magnus, Dux Francorum.
9. Hugo Capetus Rex Franciæ, anno 987. quo Ludouicus V. decessit.	

Marcus Antonius Dominicus I. C. hanc eamdem genealogiam,
Pag. 17. *validissimis* (vt ipse ait) *à Boucheto argumentis ad hodiernos vsque Reges productam*, adfert, & sequitur passim in Assertore suo Gallico; *quia*, inquit, *demandatæ mihi prouinciæ munus exposcit, vt hoc loco Hugonem Capetum ex eodem Carlouingiorum stipite oriundum demonstrem:* ac si rei veritas à demandatâ ipsi prouinciâ penderet. In vtrumque igitur nihil moliar perturbatè, qui hactenus in veri dumtaxat inuestigationem incubui: sed ostendam solidè ac diuisim, stemma illud meris contextum esse figmentis: atque ita Bouchetum, eiusque sequacem Dominicum, in Vindicijs Hispanicis refellendis infelicem operam nauasse.

Et primò quidem generatim. Si de illius stemmatis veritate apertè constaret, regia gens masculina, quæ à sancto Arnulpho Metensi prodibat, non planè defecisset, contra omnium veterum fidem; è quibus nonnulli hîc attentè audiendi sunt, qui sub prioribus Capetinis Regibus scribentes, aliorum Regum *genus omne, prosapiam, familiam, progeniem, genealogiam, agnationem* extinctam tradunt. Glaber Rodulphus, Capeti æuo proximus, de Lothario & Ludouico V. Regibus:
Lib. 1. c. 3. *In his duobus Regale seu Imperiale illorum* GENVS *regnandi finem fecit.* Auctor antiquæ membranæ Floriacensis, post adductam mortem Lotharij

Lotharij Regis: *Cui successit Ludouicus filius eius, huius* PROSAPIAE *Regalis Rex vltimus*. Rigordus de gestis Philippi Augusti: *Carolus Simplex genuit Ludouicum, qui Lotharium, qui Ludouicum, huius Regalis* PROSAPIAE *vltimum*. Willelmus Nangiacus: *Balduinus Comes Hannoniæ processit de progenie Ermengardis Comitissæ Namurciæ, filiæ Caroli Ducis Lotharingiæ, patrui* LVDOVICI *Regis, vltimi de* GENERE *Caroli Magni*. Anonymus in Vitâ Ludouici VIII. Regis: *Hugone Capucio Comite Parisiensi, & Duce Francorum, Regnum inuadente, translatum est* DE GENEALOGIA *Carolorum* IN PROGENIEM *Comitum Parisiensium, qui de* GENERE SAXONVM *processerant*. Geruasius Tisleberiensis: *Lothario successit* LVDOVICVS: *Reges de* FAMILIA *Caroli defecerunt*. Guido de Basochijs: *Bis itaque in Regno Franciæ, mutatâ* REGALI SERIE, *fit tertiò* REGVM NOVA SVCCESSIO *de Hugonis Magni* PROGENIE: *nam Clodouei primò Pipinus, Karoli Magni pater, à sceptro amouit heredes: secundò Dux* HVGO *Karoli Magni sobolem extirpauit à Regni solio, quod sibi* SVOQVE GENERI *confirmauit*. Ioannes Iperius Abbas S. Bertini: *Hugo verò* CAPET, *more patrum suorum*, ODIO MOTVS ANTIQVO, GENVS *Caroli Magni cupiens eradere de Regno Francorum, contra Regem Carolum, necdum tamen coronatum, rebellauit*: manebat scilicet altâ mente repostum, quòd auum suum Robertum I. Regni iam vsurpatorem, Carolus Simplex in prœlio occidisset. Chronicon Laureshamense: *In horum Karolorum decessu, in vtriusque Regni fastigio*, KAROLORVM *illa* CELSA PROGENIES *facta est de medio*. Atque (vt ait Auctor Vitæ S. Genulphi) *Regnum in tertiam* (quæ Capetinorum erat) *est translatum*. Denique P. Æmylius, Francorum insistens vestigijs: *Ludouicus, Lotharij filius*, VLTIMVS *qui ex* AGNATIONE *Caroli Magni regium nomen gesserit*.

Chesne Tomo 2. | In Hist. Lud 8. | In otijs Imper. | Apud Alberic. an. 987. | In Chron. | Ad an. 895. | Lib. 3.

Præterea, si Robertus Fortis, progenitor Capetinorum Regum, ex eodem cum Carolo Magno stipite, per Childebrandum Ducem fuisset oriundus; id Auctores æquales silentio non prærerijssent. Contrà Fulco Remensis, in aulâ Regum potentissimus, testis locuples & rei conscius, *Odonem*, Roberti Fortis filium, iam in Regem electum, vocat *hominem à stirpe Regiâ alienum, qui regali tyrannicè abusus est potestate*. Alios verò Odonis propinquos, regium nomen affectantes, verbis conceptis appellat, *de alienâ stirpe Reges*; necnon, *ex alieno genere Reges*.

Flodoard. Hist. lib. 4. cap. 5.

Verùm Dominicus non negat, Hugonem Capetum reuerà ex alienâ stirpe à Carolo Magno fuisse; *quia*, inquit, *non ex eâdem lineâ Maiorum Domus originem traxerat, etsi ex vno eodemque communi stipite prodibat*. Assensum Dominici amplector; sed subiectam explicationem,

Pag. 23.

vt minùs veram, non admitto : imò affirmo, *vno genere, prosapiâ, familiâ, progenie, genealogiâ, agnatione, stirpe* (quæ sunt Auctorum verba solemnia) contineri omnes vnius generis lineas, ramos & capita, à primo orta ductaque stipite. Et quia ex veterum sensu (quibus debetur fides & veneratio) duæ priores Regum stirpes omnino defecerunt; non tenemur nouis Dominici commentis, tamquam Sibyllæ folijs, fidem adhibere : quibus insuper aduersantur quotquot recentiores, in hodiernum vsque diem, Francorum Annales in publicum emisêre; qui omnes vno consensu disertè tradunt, tres Regum familias fuisse, primam Merouingorum, Carlouingorum alteram, tertiam Capetinorum : quam etiam familiarum diuisionem ipse Dominicus, priusquam calamum mancipasset, planè & sine restrictione amplexus est in Disquisitione suâ, *de prærogatiuâ Allodiorum*, quam publici iuris fecit, antequam Vindiciæ nostræ in lucem prodirent; vbi passim de ijs agit, quæ sub primâ, sub secundâ, sub tertiâ Regum stirpe seu familiâ recepta fuerant.

Nec obstat, quòd à scriptoribus GENVS REGALE & REGALIS PROSAPIA dicantur defecisse: illa enim verba non tantùm attinent ad Reges à Carolo Magno ortos, sed etiam ad Caroli Magni Maiores à Blitilde, Clotarij I. Regis filiâ, propagatos : vnde Genealogia S. Arnulphi Metensis in titulo dicitur *Regia*, quia per Blitildem à Francorum Regibus initium sumpserat.

Lib. 1. de Vitâ suâ. Audi demum, Dominice, Guibertum Nouigenti Abbatem de Anselino Caroli Ducis proditore: *Dominum suum Regem prodidit, &* IN EXTERNVM GENVS *sursum genealogiæ transtulit.* Audi antiquam Regum genealogiam à R. P. Thomâ Aquinate nuper editam, quæ

In explic. Carm. sic habet : *Huic quoque* [Ludouico V. Regi] *ex* ALIA FAMILIA *successit Hugo in Regnum, Hugonis Magni filius*. Audi Willelmi Calculi

Lib. 8. cap. 26. continuatorem : *Hugo*, ADNVLLATO GENERE *Karoli Magni, vnctus est in Regem super Francos.* Audi Æmylium, postquam egit de Capeti

Lib. cit. in Regnum intromissione : *Ita* TERTIVM STEMMA *in folio locatur.*

Lib. 8. Ration. cap. 14. Audi Dionysium Petauium, rerum ac temporum magnum exploratorem : *Franciæ Regnum à Caroli Magni posteris*, NOVAM AD FAMILIAM, *Saxonicæ originis, anno* CM. LXXXVII. *transijt* ; *Hugone Capeto, Hugonis Magni filio, consensu Principum, ad eam dignitatem euecto*. Satin' firmæ tibi videntur eiusmodi auctoritates? Oculos mihi tantisper in sequentia capita defigito, & cum sole iter facies, nouisque luminibus magis ac magis veritas elucescet.

LVMEN

LVMEN II.

Stemma nouum Hugonis Capeti, à Childebrando deductum, gradibus non cohæret; adeoq; veritati non est consentaneum.

IN genealogicâ serie explorandâ rigido examine opus est, vt clarè possit intelligi, an gradus omnes sint vnius & eiusdem stirpis, & an eodem puro sanguine inter se cohæreant. Vt enim lydius lapis singulis aureæ catenæ anulis adhibitus, arguere solet, num eorum aliquis sit subæratus: ita vbi diligenti inuestigatione de cuiuspiam gradus suppositione constat, mutilum est & adulterinum Stemma. Sic ergo fabulam suam Bouchetus orditur: *Childebrandus Dux & Comes, stipes fuit tertiæ Regum familiæ, qui regnarunt in hodiernum vsque diem*. In ipso statim limine velut in lubrico titubas Bouchete; tu enim secundæ ac tertiæ Regum stirpis stipitem constituis *Ferreolum* Præfectum prætorio Galliarum, à quo serie masculinâ deducis Carolum Martellum & Childebrandum fratres: mox affirmas Childebrandum esse tertiæ Regum familiæ stipitem. Quæ si vera sunt, geminæ dumtaxat Regum familiæ fuere. Cur ergo tertiam instituis, quæ, per te, cum secundâ eadem fuit? Tanta vis est simplicis ac germanæ veritatis, vt ipsam licet impugnes, ab orbitâ tamen suâ recedere te non patiatur. Pag. 11.

Pergis: *Nibelungus, Childebrandi filius, Comes fuit Madriaci in Normanniâ*. Videamus quàm bellè id probes: *Charta Nibelungi*, inquis, *quâ Monasterio Crucis S. Audöeni donat vicum Calliacum, illum nuncupat Madriaci Comitem*. At quam edidisti, nihil tale continet; quippe quâ *Nibelungus Comes* (solitariè & sine adiectione) *confert Monasterio Crucis S. Audöeni, in pago Madriacensi constructo, allodem suum indominicatum, in eodem pago situm, qui nuncupatur Calliacum*. In vetr. glossis *Allodium* est *prædium*. An igitur quia Nibelungus possidebat prædium illud in Madriacensi pago, inde rectè inferre te existimas Madriaci Comitem fuisse? Aledramnus Comes (quem perperàm quoque Nibelungi I. filium facis) dedit S. Dionysij cœnobio villas Resbacis & Altrepiæ, in Laudunensi pago sitas; nec ideircò adfirmare audes, illum fuisse Comitem Laudunensem. Nibelungus quidam alter contulit eidem S. Dionysij Monasterio *res quasdam suæ proprietatis, in pago Hasbanio, in loco, qui vocatur Hasca, super fluuium Lakara*. Pagus Hasbanius Lotharingiæ Inferioris partem facit: an ideircò beneficus ille Nibelungus vel Comes erat Hasbaniæ, vel Dux illius Lotharingiæ? Gode-

Pag. 140. Probat. P. 222. P. 142. probat. 235. Histor. S. Dion. lib. 3.

fridus Gibbosus, Lotharingiæ Cismosanæ Dux, possidebat in Mosellanicâ *Satanacum iuris sui, & Mosacum suæ proprietatis villas*; quarum Ecclesias parens eius Godefridus Barbatus dederat Monasterio Gorziensi: an propterea Gibbosus Lotharingiæ Mosellanicæ Dux erat? Apage tales ineptias, & petitas è longinquo coniecturas, quæ veri ne vmbram quidem habent.

Chart. Gorz.

Sed vide vt extra chorum saltes. Carolus Caluus (ex chartâ quam edidisti) contulit S. Dionysij Monasterio, *consentiente* NIBELVNGO *Comite, quasdam iuris sui rebulas, sitas in pago* VILCASSINO; *quæ etiam noscuntur* (additur in fine) *attinuisse Comitatui Vilcassinensi*. Ille Nibelungus Comes, qui consensum donationi præbuit, absque dubio fuit Comes Vilcassini, progenitor longâ serie *Drogonis Vilcassini Comitis*, quem Ordericus tradit fuisse *de prosapiâ Caroli Magni*. Et quia, per te, Nibelungus ille tertius, Vilcassini Comes, filius fuit Nibelungi secundi, Vilcassinensis etiam Comitis, & nepos primi; iste Nibelungus primus proculdubiò Vilcassini Comes etiam fuit, à nemine, præterquam à te, Comes Madriacensis nuncupatus.

Probat. 237.

Lib. 7.

De Theodeberto, Madriacensi altero Comite tuo, eodem modo nugaris: *Charta*, inquis, *Pipini I. Regis Aquitaniæ, pro Ecclesiâ S. Iuliani Briuatensis in Aruerniâ, docet Theodebertum Comitem Madriacensem, Reginæ Ingeltrudis, vxoris Pipini patrem, fuisse filium Nibelungi Comitis*. Atqui in chartâ illâ quam edidisti, de Comite Madriacensi nullum verbum. Vnde affirmare ausim, affectaram illam Principum consanguinitatem à te audaciter insertam. Etenim quæ ratio erat, cur Pipinus preces institueret pro patris & aui vxoris suæ animabus, & suorum omissas faceret? *Nouit conscientia tua* (vt iisdem in te verbis vtar, quibus olim Hieronymus contra Ruffinum) *Nouit*, inquam, *quæ addideris, quæ subtraxeris, quæ in vtramque partem, vt tibi visum fuerit, immutaris*.

Pag. 153.

Probat. 238.

Sed & subdis procaciter, *ab Eginartho, ab auctore Vitæ Ludouici Pij, ab Annalibus Metensibus & Bertinianis, nec non & à Conrado Vrspergensi Abbate confirmari, Theodebertum illum fuisse Comitem Madriacensem*: cùm tamen ij omnes, communi voce, meminerint *Thietberti*, siue *Theotberti Comitis Matricensis*, non autem *Madriacensis*. Tu Matricam cum Madriaco perperàm confudisti: illa in Ortiuâ Franciâ, istud in Occiduâ situm erat. Audi Eginarthum, anno DCCC. XXII. cuius textum deditâ operâ mutilasti: *Peracto conuentu, qui Attiniaci habebatur; Imperator, venandi gratiâ, Arduennam petit*. LOTHARIVM *verò filium suum in Italiam mittit*. PIPINVM *autem in Aquitaniam ire præcepit: cum tamen priùs filiam* THIETBERTI COMITIS MATRICENSIS

Pag. 153.

De gestis Lud. Pij.

sis *in coniugium fecit accipere; & post nvptias celebratas, ad* Occidvas regiones *proficisci. Ipse verò peractâ autumnali venatione, trans Rhenum hyematum ad Franconofurt profectus est.* Aimoinus, Annales Bertiniani & Metenses iisdem verbis vtuntur; sed ille Tevtbertvm scribit; isti Theotbertvm.

Itaque Lvdovicvs Pius versabatur primùm Attiniaci in Campaniâ Remensi, Franciæ Occidentalis; posteà, transito Mosâ ad syluam Arduennam se contulit, in Orientali Franciâ, citra Rhenum; vbi cùm subsisteret, Pipinvm filium matrimonij vinculo sociauit cum Engeltrvde, filiâ Thietberti Comitis Matricensis; & post peractum nuptiale sacrum, iussit illum ad Occiduas Franciæ regiones proficisci, quas ab Ortiuis Mosa fluuius distcrminat. Hermannus Contractus disertè illo eodem anno: *Lotharius in Italiam*, Pipinvs *in Aquitaniam*, dvcta vxore, *Reges missi sunt.* Duxit ergo vxorem Pipinus antequam ad Regnum suum Aquitanicum iter institueret. In Chron.

Mos autem erat Imperatorum Caroli Magni & Ludouici Pij, venandi gratiâ in Austrasiæ saltus sæpiusculè se conferre: stationis in Arduennâ locus erat *Theodonis-villa*, quam Nithardus notat *Metis* distare leucis plus minùs octo. De Carolo Magno, Regino Abbas, ad annum dcc. lxxiii. *Rex peruenit ad hyemandum in* Theodonis-villa. Eginarthus anno dcc. lxxxii. *Rex* Theodonisvillam *in hyberna concessit, ibique Natalem Domini & Pascha more solito celebrauit.* Annales Tilliani ad annum dcc. lxxxiii. *Celebrauit Natale Domini ad* Theodon-villam. Iterùm Eginarthus anno dccc. v. *Imperator, Iulio mense, de Aquis Grani per* Theodonis-villam *atque Metis transiens, Vogesum petijt, ad* Rvmerici castellvm *profectus; ibique aliquantulum temporis moratus, ad hyemandum in* Theodonis-villa *palatio suo consedit.* Lib. 4.

De Ludouico Pio idem Eginarthus ad annum dccc. xxi. *Medio mense Octobri, conuentus generalis apud* Theodonis-villam *magnâ populi Francorum frequentiâ celebratur; in quo* Lotharivs, *primogenitus Imperatoris* Lvdovici, Irmingardim, Hvgonis *Comitis filiam solemni more duxit vxorem.* Theganus ad annum dccc. xxix: *In palatio* Theodonis *erat cum filijs suis* Lothario et Lvdevvico. Annales Fuldenses anno dccc. xxxvi: *Imperator in palatio* Theodenhove (hoc est Horti Theodonis) *conuentum habuit, ad quem* Lotharivs *venire non potuit, quia grauiter ægrotauit.* Rursum Theganus ad annum dccc. xxxvii: *Imperator inde regrediens* [Aurelianis] *venit ad palatium* Theodonis, *& ibi totam hyemem peregit.*

Quia

Quia ergo Ludouicus Pius, relaxandi animi causâ, ad Theodonis palatium frequenter diuertebat; minimè dubitandum, anno etiam DCCC. XXII. cùm in Arduennâ ageret, in eo versatum; ibique apparatu magnifico, Ingeltrudis, filiæ THIETBERTI COMITIS MATRICENSIS, cum Pipino filio nuptias celebratas; quemadmodum præcedenti anno DCCC. XXI. Lotharius, alter eius filius natu maior, iunctus fuerat IRMINGARDI, filiæ Hugonis, ALSATIÆ propinquæ Comitis.

Verùm in quâ Austrasiæ parte situs esset Matricensis Comitatus, quæritur à viris doctis. Fauchetus & San-Marthani, eò quòd in Ortiuâ Franciâ situm esse colligerent ex Eginarthi verbis, *Metensem* interpretati sunt; fortè quòd crederent, *Mediomatricam urbem* dictam quoque fuisse *Matricam*, & ab illâ *Matricenses*: sed de illâ per ἀφωνίμων nuncupatione nullibi constat; quin contrà *Metenses* populi à Cæsare, Plinio, Tacito, Ammiano constanter vocantur *Mediomatrici*, à Strabone Μεδιοματρικοὶ, à Ptolemæo Μεδιομάτρικες: quibus consentiunt æui Romani inscriptiones.

Gruterus p. 598. 5. 631. 8.

Ara olim in ædibus Boissardi, Metis.	*Lapis Moguntiæ, ad S. Albanum.*
T. COELIO	D. M
T. F. CELERI	PRIMVLAE. COMITILLAE
A. CVR. AMIC	QVAE. VIXIT. ANNIS. XX
AVG. PRAEF	CIVES. MEDIOMATRIC
LEG. X. SALVT	A. MATERNIVS. NEMAVSVS
MEDIOM. CIV	STRATOR. COS. ET
B. M. P.	LVCIVS. LVCINVS. MENSOR
	FRVMENTI. NVMER

Congruens ergo videtur aliò mentem diuertere. Et certè, vt ingenuè dicam quod sentio, constanter existimo, *Matricam*, ob quam *Thietbertus* dictus est *Comes Matricensis*, illud esse oppidum, quod inter Villam Theodonis Treuirimque constitutum, vulgò nuncupatur Greuen Makeren/ quod Brouuerus & Bertelius ad Teutonicum idioma vertunt *Comitis Macram*. ego, ni fallor, meliùs *Matricam*. In chartâ Monasterij de Horreo, datâ Treuiris anno DC. XLVI. locus ille à Dagoberto Rege vocatur MACHARA; à Brunone Treuirensi Archiepiscopo (qui sedit initio sæculi duodecimi) MACHARIA, *distans à Treuiro Aquilonem milliaria tria*: sed illas voces ex Teutonico vterque expressit. Makeren enim Teutonibus significat τὸ ἀποτέλεσμα, siue *opus perfectum*, ex materiâ quæ ἐργάσιμος est, seu apta ad aliquid perficiendum; vt ligna & lapides sunt materies ædificij, quale ad Mosellam

In Annal. Treuirens. in Histor. Luxemb.

Mosellam castrum illud ab antiquo extructum fuerat; vnde *à materiâ* factum est *Matrica*; quòd Latinè idem esse ac **Maketen** Teutonicè, indicat ipse *Operarius* siue *Faber*, istâ linguâ dictus **Maker**, illâ *Matricarius*. Iulianus Antecessor: *Interesse Pratores oportet, vicenos secum habere milites, tricenos* MATRICARIOS: illos nempe ad custodiam, istos ad opera perficienda, siue ex lapide, siue ex ligno: hi Cedreno dicti sunt Μαζικάριοι; & Nouellâ XIX. similiter; quos *Materiarios* genericè dixeris potiùs quam Ξυλήργους, *Lignarios*. Constit. 13.

Præterea non est minor ratio, **Maketen** (siue, vt vulgò pronuntiatur, **Makre**) adiectâ T consonante, mutatum fuisse à Romanis in Matricam, quàm *Marne* in Matronam; *Mascon* in Matisconam; *Arles* in Arelatum; *Bourges* in Bituricam; *Senlis* in Siluanectum; *Arras* in Atrebatum, & similia.

In monte, qui adiacet oppido **Maketen**, supersunt rudera castri vetustissimi, cum subterraneis fornicibus, qui ducunt ad vrbem; & ex parietinis illis non semel eruta sunt Romana Numismata. In illo autem castro antiquissimo, prouinciæ Ardennensis Comites statum domicilium habuisse opinor, atque inde *Matricenses* nuncupatos; quemadmodum à loco habitationis, Comites Alsatiæ prouinciæ dicti sunt *Comites Egisheimij*; Duces Lotharingiæ Superioris, *Duces de Nanceio*; Duces Inferioris, *Duces de Louanio*, siue *Louanienses*. Thietbertum verò, qui à Scriptoribus *Comes Matricensis* appellatur, Comitem fuisse prouincialem, non pagi alicuius, minimè dubito; quandoquidem filiam eius Ingeltrudem Ludouicus Pius Imperator filio suo Pipino Regi Aquitaniæ matrimonio copulauit.

Quia porrò castrum illud *Macra*, siue *Matrica*, situm erat ad viam Romanorum militarem, quæ ducit ad *Medio-Matricam* vrbem, & inde ad *Tullum Leucorum*; ecce dum iter illud ingredior & perlustro, impressa veri vestigia deprehendo. In Itinerario namque Prouinciarum, quod sub Antonini Augusti nomine aliquoties editum est, plures recensentur stationes cum particulâ *medio*, vel *in medio*; vt indicetur, inquit Zurita, *milites peruenisse ad* MEDIAM *itineris stationem inter duo celebria oppida, quòd inibi mansio constituta esset*. Exempli causâ, in itinere per ripam Pannoniæ, à Tauruno in Gallias, hæc habentur: In Notis ad Itiner. Antonini.

IN MEDIO ACIMINCI. M. P. CXIII. In Itiner. Antonini.
ALTINVM IN MEDIO. M. P. XXV.
AD STATVAS, IN MEDIO ALISCA. M. P. XXIX.
ANNAMATIAM IN MEDIO INTERCISA. M. P. XXIV.
VETVSSALINAM IN MEDIO MATRICA. M. P. XXVI.

In Comm. ad Notit. Imperij.

Illa verba, *in medio Matricâ*, Pancirolus explicat, *in medio à Matricâ itinere*. Itaque *Metis* Ciuitas dicta est primùm *Mediomatrica*; quia media via erat inter *Matricam* & *Tullum Leucorum*. Et quia *Medium* Teutonicè est Met, inde ortum postea *Metz* vocabulum, pro *Medio-Matricâ vrbe*. Clarè Sangallensis Monachus, vbi agit de cantu Metensis Ecclesiæ: *Nunc vsque apud eos, qui in his regionibus Latino sermone vtuntur, Ecclesiastica cantilena dicitur* METENSIS; *apud nos verò qui Teutonicâ linguâ loquimur*, Mete.

De curâ Eccles. Car. M.

Ratione ergo itineris militaris, *Medio* subiuncta est vox *Matrica*, factumque *Medio-matrica*; quemadmodum in eâdem Metensi ditione aliud est oppidum Imperiale, quod *Medio-vicum* dicitur, quia à Vico ad Marsallum in medio est itinere. Mentem meam apprimè iuuat charta Gorziensis anni DCCC. XLIV. quæ distinctis verbis in autographo sic incipit: DROGO *gratiâ Dei* MEDIO-MATRICÆ *vrbis Ecclesiæ Archiepiscopus, & sacri Palatij primus Capellanus.*

In Hist. Luxemb.

Ad hæc Ioannes Bertelius Epternacensis Abbas, *Macram Comitis*, in ditione Luxemburgicâ sitam, vocat *celeberrimum Comitatum, qui eum habuit Comitem proprium, quem & subditi venerarentur, & viri Principes complures magni facerent*. Ad quæ, meâ sententiâ, referri debet alia charta Gorziensis de Montiiso-villâ, quæ clauditur hoc modo: *Facta precaria in Gorziæ Monasterio anno ab incarn. Domini* DCC. XCVI. *ind.* IV. *ep.* VII. *conc.* V. *annorum Regni* KAROLI *Regis* XXVIII. SIG. HANGILIANÆ, *quæ hanc precariam fieri & firmare rogauit.*

S. THEVBERTI.	S. IOMADI.
S. HADBERTI.	S. BERNONI.
S. REMIGII.	S. LAMBERTI.
S. RODERICI.	S. CONCESSI.
S. HERLEFRIDI.	S. BERTRADI.
S. ADARLARDI.	S. GODOLSADI.

Non dubito quin *Theubertus*, qui primo loco signum apposuit, sit ille vir idem primarius THEVTBERTVS (vt legit Aimoinus) qui postmodum, *Arduennæ* seu *Matricæ Comes* factus, filiam suam Engeltrudem Pipino Ludouici Pij filio in vicino Theodonis palatio vxorem dedit. Illam porrò *Theuberti* appellationem in Austrasiâ vulgò vsurpatam fuisse, fidem facit charta Ragimbaldi Comitis Lotharingi, data anno CM. LVII. quæ firmata est signo TEVTBERTI COMITIS. Eam in longum edidimus in Vindicijs Hispanicis.

Cap. 5.

A Matricâ ergo dictus *Matricensis Comitatus* ad Mosellam fluuium, in Orientali Franciâ, frustrà reperitur ab Occiduâ: neque *Thietbertum*

bertum Comitem Matricensem in Austrasiâ, filium fuisse *Nibelungi Comitis Madriacensis* in Neustriâ (qui certè talis nusquam fuit) vllo modo comprobari potest: quod enim suadere videri possit blandiens vocum affinitas, omnino impugnat summa locorum distantia. Ex quibus certissimè deprehendi potest, eò contentionis ac studij partium processisse Bouchetum, vt in vnam conflare ausus fuerit duarum familiarum genealogias; quarum altera est Comitum Vilcassinorum (non Madriacensium) in Franciâ Occidentali; altera Matricensium in Orientali: sicque in concinnandâ Madriacensis Comitatus topographicâ tabulâ multum olei & operæ perdidit nouus Genealogista, cùm nulli adducto ab eo Principi Satrapia illa vmquam competierit; adeoque pagus Madriacensis vacuus, edito programmate, adhuc elocandus maneat.

Stemma Comitum Vilcasinorum in Neustrasiâ.

1. Childebrandus Dux & Comes, anno 750.

2. Nibelungus I. Vilcassini Comes, 760.

3. Nibelungus II. Vilcassini Comes, 806.

4. Nibelungus III. Vilcassini Comes, 864.

Stemma Comitum Arduennæ, siue Matricensium in Austrasiâ.

1. Thietbertus Comes Matricensis, anno 820.

2. Robertus Comes, Dominus Saxiaci, primus palatij Pipini Regis.	2. Engeltrudis nupta Pipino Regi Aquitaniæ, anno 822.



LVMEN III.

Robertus Fortis non fuit filius Roberti, Thietberto Matricensi Comite geniti, sed Conradi, VVelphonis filij, qui, si binomius medij aui more, Robertus etiam nuncupatus est.

APPIONEM ferunt Grammaticum vmbras euocasse Homericas, quo certior fleret quâ patriâ quibúsve parentibus diuinus vates genitus esset. Haud sanè idem consilij inijsse videtur nouæ genealogiæ figulus, qui docto puluere posthabito, vmâque inconsultâ, Robertum Fortem Roberto Thietberti Comitis Matricensis filio natum ait, inuitis Magni Principis Manibus: Robertus enim Thietberti filius, per vxorem Aganam, Saxiaci vici & circumiacentis regionis erat dominus, in Bituricensi Aquitaniæ tractu; quibus in partibus Robertus Fortis nihil vmquam possedisse legitur; diues tantùm varijs, citra Ligerim, Caroli Calui donis, ob quæ in Annalibus Fuldensibus, ad annum DCCCC. LXVII. dicitur *Caroli Regis Comes*; & in Bertinianis, ad annum DCCCC. LXII. & LXIV. *Caroli Regis fidelis*; hoc est, cliens fidei seruandæ iureiurando astrictus. Itaque frustrà est Bouchetus (cuius plenissimam fidem
Pag. 181. sequitur Dominicus) vbi affirmat extare chartas in Cœnobio S. Mar-
prob. 258. & 310. tini Turonensis, quæ fatentur, *Robertum Comitem Andegauensem, Roberto Comite, Theodeberti Comitis filio, genitum fuisse.* Sed nempe ex indice priuilegiorum S. Martini Turonensis (non ex chartâ) scripto per Franciscum Courtinum Canonicum anno M. D. XL. nobis hanc fabulam obtrudit: Ex chartâ deinde eiusdem Monasterij tertium addit *Robertum*, vt tres ordine *Robertos* fuisse nobis fingat. Ego, qui descriptos & adinuentos ab illo eiusmodi cognationis gradus non admitto, minùs fero quòd *Theodebertum* Comitem Madriacensem narrationi suæ audacter adiecerit, cuius nulla mentio in vtroque monumento. Viros doctos sic ludere te existimas, Bouchete, ac si papauere sint omnes consopiti? Hos inter eminentes San-Marthani fratres, acerrimo viri iudicio, & quos habes qui præluceant, ex veterum chartarum eiusdem Monasterij antigraphis se obseruasse scribunt,
Lib. 5. c. 4. *Carolum Caluum Regem commisisse domus illius administrationem* ROBERTO *Comiti Andegauensi, stirpe Saxonico, &* RICHARDI *filio.* Cui ergo Courtinus in suo indice Robertum parentem suopte ingenio, alter Richardum assignauit. Est certè omnibus confessum, veteres Cœnobitas, qui chartarum autographa describebant in libris, nonnulla

nulla pro arbitratu persæpè adiecisse. Exempli gratiâ, in chartâ Caroli Magni, quam edidit Doubletus: *Imperator Ecclesiæ Lebrahæ & possessionum eius* LOTHARINGIÆ DVCEM *Aduocatum constituit;* cùm tamen necdum auditum esset Lotharingiæ nomen, quod Lotharius, Caroli Magni ex filio nepos, multis pòst annis Austrasiæ imposuit. Lib. 3. Histor. Dionys.

Præterea Andreas Chesneus, ipse Turonus, & Ioannes Besly Picto, eximij & sagaces viri, qui de ortu Roberti Fortis solliciti, tabulas omnes Martinianas excusserant, nihil tale vmquam de patre Roberti Fortis repererunt, vel in lucem ediderunt. Cùmque Principes plerique in Galliâ, illo æuo, *Roberti* nuncuparentur, chartæ tuæ (etsi legitimæ essent, nec, vti reuerâ sunt, interpolatæ) nullo modo conuincerent, patrem Roberti Fortis fuisse Robertum, Thietberti Comitis Matricensis filium; quin suaderent potiùs, Conradum Ducem, Roberti Fortis parentem, *διώνυμον* fuisse. Constat quidem ex Herrico, *Hugonem II.* Abbatem fuisse *filium Conradi*: Aimoinus tamen Floriacensis illum facit *filium Roberti*; quòd si de Roberto Forti intelligatur, absque dubio glossema est: si autem de Conrado, qui Robertus etiam dictus fuerit; *Conradum Robertum* sic habebimus Roberti Fortis & Hugonis Abbatis patrem; adeoque istos eius filios inter se germanos fratres.

Mos erat medijs sæculis passim vsitatus, vt Principes duobus præditi essent nominibus. Albericus ad annum DCC. XIV: *Mortuo Childeberto Francorum Rege, post annos* XVII. *& in Abbatiâ S. Stephani de Cauciaco sepulto, quidam filius eius* CLODOVEVS, *qui &* DAGOBERTVS, *regnat annis quatuor*. S. Euerardus Cisonij Comes, qui testamento suo *Euerardum* nudè se nominat, dictus est etiam *Rodulfus*, eodem teste Alberico: *Hoc anno* [DCCC. LIV] *Comes* EVERARDVS, *cognomento* RODVLFVS, *Dux Foroiulij à Lothario constitutus, corpus* KALIXTI *Papæ ab Episcopo Brixiæ Notingo impetrauit, & in prædio suo apud Cizonium Tornacensis Diœcesis attulit*. Illud autem Rodulfi alterum nomen, hactenus inauditum, transtulit Euerardus in filium suum quarto loco genitum. Miræus Don. piar. cap. 20.

Claré pro more illo Lambertus Ardensis, vbi de Roberto filio Balduini Comitis Ghisnensis ita loquitur: *Vt temporis erat consuetudo, & adhuc plerumque tenetur*, BINOMIVS *erat: sed suppressâ vocationis proprietate, inolescente vsus assuetudine, dictus est* MANASSES, *posteà Ghisnensis Comes*. Inferiùs deinde: ROBERTVS *itaque filius eius* [Balduini] *qui inualescente vsu, sicuti iam diximus, nuncupatiuè quoque dictus est* MANASSES, *ei successit, & Ghisnensem populum regere suscepit*. Illa porrò geminata Principum nomina simul vix efferebantur; nunc In Histor. Comit. Ghisn.

 huius,

huius, nunc illius vsus erat. *Clodoueus Dagobertus* Francorum Rex, à Sigeberto ad annum DCC. XV. dicitur nudè *Clodoueus*: & ad annum DCC. XIX. *Dagobertus* simpliciter. *Henricus Stephanus*, Comes Campaniæ Palatinus, ab Iuone Carnotensi vocatur *Stephanus*. *Otho VVillelmus*, Burgundiæ Comes, qui Diuione in suo Epitaphio vtroque nomine insignitur, à Dithmaco & Glabro, & in tabulis, solitariè nuncupatur *VVillelmus*. Eodem modo qui *Conradus* ab Herrico, in chartis (si fingamus veras esse) nuncupari potuit *Robertus*. Ex adducto mote similiter colligi potest, *Robertum Fortem*, Conradi filium, binomium fuisse, quia in Chronico Bibliothecæ Thuanæ legitur: ODO *filius* HUGONIS, *frater* ROBERTI *Abbatis & Comitis, obijt anno Regni sui decimo*. Ex quibus, vti & præcedenti capite adductis, nemo nisi admodum in Historiâ hospes inficiabitur, à Dominico perperàm asseri, Robertum Fortem fuisse Regum Aquitanorum sobrinum, & ex eâdem stirpe, quâ Reges Carlouingos, prodijsse.

Epist. 86. Lib. 7. Lib. 3. c. 2. Chesne tom. 3. p. 360. Pag. 23.

LVMEN IV.

Cur ab ætatis mediæ Scriptoribus Robertus Fortis vocetur Saxonici generis vir, qui stirpe Allemannus siue Sueuus erat.

Cap. 1. DIXI obiter in Vindicijs Hispanicis, haud mirum esse, ab antiquis Auctoribus *Robertum Fortem* vocari *Saxonici generis virum*, cùm (ex Thegano) paterna eius auia, Welphi Comitis vxor, Saxonica esset. Boucherus verò Robertum Fortem sic nuncupatum censet, quòd eius pater, auus, & proauus (quos nempe ille ipsi affingit) vixissent, præfuissent, & bona possedissent in Neustriâ (nunc Normanniâ;) quam Saxones incoluerant. Sed expedit alios hîc audire Boucheto antiquiores, tum demum aliam rationem præclaris firmatam monumentis proferre.

Pag. 180.

Sigebertus ad annum DCCC. III: *Karolus Imperator omnes Saxones trans Albim morantes in Franciam transtulit, pagosque eorum Abroditis dedit*. Albericus eodem anno: *Saxones ita virtute Karoli sunt perdomiti, vt decem millia hominum ex iis cum vxoribus & paruulis sublatos transtulerit, & per Galliam & Germaniam multimodâ diuisione distribuerit*. Annales Francorum Metenses anno DCCC. IV. de Magno eodem Carolo: *Missis exercitibus suis per diuersas partes Saxoniæ, tam perfidos illos, qui in VVigmoti manebant, & frequentibus maleficijs populum Saxonum à viâ veritatis auerterant, cùm mulieribus & infantibus, Deo auxiliante, sapientissimâ dispositione, de Saxoniâ, per diuersas*

vias

vias dirigens, funditus exterminauit, & PER GALLIAS cæterásque regiones Regni sui dispersit.

Edmundus Dinterus in Chronico distinctiùs: *Dum Rex Carolus* [Magnus] *gentem Saxonum potiùs gladio materiali quàm spirituali ad Fidem Christianam conuertisset, & eos nullâ arte vel potentiâ in cultu Christiano tenere posset, quin fera bestia, in Regis absentiâ, ad gentilitatis rediret errorem; ipse de populo Francorum viros elegit Catholicos, maiores, medios & minores, imò ferè decem millia; & illos in Saxoniâ transplantauit, distribuens eisdem possessiones & terras, prout vniuscuiusque status & conditio requirebat. Et vice versâ consimilem numerum* DE POPVLO SAXONVM *duxit in* FRANCIAM OCCIDENTALEM, *quibus idem de terris & possessionibus prouidebat; vt sicut* FRANCI *in Saxoniâ eamdem Fidem Christi colere cogerentur. De quibus quidem nobilibus Saxoniæ* ROBERTVS *Dux Andegauensis, pater Regis Odonis, & Roberti Magni Comitis Parisiorum, noscitur descendisse.* Lib. 1. cap. 31.

En, Bouchete, nouam de Roberti Fortis origine Dinteri sententiam; quæ si vera est, frustrà Nibelungos ex Madriaco nobis fingis: neque Franci Occidui tantoperè iactare debent Regum Capetinorum Christianos inter prærogatiuam. *Illi enim Saxones* (inquit Eginarthus) *cultui dæmonum dediti, nostræque Religioni contrarij erant; neque diuina, neque humana iura vel polluere, vel transgredi inhonestum arbitrabantur:* quos tamdem Carolus Magnus coëgit, *vt abiecto dæmonum cultu, & relictis patrijs cæremonijs, Christianæ Fidei atque Religionis Sacramenta susciperent.* Quod si hæc te mouere non possint, vt credas Robertum Fortem genere Saxonem fuisse; suadebunt forsan alia, quæ iam depromo, nec antè ab alijs (quod sciam) obseruata. In Vitâ Car. M.

Romani veteres Achaiam prouinciam vsurpabant pro totâ Græciâ, *à gente scilicet, quæ tunc Græciæ præerat, appellationem sumentes.* Vnde ex vrbe Prætorem mittebant, quem non *Græciæ*, sed *Achaiæ* dicebant, nempe *obtinentibus Græciæ Principatum Achæis.* Eodem modo medijs sæculis *Saxonum* nomen in Galliâ pro Germanis omnibus audiebat; quia Cæsares stirpe Saxonici in Germaniâ multis annis sceptrum obtinuerant. Innumera huius rei apud Auctores exempla occurrunt; hæc pauca tibi de multis. Suidas. Pausan. lib. 7.

Dudo S. Quintini Decanus, Scriptor exeuntis decimi sæculi, exercitum Othonis I. Imperatoris in Normanniâ agentem, qui ex diuersis Germaniæ populis conflatus erat, vocat *gentem Trans-Rhenanam*, tum etiam *Saxones*, & *Saxonicum robur*. Sed clariùs Glaber Rodulphus, Scriptor vndecimi sæculi, pluribus locis. Primus est de Henrico I. & Othone I. Imperatoribus, gente Saxonicis: *Præscriptorum igitur* Lib. 3. Histor. Norm. Lib. 1. c. 4.

tur Regum [Carlouingorum] GENERE EXINANITO, *sumpserunt Imperium Romanorum Reges* SAXONVM; *quorum scilicet primus* OTTO, Lib. 1. c. 3. *Henrici* SAXONVM REGIS *filius*. Alter est de Othone I. solo: *Lotharij Regnum* OTTO REX SAXONVM, *imò Imperator Romanorum, ad suum, id est* SAXONVM, *inclinauerat Regnum*. Tertius est de Henrico II. Cæsare, stirpe Bauaro: *Illud certissimè commendamus, quod annus incarnati Verbi millesimus secundus ipse sit* HENRICI SAXONVM RE-Lib. 1. c. 4. GIS *primus*. Quartus, de Henrico II. iterùm: *Suscepit igitur post Othonem, videlicet tertium*, REGNVM SAXONVM *eius consanguineus Henricus*. Quintus est de Henrico III. Imperatore, Conradi Salici filio, Lib. 3. in præf. genere Wormaclensi: *Regnantibus duobus* CHRISTIANISSIMIS *Regibus*, HENRICO *scilicet* SAXONVM REGE, *& Roberto Francorum*. Lib. 5. Sextus denique de eodem Henrico III. ad annum M. XLV: *Antedictus* HENRICVS, *filius Chuonradi, iam* REX SAXONVM *in re, Romanorum verò Imperator in spe, duxit vxorem filiam VVillelmi Pictauorum Ducis nomine Agnetem, quam etiam desponsauit in ciuitate Chrysopolitanâ, quæ vulgò Vesontio dicitur*. Est autem luce clarius, omnes illos Principes à Glabro memoratos fuisse Germaniæ totius Reges, non Saxoniæ solius. Accedit Chronicon breue Tillianum: *Conuenerunt ad prælium apud Suessionem ciuitatem Karolus Rex cum Henrico* SAXONVM REGE; *& Robertus cum filio suo Hugone*. Eiusdem locutionis non ignarus Lib. 7. Ordericus Vitalis Anglus hæc adfert: *Obijt Hugo Magnus, Dux Francorum, cui successerunt filij eius, Hugo videlicet, Otho, & Hainricus, nati ex filiâ* [lege, ex sorore] OTTONIS REGIS SAXONIORVM. Illum quoque loquendi morem firmat Chronica S. Stephani Cadomensis Ad an. 879. in Normanniâ de Ludouico II. Germaniæ Rege: *Ludouicus Rex* SAXONVM *adhuc Carlomanno viuente Bawariam ingreditur*. Neque absimili sensu auctor Chronici Aquicinctini in Belgicâ, ad annum In Auctario ad Sigeb. M. C. XCVIII. dixit: *Philippus Dux & Otho Rex, de Imperio contendentes, fluuium* RHENVM, *qui* LOTHARINGIAM *à* SAXONIA *diuidit, transire non potuerunt; Philippus ab Oriente in Occidentem, Otho verò ab Occidente in Orientem*. LOTHARINGIAM à SAXONIA, hoc est, Regnum Lotharingiæ à Regno superioris Germaniæ, quæ suo cursu Rhenus disterminabat.

Denique eò vsque processit isthæc Saxoniæ significatio, vt Constantinus Porphyrogenitus, Imperator Orientis, libro de Administratione Imperij ad Romanum filium suum, in hunc modum de Cap. 30. Chrobatis locutus sit: Ὑπάκουον δὲ Ὤτῳ τῷ Μεγάλῳ, Ῥηγὶ Φραγγίας, τῆς καὶ Σαξίας: *Parent* OTHONI *Magno, Regi Franciæ, quæ & Saxonia*. Alio loco vocat Cap. 26. Μεγάλην Φραγγίαν, *Magnam Franciam*; in quâ, inquit, *Carolus Magnus sedem*

Imperij

Imperij sui posuit. Caroli Magni Regia erat Aquisgranum, in Germaniâ Interiori: vnde perspicuum fit, Constantinum illum Imperatorem per *Magnam Franciam* intellexisse Germaniam Superiorem & Inferiorem, quam *Saxoniam* nuncupat.

Cæterùm ex istâ explicatione lux accedit alteri Glabri loco, qui sic habet: *Fuit hic Hugo* [Magnus Dux] *filius* ROBERTI *Parisiorum Comitis; qui videlicet* ROBERTVS *breui in tempore Rex constitutus, & ab exercitu* SAXONVM *est interfectus*. Qui fuerint illi Saxones Roberti I. Regis occisores, clarè docet Flodoardus æqualis Auctor: KAROLVS [Simplex] *Axonam transijt, & super* ROTBERTVM *cum armatis* LOTHARIENSIBVS *venit: Rotbertus verò armatis his, qui cum eo erant, contrà processit: commissóque prælio, multis ex vtrâque parte cadentibus*, ROTBERTVS *quoque Rex lanceis perfossus cecidit. Hi tamen qui erant ex parte Rotberti victoriâ potiti*, KAROLVM *cum* LOTHARIENSIBVS *in fugam verterunt*. Guido item apud Albericum: *Auxilio* LOTHARIENSIVM *recuperante Regnum, & irruente* KAROLO *super* ROBERTVM *in planicie subiacente ciuitati Suessionensium, & castro S. Medardi, non sicut imbellis, sed belli victor* ROBERTVS *in bello cecidit*. Quos ergo Flodoardus & Guido *Lotharienses*, Glaber more sæculi *Saxones* appellat, hoc est, *Germanos*; quia posteaquam Magnus Otho Regnum Lotharingiæ Germanico coniunxit Imperio, Lotharingia Imperij Germanici pars censita est: vnde Geruasius Tisleberiensis rectè dixit: *Germania includit Lotharingiam & Allemaniam*. Lotharienses porrò (qui Germani censebantur) nuncupatos fuisse SAXONES, colligitur etiam ex Orderico Vitali; vbi narrat, *Othonem Imp. adduxisse* SAXONES *in Franciam; quorum Dux* HELPO, *cum populo suo, à Senonensibus interfectus est, & à seruis suis in* PATRIAM SVAM ARDENNAM *reportatus*. Non errat ergo Glaber (vt Chesneo placet) vbi alio loco de Henrico II. Cæsare, quem priùs *Regem Saxonum* dixerat, scribit: *Accepit* IN REGNO SVO *coniugem, filiam scilicet* SIGEFREDI SAXONVM *Ducis*. Vxor illa Henrici CVNEGVNDIS erat, filia Sigefridi, Luxemburgi Comitis, in Lotharienſi Regno, cuius militiæ in illo tractu haud dubiè Sigefridus præerat. Sed iam propiùs ad nostrum propositum.

Lib. 1. c. 2.

In Chron. ad annum 923.

An. 922.

In Otijs Imper.

Lib. 7.

Præfat. lib 3. Hist. Luxemb.

Aimoinus Floriacensis, qui sæculo decimo exeunte agebat inter viuos in Aurelianensi vrbe, quam ROBERTVS Fortis rexerat sæculo nono, illum vocat *virum Saxonici generis*. Iuo Camorensis in Francorum Gestis hæc se legisse affirmat: *Supererant duo filij* ROBERTI *Comitis Andegauorum, qui fuit Saxonici generis vir*. Florebat Iuo sub finem sæculi vndecimi in eodem Occiduæ Franciæ tractu, in quo

Lib. 2. de Mirac. S. Bened.

Epist. 89.

Robertus Fortis à Carolo Caluo præfecturas obtinuerat: Gesta Francorum, quæ laudat, scripta erant eodem sæculo vndecimo ineunte; quandoquidem meminerunt Hugonis, Roberti II. Regis filij, Compendij in Regem vncti anno M. XIX.

Aimoinum Floriacensem & Iuonem Carnotensem secuti sunt Continuatores Willelmi Gemmeticensis & Aimoini, Nangiacus, & Albericus: istius hæc verba sunt ad annum CM. LXVIII: *Horum pater* [Odonis & Roberti Regum] *dictus est Comes* ROBERTVS *Fortis Marchio*, DE GENERE SAXONVM *extractus*, *cui* KAROLVS *Caluus Comitatum Andegauensem dederat in beneficium tamquam viro forti, contra Britones & Normannos pugnaturo, & Regnum ex illâ parte defensuro. Et iste* ROBERTVS *à paganis Normannis fuit occisus. Vlteriùs de eius genere nescierunt Historiographi dicere.* In Chronico veteri S. Victoris Parisiensis legitur, ROBERTVM *Fortem, & eius filium* ODONEM, *fuisse genere* SAXONES. Odonem seorsim Witikindus deducit *ab Orientalibus Francis*, nempe à Germanis Transrhenensibus: quemadmodum Eginarthus latè, *Fastradam*, Caroli Magni vxorem, *de Francorum Orientalium, Germanorum videlicet gente, fuisse* scribit. Denique Auctor Vitæ Ludouici Pij sic de Capetinæ stirpis Regibus: *Translatum est Regnum de genealogiâ Carolorum in progeniem Comitum Parisiensium, qui de genere* SAXONVM *processerant.* Itaque Robertus Fortis, ortu paterno Germanus Transrhenensis & Sueuus, ex vsu passim recepto, à Scriptoribus dictus est *Saxonici generis vir*, id est *Germanici*.

In Chron. — San-marthani lib. 5. cap. 4. — Lib. 1. — In Vitâ Car. M.

Quâ ratione ergo tam obstinatè contendis, Bouchete, illum neque Germanum fuisse, neque Saxonem, neque Saxonici generis, sed origine Franco-gallum? Adducis Reginonem, qui tradit, *Rotbertum & Rainulfum, qui* PATRIÆ *terminos tuebantur, à Normannis occisos fuisse.* quæ verba de Roberto Forti parum fideliter sic reddis: *Qui mourut pour la defense de sa patrie: ce qui ne se peut pas dire d'vn homme estranger auxiliaire.* At non dixit Regino *patriæ suæ*, sed *patriæ* simpliciter: quod vocabulum medijs sæculis pro regione seu prouinciâ vulgò vsurpabatur, non pro natali solo, vel à quo quispiam oriundus esset. Clarè Guido apud Albericum de Carolo Caluo: *Fecit eum* [Robertum] *Andegauensem Comitem, & adiacentis patriæ* [id est regionis] *defensorem*. Audi Aimoinum Floriacensem, qui Principes à Normannis occisos accuratè distinguit, & ortum cuique suum sedulò assignat, Rainulfo & Lamberto in Neustriâ, Roberto in Saxoniâ: *Obstitit primò eorum* [Normannorum] *sæuis conatibus* ROTBERTVS *Andegauensis Comes*, SAXONICI GENERIS VIR, *cui per id locorum à Rege summa rerum delegata fuerat; adnitentibus sibi præeminentissimis*

Pag. 257. — Pag. 181. — An. 858. — Lib. 2. c. 1.

NEVSTRIAE

NEVSTRIAE VIRIS, RAINVLFO *atque* LAMBERTO, *uti eloquentissimus Auctor Adreualdus priori refert libro.* Sic autem Adreualdus loquitur de Normannis: *Andegauensem percurrentes* REGIONEM, *ipsam quidem ciuitatem concremant: Pictauorum verò castella atque vicos,* OMNEMQVE PATRIAM, *à mari vsque eamdem Pictauam vrbem, populantur, vastant.* Vides clarè PATRIAM pro regione ab Adreualdo vsurpatam, vti & à Reginone. Iulius Romanus legauit Mæuio Romano, *quidquid in* PATRIA *Gadibus possidebat;* hoc est, in Prouinciâ Gaditanâ. Et Virgilius cecinit: Cap. 33. & Gemmeticensis lib. 2. c. 7. L. Vxoré. §. Legauerat. ff. De legatis 3.

Quod genus hoc hominum? quæque hæc tam barbara morem
Permittit PATRIA? *hospitio prohibemur arenæ.* Æneid. 1.

Itaque non tantùm apud medij æui Scriptores, sed & antiquiores causâ cadens, ex multis paleis parum fructus collegisti.

Sed & quæ dixi clariùs longè intelligentur ex *Ioanne Ferono* vestro, qui Maioribus Hugonis Capeti, & ipsi Capeto quoque, assignat *Aquilam* in scutis, vnde Germanica Capetinorum origo palàm innotescit. RODVLPHO namque, Welphi Comitis filio, tribuit *scutum quadripertitum, cuius primus & vltimus quadrans coccineus, aureâ impressus est coronâ; secundus & tertius vellere vario pictus; & in medio quadrantum, parmulam auream furuâ & bicipiti Aquilâ pictam.* In Cancellarijs Franciæ.

CONRADO Comiti Parisiensi, *scutum nigrum Aquilâ aureâ coronatâ, rostro & pedibus cæruleis impressum.* In Præfectis aulæ Regiæ.

ODONI filio Roberti Fortis (ex Carolesij & Brabanti Fæcialium libris) *prasinam Aquilam, argento coronatam, in scuto aureo.* Quam eamdem tesseram assignat ROBERTO Comiti Parisiensi, post fratrem Odonem etiam Regi; necnon & HVGONI magno Duci eius filio: sed huius postremi parmæ addit *limbum cæruleum lilijs aureis sparsum.* In Constabularijs, in Præfectis aulæ, & in Marescallis Franciæ.

HVGONI Capeto denique, Hugonis magni Ducis filio *(qui cautus & malignus,* inquit, *aduersus naturalem Dominum suum coronari se fecerat Regem)* scutum quadripertitum; *in primo & quarto laterculo aureo, viridem Aquilam, argento coronatam: in secundo & tertio cæruleo, lilia aurea incerto numero sparsa.* Quod posterius symbolum liliatum, priori abiecto, in posteros cum sceptro transmisit Hugo Capetus. Lilia deinde ad numerum ternarium CAROLVS VI. Rex reduxit.

LVMEN V.

Paternum genus Hugonis Capeti à nobis editum, germanum esse iterùm demonstratur: Robertum item Fortem & Hugonem II. Abbatem germanos fratres fuisse: Chronici Diuionensis primigenij vindicata integritas.



N primis, Conradum Ducem, Welphi Comitis Altorffi filium, Iudithæ Reginæ fratrem, masculis prolibus in Galliâ felicem fuisse, clatè insinuat Annalium Fuldensium Scriptor ad annum DCCC. LVIII. vbi sic de Ludouico II. Imperatore: *Ignarus per omnia imminentis sibi periculi, quod ei parabatur ex parte Karoli* [Calui,] *cuius animum ad vltionem iniuriarum suarum erexerant* FILII CONRADI *Comitis*. Deinde compertum est ex Herrico, Cœnobij S. Germani Autissiodorensis Monacho, sui temporis cultissimo, HVGONEM Abbatem CONRADI Ducis filium fuisse: quod etiam disertè Bertinianus Scriptor ad annum DCCC. LXVI. vbi sic de Carolo Caluo: HVGONI *clerico*, AVVNCVLI SVI CONRADI *filio*, *Comitatum Andegauensem cum Abbatiâ S. Martini, & cum alijs etiam Abbatijs donat, eumque in Neustriam loco* ROBERTI *dirigit*. Præterea *Conradus minor*, Comes Burgundiæ Transjuranæ, & *VVelphus* Abbas S. Columbæ Senonensis, Conradi maioris filij fuerunt; vltrò assentiente Boucheto, qui sic Welphi Comitis Altorffij masculinam progeniem intra Gallias latè propagatam fatetur: de Roberto Forti dumtaxat controuersiam mouet, quam tamen egregiè dirimit AuctorChronici S.Benigni Diuionensis, cuius iste est genuinus contextus in Bertilone Abbate: *Supererant duo filij* ROBERTI *Andegauorum Comitis*, FRATRIS HVGONIS ABBATIS: *senior* ODO *dicebatur*, ROBERTVS *alter*, *patrem nomine referens*. Verùm hîc aduersum me in causâ falsi nomen ediderunt Bouchetus & Dominicus, qui Chronicon Diuionense malâ fide corruptum esse contendunt, in quo legi aiunt *fratres*, non autem *fratris*. Certè in exemplari, quo ego sum vsus, scriptum est *fratris*: quem Auctoris germanum esse sensum, docuêre viri doctissimi quotquot res Francicas & Burgundicas scriptis suis illustrarunt, priusquam ista quæstio in medium adduceretur.

Lib. de Mirac. S. Germ. c. 1. & 4.

Pag. 173.

Ex ms. Codice.

Agmen ducit Nicolaus Vignerius, Henrici III. Regis Medicus & Historiographus, origine Burgundus, Barrensis ad Sequanam, haud procul Diuione, quem San-Marthani *doctum & iudicio pollentem* non

semel indigitant: sic autem ille in Chronico rerum Burgundicarum ad annum DCCC. LXXXVII: *Normannis Nannetum Turonumque fines populantibus*, RANVLFVS *Aquitaniæ Dux, & ROBERTVS Andium Comes, infeliciter occurrentes occisi sunt. Quapropter ipsi* ROBERTO *in præfecturâ Ligerinâ* HVGO *(Abbatis nomine Historicis Gallicis tantoperè celebratus) successor datus est, iuxta Annales veteres, & Reginonem:* CHRONICON *autem* DIVIONENSE, HVGONEM ROBERTI FRATREM *fuisse tradit. Roberti* ODONEM *&* ROBERTVM *filios fuisse constat.* Editum est Basileæ an. 1575.

Vignerius iterùm, in libello de Nobilitate familiæ Capeticæ, tradit, *in probatis Historijs non inueniri vllum fuisse in Franciâ Ducem tempore Caroli Calui*, ROBERTO FORTI *æqualem; nisi fortè is fuerit* HVGO *Abbas, quem* CHRONICON S. BENIGNI DIVIONENSIS *testatur fuisse illius fratrem.* Parisijs an. 1587.

Sequitur Papirius Massonus, Francicorum Annalium Scriptor: ROBERTVS, inquit, *regioni inter Ligerim & Sequanam præfectus, vnà cum Arnulpho Aquitaniæ infeliciter bellum gessit: dum enim impetu magis quàm arte pugnant, interempti sunt;* HVGONE *in* ROBERTI *locum suffecto, quem vetusti Annales Abbatem vocant:* HVGONEM *illum* ROBERTI FRATREM *fuisse, in* CHRONICO DIVIONENSI *scriptum scimus.* Lutetiæ an. 1578.

Tertius est Franciscus Belleforestius, Henrico III. Regi ab Historijs: *Quod attinet, ait, ad præfecturam* ROBERTI *à Normannis occisi, ea fuit data* HVGONI *Abbati: quisnam ille* HVGO *fuerit pauci norunt. Nihilominùs facilè coniici poterit eum pupillorum* [Odonis & Roberti] *consanguineum fuisse; idque ex Reginonis verbis: Rex enim ipsi tutelam idcircò commisit, quia cognatione proximâ pueros attingebat: & notum est parentis defuncti munera ijs adultis concessa fuisse. Vnde quidam dixerunt (quibus lubens assentior)* HVGONEM *illum fuisse* ROBERTI *fratrem germanum. Ita Vignerius, qui id habuit à* CHRONICIS DIVIONENSIBVS. Illud porrò ita certum habebat Belleforestius, vt posteà in Annalium decursu, HVGONEM Abbatem, ODONIS & ROBERTI PATRVVM, absolutè nuncuparit. Parisijs 1579. Tomo 1. l. 2. c. 51. Cap. 60.

Quartus est Claudius Fauchetus, rei monetariæ in Regno Franciæ primus Præses: quem Bouchetus à iudicio & multarum rerum cognitione laudat. Is narrat, ODONEM ET ROBERTVM, *filios* ROBERTI FORTIS, *ob teneram ætatem, Ducatum patris tenere non potuisse, sed* HVGONEM *Abbatem, illorum patruum, illud munus obtinuisse.* Addit deinde, HVGONEM, *ex* CHRONICO DIVIONENSI, *fuisse fratrem* ROBERTI *puerorum patris.* Parisijs 1610. Pag. 154. Lib. 9. cap. 19.

Quintus est Alphonsus Delbene, Episcopus Albiensis, qui libro secundo de Regno Burgundiæ Transjuranæ ita loquitur: RVPERTVS Lugduni 1602.

autem moriens reliquit duos filios, ODONEM *&* RVPERTVM. *Eius autem præfecturas obtinuit* HVGO *Abbas*, *rei militaris peritissimus; quem asserunt* ANNALES DIVIONENSES *fuisse* FRATREM *eiusdem Ruperti.*

Parisiis 1610. Tomo 2. in Hugone Capeto Rege. Sexto loco, Scipio Dupleix, à Consiliis & Historiis Ludouici XIII. Regis: *Chronicon S. Benigni Diuionensis testatur*, HVGONEM *Abbatem fuisse fratrem* ROBERTI *Magni seu Fortis*, *qui Hugonis Capeti Regis proauus paternus fuit.*

Parisiis 1628. Lib. 5. c. 1. 3. 4. 5. 6. Lib. 1. c. 5. Septimo loco, decora Franciæ, San-Marthani fratres, pluribus locis fatentur, & identidem inculcant, *constare ex* DIVIONENSI CHRONICO, *Hugonem Abbatem fuisse* FRATREM *Roberti Fortis.* Vnde alibi sic asseueranter loquuntur: *Robertus Fortis, Comes Andegauensis, Dux & Marchio Franciæ* (*felix stipes tertiæ regalis prosapiæ*) *& Hugo* Lib. 5. c. 7. *Magnus* FRATER *eius.* Item alio loco: *Mortuo Hugone Abbate, Ducatus Franciæ datus fuit* ODONI *eius* NEPOTI *ab Imperatore & Rege Franciæ Carolo Crasso.* Ideò *nepoti*, quia Odo filius erat Roberti Fortis, fratris Hugonis Abbatis, vt disertè in Diuionensi Chronico.

Anno. 1638. cap. 17. Octauo denique, Gallicus Vindex anonymus, Patricium Armacanum, haud peritum genealogiarum, propterea quòd Hugonem Abbatem Roberti Fortis fratrem fuisse pernegabat, sic arguit: *Certè nisi glaucomate tibi obducti essent oculi*, *in* CHRONICIS DIVIONENSIBVS *legere potuisses*, HVGONEM *illum Abbatem in* ROBERTI *locum*, *tamquam illius* FRATREM, *suffectum fuisse.* In re Francicâ illustriora monumenta peti non possunt, quàm à viris doctissimis, ipsisque adeò Franciæ luminibus.

Ad hæc rursus audiendi sunt San-Marthani fratres, regiorum Lib. 5. c. 3. Franciæ Stemmatum interpretes peritissimi: *Chronicon S. Benigni*, inquiunt, *tradit* HVGONEM *Abbatem fuisse* FRATREM ROBERTI *Fortis: vnde sequitur; quæ dicuntur ab Auctoribus de origine* HVGONIS, *ea ad* ROBERTVM *etiam referri debere.* Atqui euidens est, Hugonem II. Abbatem fuisse filium Conradi & Adelaidis: ergo & Robertus Fortis quoque, Hugonis II. frater, eosdem cum Hugone natales habuit; fueruntque ambo Welphi Comitis Altorffi ex filio Conrado nepotes. Nihilominùs vt falsi reus in iudicium deposcor ab ijs, qui, vt videantur aliquid scire, cælum vituperant. Sed quid de me eiusmodi statuant πάντοφοι parum laboro, qui tot tantosque viros genuinæ lectionis Benigniani Chronici assertores secutus sum: si enim falsarius fui, illos criminis duces & antesignanos habui. Sed nec illos ea scriptio falsos habuit: Manuscriptus enim Diuionensis codex, quem Bouchetus & Dominicus autographum nuncupant, sequioris æui apographum est, mendosum & interpolatum. Testem profero Pe-

trum

trum Rouerium, virum doctissimum, qui in suo Reomao hæc ab illo codice exscripsit: *Dedit ipse idem Comes* OTTO *S. Benigno potestatem Viuariensis villæ pro animâ* HENRICI *Ducis, qui eum loco filij adoptauit; & pro animâ genitricis suæ* ADOPTIVÆ GERBERGÆ, *vxoris prædicti Ducis.* Hæc verba insinuant, inquit Rouerius, OTTONEM perinde filium factum Gerbergæ per adoptionem atque Henrico. Iam expende quid dicat Glaber Rodulphus, Cluniaci in Burgundiâ alumnus, æqualis Auctor: *VVillermus, Henrici Ducis priuignus, ac Alberti Longobardorum Ducis filius, eidem Regi* [Roberto] *aliquando rebellis extitit.* Subdit deinde de eodem Willermo Comite: *Qui licet aduena, puer etiam furtim sublatus à Longobardorum patriâ, matrique non mediocriter astutè per quemdam monachum redditus in Burgundiâ, in tantum conualuit, vt in diuitiis & in militiâ non inueniretur secundus in patriâ.* Audi insuper quid Albericus: *Dux Burgundiæ* HENRICVS, *patruus Regis Francorum* ROBERTI, *moritur: qui Dux* HENRICVS GVILELMVM OTHONEM *loco filij adoptauit, & eius matrem* GERBERGAM *in vxorem habuit.* Vide tandem quid ex ipso fonte pellucido Diuionensis Chronici hauserit Nicolaus Vignerius: *Constat*, inquit, *ex Commentariis Cœnobij D. Benigni*, HENRICVM *Ducem sibi ante obitum suum*, OTHONEM *quemdam, cui simul* WILLELMI *nomen erat*, GERBERGÆ *vxoris suæ ex alio marito filium, adoptasse, successoremque in Ducatu instituisse.* En discrimen sinceri & primigenij exemplaris, quod Vignerius viderat, ab adulterato, quod nunc habetur Diuione. Gerberga enim primis nuptiis (vt tu ipse fateris Bouchete) copulata fuerat Adalberto Marchioni Eporediæ, cui Othonem Willelmum pepererat; dein secundis cum Henrico Duce Burgundiæ, qui prole carens priuignum adoptauit. Quid portò factum ex illo Diuionensi veterrimo exemplari, nescio: vero simile tamen existimo, illud à Vignerio in Germaniam delatum, vbi virandis Galliæ procellis per duos annos egit, intentus scriptioni & editioni rerum Burgundicarum Chronici, in quod pleraque ex Benigniano transtulit. In Besuensi Chronico memini me obseruasse, Auctorem gesta Principum ipsissimis Benigniani referre verbis, cuius corrupto exemplari haud dubiè vsus est, si *fratres* scripsit, non *fratris*. Idem dico de Scriptore gestorum Warnerij Præpositi Stephaniensis. Instat Dominicus, ex narratione Hetrici, *Hugonem paternis honoribus suffectum fuisse*, nullâ factâ Roberti fratris mentione; vnde palàm inducitur (ait) Hugonem Roberti Fortis fratrem non fuisse; quia notissimum est (ex Reginone) Hugonem Abbatem Roberti Fortis honoribus successisse. Tricas illas exsoluo, & honores ab hæreditate distinguo: Successit Hugo

Illustrat. cap. 104.

Lib. 3. cap. 2.

Anno 1002.

In Chron. Burgund. anno cit.

Pag. 231.

Pag. 7.

Hugo Conrado parenti in Ducatu Burgundiæ hæreditario iure; Roberto fratri in Ducatu Franciæ, ex Regis concessione.

Pag. 9. & 10. Dico ampliùs: Ex chartâ anni DCCC. XCVII. (quam Dominico subministrauit Bouchetus) Robertus Comes Parisiensis, antequam regium nomen affectaret, contulit Monasterio S. Martini Turonensis Dociacum villam, mercedisque futuræ consortes esse voluit, ODONEM *Regem, germanum suum; genitorem suum* ROBERTVM, *gloriosum dum vixit in terris Comitem*; ADELAIDEM *genitricem suam*; *&* ROBERTVM *auum suum*; nullâ Hugonis Abbatis factâ mentione: vnde ex illâ prætermissione colligo (vt ex aliâ Herrici paulò antè Dominicus) Hugonem Abbatem non fuisse Odonis & Roberti fratrem: sed Boucheti culpa fuerit, qui dum consanguinitatem illam totam marte suo in chartâ disposuit, Hugonem Abbatem oscitanter omiserit.

LVMEN VI.

Hugonis Capeti Regis turpe stemma, quod Albericus descripsit, refellitur; firmaturque sincera lectio Diuionensis Chronici.

NON est recens adulteratio Chronici Diuionensis; Albericum (qui duobus sæculis ab eius Auctore vixit) iam fefellit malè descriptum ex archetypo exemplum: sic enim ille ad annum CM. LXXXVIII: *Matrem Regis* ODONIS, *& Ducis* ROBERTI *vxorem, videlicet Roberti Fortis Marchionis, credimus fuisse illam, quæ dicta est nomine* REGINA; *quæ cùm esset iuuencula, fuit concubina* KAROLI *Magni iam senioris, cui peperit Episcopum* DROGONEM *Metensem, & Abbatem* HVGONEM. *Et hanc opinionem habemus ex Collectaneo S. Benigni, vbi dicitur; quòd Rex* ODO *&* ROBERTVS FRATRES *fuerunt Abbatis* HVGONIS. *Et hæc est ratio quare isti fuerint in Curia Regum Franciæ ita magnifici. Quia verò Regis Hugonis genealogiam ita subtiliter indagauimus, ad narrationem Historiæ reuertamur.*

Fœmineum stemma Hugonis Capeti Regis, ad mentem Alberici.

1. Regina iuuencula, Caroli Magni concubina.	1. Regina eadem, vxor Roberti Fortis, post mortem Caroli Magni.
2. Drogo Episc. Metensis. 2. Hugo Abbas.	2. Odo Rex Franciæ. 2. Robertus Rex Franciæ.
	3. Hugo Magnus Dux Franciæ.
	4. Hugo Capetus Rex Franciæ.

Errauit toto cælo Albericus, prauo Chronici Diuionensis exemplo fretus, in quo, elementi mutatione, legebatur *fratres* pro *fratris*: & ita in duos errores haud leues incidit: Primus est, dum Hugonem Abbatem constituit vnicum pro duobus, eiusque vitam perduxit ad annum vsque DCCC. LXXXVII. Prior enim Hugo Abbas, Caroli Magni ex Reginâ filius, occisus est à Pipini Ducibus an. DCCC. XLIV. at Hugo II. Abbas, Contadi & Adelaidæ filius, excessit è viuis anno DCCC. LXXXVII. Itaque Hugoni I. Abbati, Reginæ filio, anno DCCC. XLIV. occiso, non potuit succedere ODO, qui tunc nondum natus erat; sed Hugoni II. subrogatus est, qui decessit anno DCCC. LXXXVII. Reginone & Sigeberto Auctoribus.


Aberrauit præterea Albericus, dum Reginam, Hugonis I. Abbatis matrem, fecit vxorem Roberti Fortis, adeoque matrem etiam Odonis & Roberti Regum: id enim ex iustâ temporum collatione aliter se habere, fieriqne non potuisse sic contendo. DROGO Reginæ filius in Metensem Episcopum consecratus est anno DCCC. XXV. vt tradit Meutissius ex Chronico Metensium Episcoporum, manu Sigeberti scripto: quo anno Drogo ad minimum annos XXX. iam compleuerat; & sic editus fuerat ante annum DCC. XCV. Regina mater eius, dum illum peperit, vix poterat esse minor annis XV. & sic nata circa annum DCC. LXXX. Deinde, quando Robertus Fortis occisus est anno DCCC. LXV. vel DCCC. LXVI. Odo & Robertus eius filij (teste Reginone) adhuc paruuli erant; & ita natu maior in lucem prodierat circa annum DCCC. LIX. Atqui si Regina fuisset eorum mater, quando Odonem peperisset, annum ætatis compleuisset LXXX. quod omnibus naturæ legibus prorsus repugnat. In Hist. Episcop. Metens.

Nullo modo igitur excusari potest Albericus in hac studij genealogici parte, in quâ idcircò errauit (scribens sæculo XIII. non XIV.

A a vt

vt malè norat Dominicus) quia Benigniani Auctoris autographum non inspexerat, sed excerpta quædam dumtaxat ex corrupto exemplari nactus erat: si enim sincerum & integrum præ manibus habuisset, plerosque locos ex illo contulisset in suum, vti passim fecit è Sigeberto, Guidone, Luitprando, Andrado, Hugone, Othone, Helinando, & alijs; perquam tarâ Diuionensis factâ mentione in toto magnæ molis suo volumine.

Pag. 7. Ad an. 888. Ceterùm mirè se torquet Dominicus in emendando alio Alberici loco, quem adfert & sic detruncat: *Quædam notula dicit ita: Normanni fugati à Ciuitate Parisius, Senones venerunt; quorum timore VValtherius Senonensis Archiepiscopus vnxit* ODONEM *in Regem, vt exiret contra eos: fuit enim iste Odo frater* EX PATRE *Hugonis Abbatis*. Ausculta tantisper, Dominice, & paucis quiete summâ te beauero. Codex Alberici, quo vteris, mendosus est. In autographo membraneo, quod penes me habeo, sic integrè legitur: *Fuit enim iste* ODO *frater* EX MATRE *Hugonis Abbatis, filij Karoli Magni ex Reginâ: vnde aliqua erat ratio quòd ei in tutelâ Regni successit.* Quæ planè conueniunt cum ijs, quæ fusiùs retulit ad annum CM. LXXXVIII. quamuis (vt ostendi) per errorem. Id verò te scite volui, vt agnosceres, quàm in exscribendo facilis sit elementi vnius mutatio. Amanuensis tuus nouus perperàm pro *Matre* scripsit *Patre*. Quidni alius sæculi rudioris, eodem lapsu, scripsit *Fratres* pro *Fratris*? Quod addis ex litteris Dumaij & Perardi, ad marginem Chronici Diuionensis antiquo charactere additum; *Odo frater fuit Hugonis & Roberti Andegauorum Comitis*; glossa est ex corruptione textus orta, & ad deprauatum eius sensum adiecta. Labiles sunt hominum sensus, oculi, manus: vnde iterùm affirmo, in Benigniano exemplari primigenio, quod Vignerius diu penes se habuit, scriptum fuisse *Fratris*, non autem *Fratres*.



LVMEN

LVMEN VII.

Ad maiorem fidem Diuionensis Chronici probatur, Odonem & Robertum Reges non fuisse fratres vterinos Hugonis Abbatis.

DOCET tabellâ suâ Bouchetus, Adelaidem, Conrado vitâ functo, nouas nuptias contraxisse cum Roberto Forti, qui ex illâ quinque proles suscepit, quas recenset. Atqui ex Necrologio S. Germani Autissiodorensis constat, Conradum Maiorem obijsse diem anno DCCC. LXII. Constat prætereà ex Guidone & Alberico, Robertum Fortem fuisse occisum anno DCCC. LXV. vel, ex Sigeberto & Annalibus Bertinianis, anno DCCC. LXVI. Si dematur annus luctus, supererunt coniugij anni duo vel tres, quibus, ex naturæ ordine & statuto, Adelaid vitales proles edere quinquies non potuit. Vnde per Bouchetum colligi datur, Robertum Fortem coniugio illigatum iam fuisse, antequam Adelaid Conrado viduata esset; adeoque Odonem & Robertum, Fortis filios, non fuisse fratres vterinos Hugonis II. Abbatis, qui sine controuersiâ filius fuit Conradi & Adelaidis.

Sed in chartis, mater Odonis & Roberti Regum nuncupatur *Adelaida*. Nihil inde aduersum: illo siquidem æuo frequens erat apud Francos Principibus fœminis Adelaidæ nomen. Eius appellationis filiam habuit Carolus Magnus; aliam Pipinus Rex Italiæ: vxor Hugonis Caperi Regis eodem nomine appellabatur; coniux item Richardi Burgundiæ Ducis: vt mirum non sit, eamdem nomenclationem incidisse in vxores Conradi Ducis & Roberti Fortis. Ista autem posterior, meâ sententiâ, patrem habuit Emenonem Engolismæ Comitem.

Stemma vxoris Roberti Fortis, Odonis & Roberti Regum matris.

1. Eméno Comes Pictauiæ & Engolismæ, anno 840.

2. Adelaida vxor Roberti Fortis, occisi an. 865.	2. Ademarus Comes Pictauiæ, 887. vxor Sancia Petracoriensis, ἄπαις.	2. Adalelmus I. Comes, an. 870. & 877. auunculus Odonis Regis.

3. Odo Rex Franciæ, 898.	3. Robertus Rex Franc. occ. 923.	3. Waltharius Comes, nepos, id est consobrinus Odonis Regis, anno 892.	3. Adalelmus II. Comes, nepos Odonis Regis, id est consobrinus, anno 886.

Probationes.

Chesne Tomo 4. p. 84. Tomo 2. p. 633. 634. Lib. 1. Vitæ S. Geraldi c. 39.

IN veteri stemmate Comitum Engolismensium & Petracoriensium *Ademarus* dicitur *filius Emenonis, Comes Pictauiæ.* In Fragmento historiæ Aquitanicæ, *Ademarus filius Emenonis* : item, *Ademarus Comes Pictauiensis.* Præterea S. Odo Cluniacensis Abbas *Adalelmum* vocat *fratrem Ademari Comitis*: vnde constat, vtrumque fuisse Emenonis Engolismæ & Pictauiæ Comitis filium.

De Ademaro Odonis Regis auunculo, qui contra illum arma sumpserat, sic Abbo cecinit:

Lib. 2. de Bellis Paris.

Consul ADEMARVS, *Regi copulatus eidem*
Progenie, cuius memini; Proserpina dudum
Huic cessit, cuneos dum profligauit ODONIS.
Vmbra fugat stellas, ADEMARVS *ab agmine vitas.*
Dormit ODO, CONSANGVINEVS *sua proterit arma.*

Chesne Tomo 2. p. 453. 464.

Adalelmus I. Comes pactioni Aquisgranensi, inter Carolum Caluum & Ludouicum fratres initæ, præsens interfuit anno DCCC. LXX. subscripsit deinde Capitulis Caroli Calui apud Carisiacum anno DCCC. LXXVII.

De Adalelmo II. Odonis Regis nepote, sic iam laudatus Abbo:

Lib. 1.

Vnde NEPOS *eius, nimium tristans* ADALELMVS,
Consulis intererat populo, cui talia dixit:
Eia viri fortes, clypeos sumatis & arma;
Vlciscique meum raptim properemus AVVNCLVM.

Glossator quispiam nouus adiecit in margine: *Adalelmus nepos ex sorore Odonis*; sed ignoranter: *nepos* enim hoc loco significat *consobrinum.*

num. Regino Abbas & Metensis Historicus id docent ad annum DCCC. XCII. mense Iulio: WALTHARIVS *Comes*, NEPOS ODONIS *Regis, filius scilicet* AVVNCVLI *eius* ADALELMI, *aduersus eumdem Regem, cum consilio quorumdam, rebellionis arma leuauit*. Ad quæ sciendum ampliùs, *Nepotis* vocabulum in inferiori gradu trifariàm vsurpari: Primùm, pro eo qui ex filio vel filiâ natus est: Secundò, pro filio fratris vel sororis: Tertiò, pro patruelis vel consobrini filio: quo de significatu agemus infrà Lumine vndecimo. Verùm hîc à Reginone, Abbone & Metensi, quarto intellectu, in gradu æquali sumitur nepos pro patruele vel consobrino; vt verba de Walthario Adalelmi I. filio clarè indicant. Addo alia è vetustate exempla. In Chron. In Annal.

Primum: Sigebertus ad annum DCCC. LXXXVIII. HVGONEM *Capetum Regem* vocat *Caroli Ducis nepotem*, qui verè consobrinus illius erat: duarum enim Othonis Magni Imperatoris sororum filij erant; iste Gerbergæ, ille Hadwidis. In Chron.

Stemma Consanguinitatis.

1. Henricus I. Imperator.

2. Otho Magnus Imperator.	2. Gerberga vxor Ludouici IV. Franc. Regis.	2. Hadwidis vxor Hugonis Magni Franc. Ducis.
	3. Carolus Dux Lotharingiæ Inferioris.	3. Hugo Capetus nepos, id est consobrinus Caroli Ducis.

II. Sigebertus iterùm ad annum M. XXXVI: ODO *Campaniensis Regnum* RODVLFI *auunculi sui à* CONRADO *Imperatore*, NEPOTE SVO, *repetens, vt sub eo regat Burgundiam efflagitat*. Odo Comes Campaniæ consobrinus erat GISELÆ, vxoris Conradi II. Imperatoris; vnde Sigebertus *Conradum* vocat *nepotem Odonis*, id est *consobrinum*.

Schema propinquitatis.

1. Conradus Rex Burgundiæ.

2. Rudolphus III. Rex Burgundiæ, ἄπαις.	2. Bertha vxor Odonis Comitis Campaniæ.	2. Gerberga vxor Hermanni Ducis Alemanniæ.
	3. Odo Comes Campaniæ, qui obtendebat Regnum Burgundiæ.	3. Gisela vxor Conradi II. Imp. nepotis, id est consobrini per vxorẽ Odonis Campaniæ Comitis.

 III. Auctor

Cap. 9. III. Auctor Vitæ S. Henrici Imp. adfert hoc diploma: OTTO *diuinâ prouidentiâ Imperator Augustus. Nouerint omnes nostri fideles, præsentes scilicet & futuri, qualiter Nos, ob interuentum dilectissimæ genitricis nostræ* ADELHEIDÆ, *charo* NEPOTI NOSTRO, *Bauariorum Duci* HEINRICO, *quoddam iuris nostri prædium, ciuitatem scilicet Babenberc nominatam, &c. concessimus, firmiterque donauimus, &c. Datum* V. *Kal. Iulij, indict.* I. *anno Regni Domini* OTTONIS XIV. *Imperij autem* VII. Loquitur Otho II. Imper. de Henrico II. Bauariæ Duce, patre Henrici sancti, qui fuit tertius eius nominis Bauariæ Dux. Fuit autem Henricus secundus Othonis II. Imperatoris patruelis; ex duobus quippe fratribus geniti erant; ille ex Henrico I. Lotharingiæ & Bauariæ Duce, hic ex Othone Magno Cæsare. *Nepotem* ergo pro *patruele* vsurpauit Otho II. Imperator.

Schema Cognationis.

1. Henricus I. Auceps Imperator.

2. Otho I. Imperator.	2. Henricus I. Dux Lotharingiæ & Bauariæ.
3. Otho II. Imperator.	3. Henricus II. Bauariæ Dux, nepos, id est patruelis Othonis II. Imp.

In Chron. IV. Robertus de Monte ad annum M. C. XLIII: *Ludouicus Rex Vitriacum castrum Comitis Theobaldi capit; castrum verò* ODONI *Campaniensi contulit,* NEPOTI *Comitis Theobaldi.* Addit Andreas Chesneus: *More illius æui, Robertus Odonem vocat nepotem Comitis Theobaldi pro patruele.* Anteà dixerat idem Chesneus: *Iuxta antiquum loquendi morem,* NEPOS *non minùs significabat patruelem quàm fratris filium.*

Lib. 8. Hist. Gand. c. 3. Lib. 2. in præf.

Schema Consanguinitatis.

1. Theobaldus Comes Campaniæ.

2. Hugo Comes Campaniæ.	2. Henricus Comes Carnotensis, & Blesensis.
3. Odo Campaniensis, nepos, id est patruelis Theobaldi Comitis.	3. Theobaldus Comes Carnotensis, Blesensis, tum Campaniæ.

Quia ergo Adalelmus I. verè auunculus erat Odonis Regis, hoc est frater Adelaidæ matris illius; & quia Waltharius, Adalelmi I. filius,

lius, eiusdem Odonis Regis erat *nepos*, id est *consobrinus*; absque dubio soror Adalelmi I. Adelaida mater erat Odonis Regis, & ex consequenti, vxor Roberti Fortis. Vnde compertum habemus, Hugonem II. Abbatem, alterâ Adelaide genitum, non fuisse fratrem vterinum Odonis & Roberti Regum; adeoque genuinam esse Chronici Diuionensis lectionem, quæ Robertum Fortem facit fratrem Hugonis Abbatis.

Ceterùm hoc loco, si alicubi, Bouchete, seriò tecum ago. Contendis, Adalelmum Comitem, Waltharij patrem, Roberti & Aganæ fuisse filium secundo loco genitum; adeoque fratrem Roberti Fortis. Tu deinde bilinguis insinuas, Adalelmum patrem Waltharij fuisse fratrem Ademari Pictauiæ Comitis; atque istum addis Emenone Comite Engolismæ genitum fuisse. Ad vernaculam loquacitatem iudicij & memoriæ vim requiro. Cùm enim, vel reipso Auctore (& ex vero quidem) Adalelmus & Ademarus fratres, filij fuerint Emenonis Engolismæ Comitis, cur primum facis Roberti tui prioris filium, & Roberti Fortis fratrem? Prægrandis tuus liber fictitijs eiusmodi cognationibus totus scatet: Magna ciuitas, magna solitudo. Tela inconsultè in alios iacit, quæ duriùs in ipsum retorqueri possunt.

Pag. 170. 171.

Pag. 192. 203. & 207.

LVMEN VIII.

Carolus Magnus Imperator filios duos naturales habuit nomine Hugones, & dignitate Abbates.



AVCTOR Chronici Noualiciensis, in Segusinâ Italiæ valle, narrat, Carolum Magnum, Ticino ciuitate obsessâ (contigit id anno Christi DCC. LXXIII.) Romam perrexisse: in reditu verò, HVGONEM filium suum *puerulum* adduci præcepisse, quem Beato Frodöino Noualiciensi Abbati commendans, rogauit vt in sanctâ & monasticâ professione illum nutriret; qui puerum benignè suscipiens, aluit & nutriuit vt decebat filium tanti Imperatoris. Addit deinde, mortuo post multos annos Amblulfo Abbate, Frodöini successore, *Hugonem* illum, Caroli Magni filium, in eius locum à loci Fratribus promotum fuisse; ac ipsum deinde funeri parentis interfuisse. Subiungit denique, eumdem *Hugonem post paucos annos* (ab obitu parentis) cùm iuxta morem, causâ prouidentiæ & ammonitionis, Abbatiæ suæ cellas circumiret, in Franciam venisse (vbi

Cap. 14. & seq.

Anno 814.

Circa annum 820.

(vbi multæ cellæ erant sub ditione Noualiciensis Cœnobij erectæ) consedisse in Monasterio S. Medardi Confessoris; in quo cùm aliquantis moratus esset diebus, infirmitate tactus est, & ex illâ ad mortem vsque perductus *ipsis Idibus Iunij*, hoc est XIII. eiusdem mensis; illoque loco honorifice humatus, vbi multa miracula per eum Deus operatus est. Ille ergo *Hugo Noualiciensis*, Caroli Magni proles, & in Italiâ Abbas, alius fuit ab *Hugone* in Galliâ Abbate, Caroli Magni etiam, sed ex Reginâ filio: vti perspicuè ostendo ex temporum characteribus.

Natus est Carolus Magnus anno DCC. XLII. qui mortuo Carlomanno fratre anno DCC. LXXI. solus regnare incepit. Anno deinde DCC. LXXIII. Ticinum in Italiâ obsedit, & mox Romam profectus est. Ad Ticinum deinde redux, *Hildegardem Reginam, vxorem suam, & filios ex Franciâ ad se adduci fecit*, Anastasio Bibliothecario Auctore. Pipinus & Ludouicus Pius, eius filij, lucem nondum aspexerant, Carolo dumtaxat nato, atque in cunis adhuc agente. Quocircà vbi Anastasius numero multitudinis filios Caroli Magni ex Franciâ adductos dicit, non est dubium, quin etiam de Hugone sermonem habere voluerit, quem *puerulum* magnus parens Frodöino per idem tempus commendauit, & instituendum tradidit: id enim etiam apertè insinuat Scriptor Noualiciensis. Ceterum *Hugo* ille, quia dicitur fuisse *puerulus*, vix attigerat annum ætatis septimum, vel octauum, cùm Frodöino traditus est; & sic natus erat circa annum DCC. LXV. in primâ parentis iuuentute. Præterea ille idem *Hugo*, cùm iam esset Noualiciensis Abbas, & ferè quinquagenarius, funeri parentis interfuit anno DCCC. XIV. Tandemque vir per omnia Ecclesiasticæ disciplinæ addictus, in S. Medardi Monasterio ex morbo decessit, vt narrat Historicus, paucis post parentis obitum annis, hoc est circa annum DCCC. XX.

Baron. an. 773. num. 11.

Alter vero *Hugo* Abbas, Caroli Magni ex Reginâ filius, non antè nasci potuit, post fratrem suum *Drogonem*, quàm anno DCC. XCVI. vt iam docui lumine sexto; fuitque Clericus & Abbas coniugatus, pessimo sæculi more; cuius Abbatis militis diem in prœlio obitum notant omnes Chronographi anno DCCC. XLIV. VII. *Idus Iunij*, hoc est die septimâ eiusdem mensis.

Annal. Fuldenses & Metens.

Illud igitur insigne discrimen temporis, ortus, vitæ status, & obitus duorum Hugonum, certò conuincit, Carolum Magnum duos habuisse filios naturales, nomine *Hugones* & dignitate Abbates. Quia tamen *Hugo* Noualiciensis Abbas in Stemmatis nostris locum non habebat, Hugonem Reginæ filium, HVGONEM I. *Abbatem* nuncupauimus,

pauimus, ad HVGONIS alterius Abbatis distinctionem, qui primi ex Adelaide filiâ nepos erat. Id Hugonum discrimen, vt & multa alia, Assertor non intellexit. Pag. 14.

LVMEN IX.

Maternum Stemma Hugonis Capeti à nobis editum, est perfectum: Hugo I. Abbas, Caroli Magni ex Reginâ filius, fuit Clericus coniugatus.

DIXI in Vindicijs Hispanicis, Hugonem I. Abbatem, Caroli Magni filium nothum, duas genuisse filias: cuius sententiæ non diffiteor me duces habuisse Andream Chesneum & Fratres San-marthanos, Regiarum cognationum peritos enarratores. Prior Hugonis I. Abbatis hoc promulgauit elogium: *Burgundia Duces semper peculiares habuit à temporibus Ludouici Pij Regis Franciæ & Imperatoris: nam sub illo, & aliquot etiam Caroli Calui annis,* HVGO, *naturalis filius Caroli Magni, titulum Ducis Burgundiæ gessit, & suâ fortitudine, ac magni animi robore, acquisiuit cognomentum Magni, in familiâ Hugonis Capeti posteà valdè vsitatum. Fuit etiam cognominatus Abbas, propter Monasteria S. Bertini, S. Vedasti Atrebatensis, & alia; quorum Fiduciarius custos erat. Ille porrò missus à Carolo Caluo contra Pipinum, Pipini Regis Aquitaniæ filium: huius Duces illum prope Tolosam occiderunt cum Richbotone Abbate, Rabano, & alijs Primoribus,* VII. *die Iunij anni* DCCC. XLIV. *Ex coniuge, quam Historia non nominat, reliquit duas filias; nempe N. copulatam Roberto Forti, Comiti Aurelianensi & Andegauensi, Franciæ Marchioni; cuius posteri Ducatum Burgundiæ tenuerunt vsque ad Regnum Roberti. Altera verò eius filia* PETRONILLA *vxor fuit* TERTVLLI *nobilis Armorici, & mater* INGELGERII *Comitis Vastinensis & Andegauensis.* Affirmatè loquitur vir eruditus, non dubiè & per coniecturam, vt Dominico placet: San-marthani Fratres eadem pænè referunt: ecce Stemma ab illis institutum. Cap. 1. Lib. 2. Burgund. cap. 35. Pag. 11.

1. Carolus Magnus Imp. & Rex Franciæ.

2. Ludouicus Pius Imper. & Rex Franciæ.		Hugo Magnus, Dux Burgundiæ, Abbas S. Martini Turonẽsis.
3. Carolus Caluus Imp. & Rex Franciæ.	N. vxor Roberti Saxonis, qui viuebat an. 830.	Petronilla vxor Tertulli Comitis Vastinensis.
4. Robertus Fortis, Dux & Marchio Franciæ.	Hugo Abbas, Dux Franciæ.	Ingelgerius Comes Vastinensis.
5. Odo Rex Franciæ.	Robertus Rex Franciæ.	Fulco Ruffus Comes Andegauensis.
6. Arnulfus Rex Aquitaniæ.	Hugo Magnus Comes Parisiensis.	
	Hugo Capetus Rex Franciæ.	

In hoc Stemmate nihil mutaui; legitimos solùm ab illegitimis distinxi, & ad perfectionem adieci (quod hactenus ignoratum fuerat) Petronillæ sororem (quam ab Herrico didici nominatam *Adelaidem)* Conradi Ducis vxorem, non autem Roberti Fortis, vt Chesneo; vel Roberti Saxonis, vt San-marthanis placuit. Nec idcircò incurri plagij aut iniuriæ noxam, quòd viros magnos secutus sim; quinimò laudem mereor, quòd ab illis prætermissa suppleuerim; saniori consilio quàm Bouchetus & Dominicus, qui, spretis veterum & recentiorum sententijs, noua Stemmata suopte ingenio fingere ausi sunt.

Pag. 175. 176. Sed opponit adducto Stemmati Bouchetus, Primò, *Hugonem* Abbatem, Caroli Magni & Reginæ filium, septingentis abhinc annis à
Vide Vindic. Hispan. c. 1. nemine nuncupari *Burgundiæ Ducem*. Verùm Auctor Chronici Turonensis, Odo Cluniacensis, Ioannes Monachus Maioris Monasterij, Albericus, Chesneus, & San-marthani eam illi dignitatem tribuunt.

Pag. 13. II. Insurgit Dominicus, & ait, Hugoni illi à Ioanne Monacho *Abbatis* titulum non tribui, nec dici fuisse filium Caroli Magni. Non inde porrò sequitur illum talem non fuisse; cùm Auctor Vitæ Ludouici Pij, natales eius indicans, Abbatis etiam titulum prætermiserit:
Anno 835. *Imperator*, ait, *vt filium* [Lotharium] *aduersâ valetudine correptum audiuit, per missos fidelissimos, scilicet* HVGONEM FRATREM SVVM, *& Adalgarium Comitem, ipsum visitauit*. Illo tamen anno Hugo iam erat Abbas S. Quintini, ex Alberico.

III. Bou-

III. Bouchetus & Dominicus obijciunt, Hugonem de quo agimus, quia à teneris annis Clero mancipatus fuit, & attonsus (quod non negamus) vxorem per consequens nusquam duxisse; ac si tonsura clericalis nuptias impediret. Conradus Hugonis II. Abbatis parens (ex Thegano) ante matrimonium attonsus fuerat. Carolus Caluus (ex Bertinianis Annalibus) *Hucberto Clerico coniugato* (qui Abbatiam S. Mauricij iam tenebat) *Monasterium S. Martini donauit*. idemque Carolus Ludouico filio, *Abbatiam S. Crispini donans, cum vxore de Neustriâ ad se venire præcepit*. Denique Robertus Fortis, eiusque filij & nepotes, Odo & Robertus I. Hugo Magnus & Hugo Capetus, dicti sunt etiam *Abbates*, propter opulenta Monasteria quibus præerant: Clerici & coniugio illigati omnes. Cap. 36. Ad an. 862. & 864.

IV. & vltimò, addit Bouchetus (ex Bertinianis Annalibus) *Hugonem Presbyterum & Abbatem à Pipini Ducibus occisum fuisse*; vnde infert, illum vxorem numquam duxisse; immemor se scripsisse, ex antiquis & coætaneis, S. Arnulphum, antequam esset Presbyter & Metensis Episcopus, ex Beggâ vxore suscepisse Ansigisum, patrem Pipini Herstalij, qui fuit proauus Caroli Magni: vnde sequitur non implicare, in sacerdotio mori, & coniugatum priùs fuisse. Pag. 57. 58. Anno 844. Monachus Engolism. in Vitâ Car. M.

Verùm haud sufficit non repugnare, quo minus credatur Hugonem I. Abbatem vxorem duxisse; ostendere iuuat illum reuerà coniugium iniuisse. Id porrò colligitur ex Senonensi Chronico, in quo hæc leguntur de Hugone Capeto Rege: *Dicitur quòd iste* HVGO *ex progenie Caroli Magni descenderat, non ex primogenito*. Dominicus locum illum (quia fabuloso eius Stemmati oberat) sic truncauit & edidit: *Dicitur quòd iste* HVGO *ex progenie descenderat, non ex primogenito*. subiecitque per dolum: *ex Childebrando scilicet, non ex Carolo Martello*. San-marthani viri graues & fideliores ita scribunt: *La Chronique de Sens dit, mot pour mot exprimé du Latin, que le Roy Hugues Capet estoit issu de Charlemagne, mais non de l'aisné de ses enfans*. Arqui Caroli Magni proles masculinæ fecunditate felices (nam de illis dumtaxat intelligendum esse Chronici Auctorem verba eius insinuant, *non ex primogenito)* fuêre Pipinus Rex Italiæ, & Ludouicus Pius Imperator. Non oriebatur Hugo Capetus à primogenito Pipino, vt disertè Chronicon; neque à Ludouico Pio, quia ortum illum Capeti vsurpatoris fautores silentio non prætermisissent: superest igitur, vt Hugo Capetus ab Hugone I. Abbate, Caroli Magni notho (qui legitimis iam recensitis ordine natalium posterior) oriundus fuerit; & consequenter, vt Hugo Abbas coniugio fuerit illigatus; vel certè, vt spurias proles ex concubinis ediderit. quod non credo. Ad an. 992. Pag. 23. Lib. 5. c. 3.

Sed ecce, dum hæc scribo, Coloniâ moneor à V. C. Ægidio Gelenio, in Ecclesiâ S. Andreæ (cuius ipse est Canonicus) seruari aram veterem viatoriam, auro puro vestitam, cum hac inscriptione:

Hoc decus altaris, monumentum dulcis amoris,
Dat tua bella tibi coniux, Dux Hugo, IVTHITTA,
Vt memor eius sis, omni quo tempore viuis.

Illam autem *Iuthittam* existimat fuisse coniugem Hugonis I. Abbatis & Ducis: Primò, quia aliorum Hugonum Ducum vxores omnes alijs præditas nominibus se reperisse ait. Deinde, quia illam S. Andreæ Ecclesiam fundauit BRVNO Coloniensis Archiepiscopus, frater Haduuidæ, Hugonis Capeti matris: potuitque dono accepisse à sorore aram illam è Capeticâ veteri supellectile, cùm ab Othone I. Imper. fratre suo legatus in Occidentalem Franciam aliquoties missus est.

LVMEN X.

Conradi Ducis vxor Adelaid non fuit filia Ludouici Pij Imperatoris.



P. 15. NON est certa conclusio tua, Dominice: *Adelaid mater Hugonis Abbatis (ex Bertinianis Annalibus) fuit matertera Lotharij Lotharingiæ Regis: ergo fuit filia Ludouici Pij Imperatoris.* In Festi Fragmentis hæc Pauli verba sunt: *Matertera, matris soror, quasi mater altera.* Quo strictè sensu *Adelaid* fuisset filia
Cap. 28. *Hugonis* Alsatiæ Comitis, *qui* (Auctore Thegano) *erat timidus super omnes homines: sic enim cecinerunt ei domestici sui, vt aliquando pedem foris sepem ausus ponere non fuisset.* Huius autem altera filia Ermengardis mater erat Lotharij Regis. Id si velis, per me licet; ex illo enim fonte nullam Carolini sanguinis stillam ex Adelaidæ venis in Hugone Capeto reperies: & sic rectà in scopum meum semper collimauero, quò spectaui, quò intendi, nempe Hugonem Capetum à Carolo Magno nec masculinâ nec femininâ serie legitimè ortum esse.

Probat. p. 345. Sed Bouchetus, vt coniectionem illam firmet de Adelaidæ natalibus à Ludouico Pio, dicit, eam esse rationem, cur Carolus Caluus & Ludouicus Balbus Reges, *Hugonem Abbatem* vocent *propinquum nostrum*; cur Ioannes VIII. PP. eumdem *Hugonem* dicat *Regali prosapiâ editum*; cur Senonense Chronicon *VVelphonem* Abbatem S. Colombæ tradat fuisse *de prosapiâ Regali*; cur Auctor de gestis Comitum Andegauensium insinuet, *Hugonem Burgundiæ Ducem, Caroli Simplicis ex parte matris consanguineum fuisse.* Quasi verò Welphoni & Hugoni II. Abbati (qui germani fratres erant) elogia illa tribui non potuerint,

fuerint, cùm per matrem Adelaidam, Hugonis I. Abbatis filiam, à Carolo Magno oriundi essent; & sic *de prosapiâ Regali*, Regumque, qui iustiore viâ à Carolo Magno prodibant, propinqui & consanguinei.

Affirmat insuper Bouchetus, idcircò à Berengario Rege Italiæ, Gislâ Ludouici Pij filiâ genito, *Robertum* I. Regem nuncupari *consobrinum nostrum*. Dubio procul interpres Bouchetum decepit; in chartâ enim quam edidit, Rex Berengarius *Robertum* Regem vocat *propinquum nostrum*, hoc est sanguine iunctum; non strictè, vti vertit, *cousin germain*, id est *consobrinum*. Addit seorsim & astutè Dominicus idcircò ab Altishodorensi Herrico scribi, *Adelaidem primorum natalium titulis gloriosam, auctâ antiquorum Procerum oriundam propagine, splendorem generis augustissime æquiparasse Stemmate dignitatis*. Duo sunt in his Herrici verbis ponderanda: primi Adelaidis natales, & eorum cum Imperiali Stemmate æquiparatio. Primos illos à Carolo Magno per Hugonem Adelaidis patrem natales, quia non legitimos, Herricus cautè non expressit, qui alio loco *Adelaidem* idcircò latè dixit *summo loco natam*. At ortum illum Adelaidis, primarium quidem, sed obliquum comparando, venustè adæquat Herricus sincero Stemmati Augustæ dignitatis; quia Adelaid Iudithæ Imperatricis glos erat, siue ex Conrado marito soror: sorores enim vt sorores sunt æquales. Probat. p. 264.

Audiant nunc aduersarij quid referat antiquus Auctor in vetusto Codice Niuellensi sub hoc titulo: *Hec est prosapia modernorum Regum Franciæ, qui dominantur Francigenis.* ROBERTVS *Marcio, quem Normanni occiderunt, genuit* ROBERTVM *tyrannum, quem occidit* KAROLVS *Simplex Rex Francorum.* ROBERTVS *genuit* HVGONEM *Comitem Parisiensem.* HVGO *genuit* HVGONEM *dictum* CHAPET, *qui Regnum Francorum* VSVRPAVIT, *& posteris suis hereditariè reliquit; cùm tamen ipse non esset de stirpe* CAROLI *Magni, nec* FILII SVI. HVGO *Rex genuit* ROBERTVM *Regem.* ROBERTVS *Rex genuit* HENRICVM *Regem, &c.*

Audiant ex eodem Codice æui medij Genealogistam, qui postquam egit de Roberto I. Rege, Hugone Magno Duce, & Hugone Capeto Rege, statim subdit: *Isti non fuerunt de progenie* CAROLI *Magni, qui Regnum Francorum fraudulenter intrauerunt, & posteris suis hereditariè reliquerunt: & sic* STIRPS KAROLI *Magni cessauit regnare in Franciâ, in quâ confirmata fuerat, hereditariè, Apostolicâ auctoritate, & Francorum electione: latâ etiam sententiâ anathematis perpetui à* STEPHANO *Papâ in omnes alienigenas Regnum Francorum contra ipsam prosapiam inuasuros.*

 Nullo

Nullo igitur fundamento Bouchetus & Dominicus Adelaidem patre Ludouico Pio natam aiunt, quæ Hugonis I. Abbatis filia erat, Petronillæ soror, ac etiam matertera Lotharij Regis, sed eo sensu, quem iamiam explicabimus.

LVMEN XI.

Adelaid filia fuit Hugonis I. Abbatis, & matertera Lotharij Regis.



NE frustrà rerum veritati accuratissimè incubuisse videar, quod instituti mei est, ortus Adelaidis ab Hugone I. Abbate argumenta proferam. In Historiâ veteri Comitum Andegauensium, *Petronilla* Tertulli vxor vocatur *filia Ducis Burgundiæ, quæ Ingelgerium Tertullo peperit*. Ingelgerius ille à S. Odone Cluniacensi, Alberico, & Auctore Chronici Turonensis, dicitur NEPOS HVGONIS *Burgundiæ Ducis*; hoc est latinissimè, *filius filiæ* Hugonis I: vel certè, modò loquendi medijs sæculis vsitato (de quo egimus suprà Lumine septimo) *consobrinus* Hugonis II. Abbatis.

In Tract. de Reuers. corporis S. Martini.

Insuper ex eodem Turonensi Chronico habui, *Petronillam fuisse filiam* HVGONIS MAGNI *Burgundiæ Ducis*, qui Chesneo est Hugo I. Abbas, Caroli Magni ex Reginâ filius. Habui prætereà, *Petronillam fuisse materteram alterius* HVGONIS *Magni* (is est Hugo II.) *Abbatis S. Martini Turonensis*. Ex quibus rectè sequitur, Petronillam fuisse sororem matris Hugonis II. Abbatis, quæ ab Herrico nominatur *Adelaid*, coniux Conradi Principis; & quæ ex consequentium nexu filia erat Hugonis I. Abbatis, Burgundiæ Ducis, quemadmodum & Petronilla eius soror: id quod San-marthani & Chesneus, genealogorum coryphæi, etsi Petronillæ sororem non nominant, apertè tradunt. Deinde primordij Adelaidis aliam petiui rationem ex Burgundiæ Ducatu, qui, à Chesneo & San-marthanis, transijsse fertur ab Hugone I. Abbate in eius posteros, & plerosque ab illo Hugones dictos.

Lib. 2. de Mirac. S. Germani. Lib. 5. c. 4. Lib. 2. Burg. c. 35. 36. Lib. 3. c. 6.

Verumenimuerò illi Adelaidis origini remotam inijciunt Bouchetus & Dominicus ex Bertinianis Annalibus, ad annum DCCC. LXIV. vbi postquam narratum est, Lotharium Regem Lotharingiæ, satagentibus Regni sui Episcopis, Coloniensem Episcopatum Gunthario abstulisse; additur de eodem Rege: *Et suo tantùm consilio*, HVGONI, *Conradi, Caroli Regis auunculi, &* MATERTERÆ SVÆ *filio, tonsurâ Clerico, & ordinatione tantummodò Subdiacono, moribus autem & vitâ à fideli laico*

laicò discrepanti, donauit. Conradus, Hugonis II. Abbatis parens, reuerâ Caroli Calui Regis auunculus erat; quia frater erat Iudithæ Imperatricis, Welphi filiæ, matris Caroli Calui: sed quia Bertinianus Scriptor insinuat, matrem Hugonis II. Abbatis fuisse materteram Lotharij Regis, quo sensu id admitti debeat, paucis est explicandum.

Apud Latinos puriores, frater patris mei, est patruus meus: frater matris meæ, est auunculus meus: soror patris mei, est amita mea: soror matris meæ, est mea matertera. Sed patruelis, & consobrina patris mei, & matris meæ, in Latio veteri nomen non habent. Nihilominùs Scriptores æui medij rudioris, significatione latiori, patruum & auunculum, amitam & materteram, ad superiores illos gradus extendêre: atque id etiamnum in nonnullis Galliæ prouincijs, Burgundiâ, Britanniâ, & alibi, ex antiquâ consuetudine obseruari solet. Exempla vetera expromo.

Primum: In sermone de tumulatione SS. Martyrum Quintini & Victorici hæc leguntur: *Ipso etiam anno* [DCCC. LXXXI.] *Rex Transrhenanus* LVDOVICVS *Franciam venit, partemque Regni Lotharij à* SVIS NEPOTIBVS *extorsit*. Nepotes illi Germaniæ Regis Ludouici II. erant LVDOVICVS & CARLOMANNVS, filij Ludouici Balbi Franciæ Occiduę Regis (qui patruelis erat illius Regis Ludouici II.) de quibus Contractus anno DCCC. LXXX: *Ludouicus Rex Germaniæ in Gallias veniens, & filios Ludouici Balbi ad se venientes suscipiens, pacem cum eis fecit, totumque Lotharij Regnum sibi subiecit*. Addunt Annales Francorum Fuldenses eodem anno: *Hludouicus, mediante mense Augusto, apud VVormaciam cum suis colloquium habuit; & quosdam ex fidelibus suis, obuiàm legatis* NEPOTVM SVORVM, *ad villam Gundolfi transmisit*. Iterùm ad annum DCCC. LXXXI: *Rex cum* SVO NEPOTE *Ludouico apud villam Gundolfi congruum habuit colloquium: inde transiens, omne tempus æstiuum in Bajoariâ moratus est*. NEPOS *verò illius cum Nortmannis dimicans nobiliter triumphauit*.

Apud Chesne Tom. 2. p. 483.

Schema Consanguinitatis.

1. Ludouicus Pius Imperator.

2. Ludouicus I. Rex Germaniæ.	**2. Carolus Caluus Imperator.**
3. Ludouicus II. Rex Germaniæ, patruus Ludouici & Carlomanni.	**3. Ludouicus Balbus Rex Franciæ.**
	4. Ludouicus & Carlomannus Reges Franciæ, nepotes Ludouici II. Germaniæ Regis.

Quia

Quia ergo Reges Franciæ, Ludouicus & Carlomannus, erant nepotes Ludouici II. Germaniæ Regis, proculdubio Rex idem Ludouicus, more illius sæculi, patruus illorum erat.

In Ducibus Burg. c. 5. Probat. p. 63.

II. Andreas Chesneus ex Chronico Monasterij de Coronâ prope Engolismam scribit, *Alam, seu Alixem de Burgundiâ, filiam filiæ Mathildis Ducissæ Burgundiæ, nuncupatam fuisse neptem Margaretæ Torenensis, hoc est, consobrinam in inferiori gradu; iuxta modum loquendi in Burgundiâ vsitatum.*

Schema propinquitatis.

1. Boso Torenæ Vicecomes.

2. Raimundus I. Torenæ Vicecomes.	2. Mathildis vxor Hugonis II. Burgundiæ Ducis.
3. Margareta Torenensis, vxor Guillelmi Comitis Engolismæ, matertera Alæ.	3. Mathildis vxor Guillelmi de Montepessulano.
	4. Ala, seu Alix, Sanctimonialis montis Ebraudi, neptis Margaretæ Torenensis.

Probat. pag. cit.

III. In chartâ anni M. CC. XI. cuius summam idem Chesneus edidit, *Guillelmus Comes Bolquarquerij, & Margareta Salinensis, coniuges, Odonem III. Burgundiæ Ducem vocant auunculum suum;* quia Margareta Borbonia, mater Margaretæ Salinensis, erat amitina Odonis III. Ducis.

Schema Cognationis.

Odo II. Dux Burgundiæ.

Hugo III. Dux Burgundiæ.	Alix coniux Archembaldi de Borbonio.
Odo III. Dux Burgundiæ, auunculus Margaretæ & Guillelmi coniugum.	Margareta nupta Galchero Salinarum Domino.
	Margareta Salinensis, vxor Guillelmi Comitis Folquarquerij; nepotes Odonis III. Ducis.

Lib. 2. c. 14.

IV. Christophorus Iustellus, vir doctissimus, in Historiâ Comitum Aruerniæ recèns editâ scribit, *in chartis quibusdam antiquis, Robertum Archiepiscopum Lugdunensem ab Hugone III. Burgundiæ Duce appellari*

appellari AVVNCVLVM SVVM; *& viciſſim Hugonem à Roberto vocari* NEPOTEM SVVM, *iuxta morem in Burgundiâ obſeruatum, quo* NEPOTES SVOS *appellabant eos, qui erant ſuorum patruelium vel conſobrinarum filij, & iſti ſimiliter illos vocabant* AVVNCVLOS: *cuius rei exempla vetuſta extant, quia ille loquendi modus frequens & vulgaris erat apud antiquos.* Subiungit deinde Iuſtellus binas veteres chartas, quibus aſſertionem ſuam firmet. Prior, ex Aruernicæ domus tabulario ſic habet: ROBERTVS, *Dei gratiâ primæ Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus, &c. Noueritis, quòd cùm inter venerabilem fratrem R. Epiſcopum Lingonenſem ex vnâ parte, & nobilem virum* HVGONEM *Ducem Burgundiæ,* NEPOTEM NOSTRVM *ex alterâ, diſcordia verteretur, tamen in nos compromiſerunt, &c. Datum anno* M. CC. XXXIII. Altera, ex libro feudorum Eccleſiæ Lugdunenſis eſt eiuſmodi: HVGO *Dux Burgundiæ, vniuerſis, &c. Noueritis, quòd cùm diſcordia verteretur inter nos & venerabilem Patrem Epiſcopum Lingonenſem; tandem compromiſimus in venerabilem Patrem &* AVVNCVLVM *noſtrum* ROBERTVM, *Archiepiſcopum Lugdunenſem, &c. Actum anno Domini* M. CC. XXXIII. Probat. p. 36.

Schema propinquitatis.

1. Odo II. Dux Burgundiæ.

2. Hugo III. Dux Burgundiæ.	2. Mathildis vxor Roberti V. Comitis Aruerniæ.
3. Odo III. Dux Burgundiæ.	3. Robertus Archiepiſc. Lugdunenſis, auunculus Hugonis IV. Burgundiæ Ducis.
4. Hugo IV. Dux Burgundiæ, nepos Roberti Lugdunenſis Archiepiſcopi.	

Sciendum prætereà, à Francis Romanis *Patruum* & *Auunculum* vnico exprimi vocabulo *Oncle*; materteram item & amitam vnicâ voce *Tante*. Vnde illi voces Latinas ſine delectu vſurpare ſoliti ſunt: exempli causâ, in Chronico Nibelungi PIPINVS *Dux* dicitur, *commoto exercitu, cum* AVVNCVLO *ſuo* CHILDEBRANDO *Duce ad Burgundiam direxiſſe*. Childebrandus tamen erat Pipini patruus, Caroli Martelli, patris Pipini, frater germanus. Sic etiam apud Flodoardum, LOTHARIVS *Rex, cum matre ſuâ, &* AMITA SVA *relictâ Hugonis, obuiàm pergit in pagum Cameraceſium auunculo ſuo Brunoni.* Mater Lotharij Franciæ Regis Gerberga, ſoror erat Hadwidis, viduæ Hugo- Anno 957.

Quia ergo Reges Franciæ, Ludouicus & Carlomannus, erant nepotes Ludouici II. Germaniæ Regis, proculdubio Rex idem Ludouicus, more illius sæculi, patruus illorum erat.

In Ducibus Burg. c. 5. Probat. p. 63. II. Andreas Chesneus ex Chronico Monasterij de Coronâ prope Engolismam scribit, *Alam, seu Alixem de Burgundiâ, filiam filiæ Mathildis Ducissæ Burgundiæ, nuncupatam fuisse neptem Margaretæ Torenensis, hoc est, consobrinam in inferiori gradu; iuxta modum loquendi in Burgundiâ vsitatum.*

Schema propinquitatis.

1. Boso Torenæ Vicecomes.

2. Raimundus I. Torenæ Vicecomes.	2. Mathildis vxor Hugonis II. Burgundiæ Ducis.
3. Margareta Torenensis, vxor Guillelmi Comitis Engolismæ, matertera Alæ.	3. Mathildis vxor Guillelmi de Montepessulano.
	4. Ala, seu Alix, Sanctimonialis montis Ebraudi, neptis Margaretæ Torenensis.

Probat. pag. cit. III. In chartâ anni M. CC. XI. cuius summam idem Chesneus edidit, *Guillelmus Comes Bolquarquerij, & Margareta Salinensis, coniuges, Odonem III. Burgundiæ Ducem vocant auunculum suum;* quia Margareta Borbonia, mater Margaretæ Salinensis, erat amitina Odonis III. Ducis.

Schema Cognationis.

Odo II. Dux Burgundiæ.

Hugo III. Dux Burgundiæ.	Alix coniux Archembaldi de Borbonio.
Odo III. Dux Burgundiæ, auunculus Margaretæ & Guillelmi coniugum.	Margareta nupta Galchero Salinarum Domino.
	Margareta Salinensis, vxor Guillelmi Comitis Folquarquerij; nepotes Odonis III. Ducis.

Lib. 2. c. 14. IV. Christophorus Iustellus, vir doctissimus, in Historiâ Comitum Aruerniæ recèns editâ scribit, *in chartis quibusdam antiquis, Robertum Archiepiscopum Lugdunensem ab Hugone III. Burgundiæ Duce*

appellari

appellari AVVNCVLVM SVVM; *& vicissim Hugonem à Roberto vocari* NEPOTEM SVVM, *iuxta morem in Burgundiâ obseruatum, quo* NEPOTES SVOS *appellabant eos, qui erant suorum patruelium vel consobrinarum filij; & isti similitèr illos vocabant* AVVNCVLOS: *cuius rei exempla vetusta extant, quia ille loquendi modus frequens & vulgaris erat apud antiquos.* Subiungit deinde Iustellus binas veteres chartas, quibus assertionem suam firmet. Prior, ex Aruernicæ domus tabulario sic habet: ROBERTVS, *Dei gratiâ prima Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus, &c. Noueritis, quòd cùm inter venerabilem fratrem R. Episcopum Lingonensem ex vnâ parte, & nobilem virum* HVGONEM *Ducem Burgundiæ,* NEPOTEM NOSTRVM *ex alterâ, discordia verteretur, tamen in nos compromiserunt, &c. Datum anno* M. CC. XXXIII. Altera, ex libro feudorum Ecclesiæ Lugdunensis est eiusmodi: HVGO *Dux Burgundiæ, vniuersis, &c. Noueritis, quòd cùm discordia verteretur inter nos & venerabilem Patrem Episcopum Lingonensem; tandem compromisimus in venerabilem Patrem &* AVVNCVLVM *nostrum* ROBERTVM, *Archiepiscopum Lugdunensem, &c. Actum anno Domini* M. CC. XXXIII. Probat. p. 36.

Schema propinquitatis.

1. Odo II. Dux Burgundiæ.

2. Hugo III. Dux Burgundiæ.	2. Mathildis vxor Roberti V. Comitis Aruerniæ.
3. Odo III. Dux Burgundiæ.	3. Robertus Archiepisc. Lugdunensis, auunculus Hugonis IV. Burgundiæ Ducis.
4. Hugo IV. Dux Burgundiæ, nepos Roberti Lugdunensis Archiepiscopi.	

Sciendum prætereà, à Francis Romanis *Patruum* & *Auunculum* vnico exprimi vocabulo *Oncle*; materteram item & amitam vnicâ voce *Tante*. Vnde illi voces Latinas sine delectu vsurpare soliti sunt: exempli causâ, in Chronico Nibelungi PIPINVS *Dux* dicitur, *commoto exercitu, cum* AVVNCVLO *suo* CHILDEBRANDO *Duce ad Burgundiam direxisse*. Childebrandus tamen erat Pipini patruus, Caroli Martelli, patris Pipini, frater germanus. Sic etiam apud Flodoardum, LOTHARIVS *Rex, cum matre suâ, &* AMITA SVA *relictâ Hugonis, obuiàm pergit in pagum Cameracesium auunculo suo Brunoni*. Mater Lotharij Franciæ Regis Gerberga, soror erat Hadwidis, viduæ Hugo- Anno 957.

nis Magni Francorum Ducis; vnde Hadwidis verè erat matertera Lotharij Franciæ Regis; quæ tamen à Flodoardo nuncupatur eius amita.

Quemadmodum igitur amitam gradus proximioris Franci pro matertera accipere soliti sunt; & vicissim materteram pro amitâ; sic etiam pro longinquioris gradus amitâ, more sæculi ac promiscuæ vocum vsurpationis, Bertinianus innoxiè materteram potuit vsurpare. Vnde quia Adelaid, vt antè probauimus, filia erat Hugonis I. Abbatis, fratris Ludouici Pij, patris Lotharij Augusti; eadem quoque matertera erat Lotharij Lotharingiæ Regis, eo sensu quo iam explicauimus.

Schema Consanguinitatis.

1. Carolus Magnus Imperator.

2. Ludouicus Pius Imperator.	2. Hugo I. Abbas Dux Burgundiæ.
3. Lotharius Imperator.	3. Adelaid vxor Conradi, matertera seu amita Lotharij Lotharingiæ Regis.
4. Lotharius Rex Lotharingiæ, nepos Adelaidis.	

Adde, quòd facilè adducor vt credam, Chronici Bertiniani Auctorem vel ortu Burgundum fuisse, vel Monasterij Luxouiensis in Burgundiâ per annos plures alumnum: tum quia duo illa cœnobia magnam inter se societatem & fraternitatem habebant; tum quia Bertinianus res in Burgundiâ gestas, quas Fuldensis & Metensis non attingunt, curiosè prosequitur. Ille igitur, siue Burgundus fuerit, siue apud Burgundos educatus, Burgundico loquendi modo, propriæ vocis Latinæ defectu, MATERTERAM pro patris feminâ patruele, velut matre alterâ, more sæculi liberè potuit vsurpare.



LVMEN

LVMEN XII.

De Ludouici Pij Imperatoris propinquitate cum suis vxoribus.

DE priori Ermengarde Auctor Vitæ Ludouici Pij ad annum DCC. XCVI. sic agit: *Cum consilio suorum* HERMENGARDAM *futuram Reginam, claris ortam natalibus, vtpote filiam* INGRAMMI *Comitis, sibi sociauit.* Theganus de Gestis eiusdem Imperatoris: *Postquam ad ætatem peruenit, desponsauit sibi filiam nobilissimi Ducis* INGORAMMI, *qui erat filius fratris* RVTHGANGI [lege Chrodegangi] *sancti Pontificis. Supradicta verò virgo* IRMINGARTA *vocabatur, quam consilio & consensu patris Reginam constituit.* Cap. 4.

Stemma Ermengardæ Imperatricis, ex Thegano.

1. Carolus Martellus Princeps Francorum.

2. Pipinus Breuis Rex Francorum.	2. Landrada vxor Sigramni I. Ducis Hasbaniæ.

3. Carolus Magnus Imperator.	3. Sigiramnus II. Dux Hasbaniæ.	3. Chrodegangus Archiepisc. Metensis.

4. Ludouicus Pius Imp. vxor Ermengardis.	4. Ingorammus Dux Hasbaniæ.
	5. Ermengardis vxor Ludouici Pij, anno 796.

Si hæc otigo Ermengardis vera esset, duxisset vxorem Ludouicus Pius tertio & quarto consanguinitatis gradu sibi iunctam; quâ de affinitate quia nullæ fuisse leguntur Episcoporum querelæ, vt de posteriori; de ortu Ermengardis sunt qui audire malint Guidonem de Basochijs sic loquentem: *Consilio nequam inspirante, conspirant in* LVDOVICVM *tres eius filij,* LOTHARIVS *scilicet, & cum* LVDOVICO PIPINVS, *ex* ERMENGARDE *progeniti, nobilissimâ coniuge suâ, filiâ* NEMERICI, *sorore sancti* GVILELMI, *qui Dux Narbonensis Prouinciæ, decus erat ac tutela Christiani nominis; & terror fulmineus inimicis.* Firmat idipsum Albericus, vbi ad annum DCC. LXXIX. totum Nemerici genus sic describit: KAROLVS *Rex* [Magnus] *subiugatis Narbonensibus, in Franciam est regressus. Hanc ciuitatem Narbonam petiuit à Karolo* ARNALDVS *de Bellandâ pro filio suo* NEMERICO, *& obtinuit. Vnde in hoc loco genus Nemerici, quod fuit nominatissimum, ex parte declarandum est.*

Apud Alberic. an. 833.

In Chron.

Garrinus de Montglane, versus Tolosam, quatuor habuit filios exercitio militari nominatissimos; ARNOLDVM *de Bellandâ, qui fuit in Lombardiâ; Gerardum de Viennâ; Renerum Gebennensem, & Milonem de Apuliâ. Gerardus de Viennâ filios habuit Sanericum & Bouonem; quorum frater fuit vel nepos ille Gerardus, qui inscribitur de Novovico. De Renero Oliuerus & Alda nati sunt: de Milone Simon de Apuliâ, & quædam soror illius.* NEMERICVS *verò, Arnoldi filius, septem filios habuit; Bernardum patrem Bertranni; Bouonem de Commarceio; cuius fuerunt tres filij, Guido, Guielmus & Gerardus;* GVILELMVM AVRASICENSEM; *Arnaldum Aureliacensem; & Garinum de Ansconâ; Annerum* (aliàs Aymerum) *captiuum, patrem Rogonis Venetiani; & Guibelinum. Horum fuerunt sorores, vxor Imperatoris* LVDOVICI ERMENGARDIS, *mater Viuiani Martyris, qui sororem habuit matrem Fulconis; mater Richardi Normanni; mater Heliæ de Prouinciâ.*

Stemma Ermengardis Imperatricis, ad mentem Guidonis & Alberici.

1. Garrinus de Montglane.

2. Arnaldus de Bellandâ.

3. Nemericus Dux seu Comes Narbonensis: vxor Algana.

4. Guilelmus dictus Aurasicensis, Dux Prouinciæ Narbonensis, seu Aquitaniæ.	4. Ermengardis vxor Ludouici Pij Imperatoris.

Nemericus igitur S. Guilelmi pater, Arnaldi de Bellandâ filius fuit, non Childebrandi Ducis, vt Bouchetus somniauit. S. Guilelmus ab Alberico cognominatur *Aurasicensis*; quia (vt est in eius Actis) *à Carolo Magno Dux Aquitaniæ constitutus, Arausicam vrbem obsedit, & fugatis inuasoribus eripuit*. de illo sic rursum Albericus ad annum DCCC. II: *Comes Aurelianensis Arnais voluit regnare* [in Aquitaniâ] *& esse tutor Ludouici: sed* GVILELMVS *Aurasicensis fortiter restitit: qui* ARNAIS *fuit pater Samsonet de vnâ sorore Karoli*. Item ad annum DCCC. VI: S. GVILLELMVS, *inuictus triumphator & dominator Sarracenorum, ex Duce Aquitaniæ, relicto sæculo, factus est Monachus in desertis diœcesis Latauenensis: pater eius* THEODORICVS; *mater Algana.* Quem anteà Albericus fecerat filium *Nemerici*, nunc facit *Theodorici*, & Catellus ex antiquis MSS. *Aymerici*: quod insinuat, tria illa nomina pro vno & eodem vsurpata fuisse.

P. 139. & 243. Apud Order. lib. 6.

In Histor. Tolos.

Iam quod attinet ad Ludouici Pij vxorem alteram, antiquius Auctor

ctor Vitæ S.Friderici, Vltraiectensis Episcopi, narrat, virum sanctum, cùm Ludouici Pij Imp. matrimonium cum Iudithâ, Welphi filiâ, sibi sanguine propinquâ, sine dispensatione contractum pro sui muneris ratione liberiùs improbaret, nullisque Iudithæ lenocinijs flecti posset, eiusdem impulsu impijs percussorum manibus trucidatum anno DCCC. XXXVIII. Verba sancti Pontificis ad Ludouicum Pium ex Surio sunt ista: *Habes coniugis loco* IVDITHAM *tibi sanguine propinquam.* ex Gerbrando Leydensi ista: *Habes tibi in coniugio tuo iunctam* IVDITH *neptem tuam.* Inde portò dubitari posset, an illa Ludouicum inter & Iuditham cognatio esset ex parte Caroli Magni patris, an verò ex parte matris Hildegardis: si enim esset ex parte patris, sequeretur, Conradum Ducem, Iudithæ fratrem, eamdem ac ipsam Iuditham cum Carlouingis consanguinitatem habuisse; adeoque Capetinos Reges ex Caroli Magni prosapiâ per Conradum iampridem prodijsse. Sed clarum est, propinquitatem illam fuisse ex parte matris Ludouici Pij, de quâ sic Eginarthus, vbi de Carolo Magno: *Hildegardim, de genere Sueuorum, præcipuæ nobilitatis feminam, in matrimonium accepit.* Theganus de eodem: *Sibi iunxit nobilissimi generis Sueuorum puellam nomine* HILTEGARDAM, *quæ erat de cognatione Gothefridi Ducis Allemannorum: Gothefridus Dux genuit Houchingum: Houchingus genuit Nebi: Nebi autem genuit Immam: Imma verò peperit* HILTEGARDAM *beatissimam Reginam.* Consanguinitas, ni fallor, isthæc erat:

18. Iulij. Cap. 9.

In Vitâ Car. M.

1. Gothefridus Dux Sueuiæ.
2. Houchingus Dux Sueuiæ.
3. Nebi Dux Sueuiæ.

4. Imma vxor N. Comitis in Sueuiâ.	4. Alia filia N. vxor N. Comitis Altorffi.
5. Hildegardis vxor Caroli Magni.; 5. Geroldus & Vdalricus Comites.	5. Isenbertus Warinus, Princeps Altorffi, an. 780. ex Chron. Constâtiensi.
6. Ludouicus Pius Imp. vxor Iuditha.	6. Welphus Altorffi Comes: vxor Irmentruda Saxonica.
7. Carolus Caluus Imp.	7. Iuditha vxor Ludouici Pij.; 7. Conradus Dux Burgûdiæ.
8. Ludouicus Balbus Rex Franciæ.	8. Robertus Fortis: à quo omnes Capetini Reges.

Iudith ergo ortu Sueua, viri sui Ludouici Pij Imperatoris in gradu inferiori neptis erat; adeoque illâ viâ nec ipsa Iudith, nec frater

Ad Grimaldum. eius Conradus à stipite Caroli Magni prodibant. Walafridus Strabo de Geroldo Comite, in pugnâ contra Hunnos cæso an. DCC.XCIX.

Cui Regina soror, Ludouici chara genetrix,
HILDEGARDIS *erat, parili bonitate venusta:*
Viribus ille potens, sanctoque potentior actu:
Defuerat soboles, pariterque & defuit hæres.

Cap. 14. Monachus Sangallensis de alio Reginæ fratre: *Vdalricus frater magnæ* HILDEGARDIS, *genitricis Regum & Imperatorum*. Albericus denique ad annum DCC. LXXXIII: *Obijt Regina* HILDEGARDIS *II. Kal. Maij, Vigiliâ Ascensionis; & magno honore sepelitur apud S. Arnulphum Metis*.

LVMEN XIII.

Gerberga, Bruxellensis Comitissa, fuit filia natu prior Caroli Ducis, ab Hugone Capeto Regno & vitâ exuti.

Pag. 83. VCTOR magni Chronici Belgici ex Annalibus Lotharingicis docet, CAROLVM *Principem gloriosum genuisse duas filias*, GERBERGAM & ERMENGARDEM; *illam nupsisse Lamberto cum barbâ, Hannoniensi; istam Alberto, Namurcensi Comiti.* Bouchetus etiam nobiscum ponit *Gerbergam* vt pri-

Pag. 31. mo loco genitam. Id tamen in dubium reuocat Dominicus: *quia*, inquit, *Hermingardim natu maiorem fuisse insinuare videtur Auctor Genealogiæ beati Arnulphi, dum eam ante Gerbergam recenset.* Audi Dominice, quid ille genealogus alibi dicat: *Ludouicus Pius, filius Karoli Imperatoris, genuit* KAROLVM *Regem ac Imperatorem Francorum*, LOTHARIVM *Imperatorem, à quo dicta est Lotharingia, &* LVDOVICVM *Regem Germaniæ, fratres*. Carolus Caluus ex Ludouici Pij secundâ vxore Iudithâ natus est; alij duo ex priori Ermengarde. Non igitur apud illum genealogistam ordo scripturæ ordinem natiuitatis indi-

Vindic. Hisp. c. 4. cat. Iam ostendi quatuor argumentis (non vnico, vt obstrepit Dominicus) Gerbergam primo loco genitam fuisse; nunc nouam attexo ratiocinationem, quæ iam adductis à me fundamentis momentum minus non habet.

Dubio procul Carolus Princeps, Ludouici IV. Regis filius, in lucem editus est anno CM. LIII. sic enim Flodoardus, accuratus &

In Chron. æqualis Auctor, ad illum annum: *Gerberga Regina Lauduni geminos*

est

est enixa; quorum vnus KAROLVS (nempe Dux noster;) *alter vocatus est* HEINRICVS: *sed Heinricus mox post baptismum defunctus est.* Narrat deinde Flodoardus sub annum CM. LXV. Arnulfo Principe mortuo, Regem Lotharium terram illius ingressum; quo Laudunum repetente, *mater ipsius* GERBERGA *Regina, cum filio* KAROLO PVERO, *ibidem remansit.* Tum statim subdit: *Otho Imperator ab vrbe Româ regrediens Coloniam venit; ibique* GERBERGAM *Reginam, sororem suam, cum filijs,* LOTHARIO *Rege,* KAROLOQVE PVERO, *ad se venientem excepit.* Tunc intra pueritiæ terminos adhuc versabatur Carolus, annos natus dumtaxat duodecim. Anno deinde CM. LXVIII. Gerberga Regina, Ludouici Regis vidua, Marsanam in agro Falcoburgensi, altero à Mosæ Traiecto lapide, Remensi S. Remigij Monasterio donauit litteris, quibus inter alia testium signa legitur, S. IVVENIS MAGNÆ INDOLIS CAROLI. Tunc ad pubertatem iam peruenerat Carolus, annos natus quindecim; qui tandem anno ætatis XXIV. ab Othone II. Imp. factus est Dux Lotharingiæ Inferioris. sic enim Sigebertus anno CM. LXXVII: *Ducatus Lotharingiæ datur* KAROLO, *fratri* LOTHARII *Regis Francorum.* Pergamus: Post obitum THIEDONIS Episcopi Cameracensis (qui illo eodem anno CM. LXXVII. contigit autumnali tempore) Carolus Dux Cameracum profectus est, *vt vrbem illam suo pastore orbatam festinanter ingressus defensaret.* Ita Baldericus, qui addit: *Carolus Cameracum vrbem venit, vxoremque sibi affuturam esse mandauit.* Vnde certò colligitur, Carolum Ducem iam tum matrimonij vinculo copulatum fuisse: quin etiam ex Sigeberto Nangioque elucet, filiam eius Gerbergam iam tum fuisse Lamberto Hannoniensi desponsatam. Prioris ad eumdem annum CM. LXXVII. verba sunt hæc: *Filij Ragineri, vt pro se viriliter agerent, animati Francorum auxilio & affinitate (Raginerus quippe* HATHVIDEM *filiam Hugonis, posteà Regis; Lambertus verò* GERBERGAM, *filiam* KAROLI *Ducis, duxere vxores) in terrâ patrum suorum relocati sunt.* Nangius in præterito dicit, *duxerant vxores.* Quod indicat id iam factum anno CM. LXXVI. quo narratur à Sigeberto, *Filios Ragineri Longicolli, auxilio Francorum, & maximè* KAROLI *posteà Ducis, fretos, lacessiuisse bello Godefridum & Arnulfum Comites, qui Comitatum Montensem inuaserant:* quia nempe Raginerus & Lambertus Francis fœdere matrimoniali recèns coniuncti erant.

Miræus in Cod. donat. c. 7. & alibi.

In Chron.

In Chron. Camerac. l. 1. c. 100.

Verùm quomodo stare possit, Carolum Ducem, ætate iuniorem, idoneam nuptui filiam iam tunc habuisse, hoc opus hic labor est. Ego planè existimo, coniugem sibi sumpsisse Carolum anno ætatis suæ XXI. hoc est, anno Christi CM. LXXIV. Gerbergam verò eius filiam

filiam sequenti anno CM. LXXV. natam; cuius matrimonium cum Lamberto Comite, pacis bono, parentes celebrarunt an. CM. LXXVI. quo abductâ è cunis Gerbergâ, Lamberto tradita est, more passim apud viros Principes recepto; cuius ad maiorem fidem exempla subijcio.

Apud Meyerum an. 1027. Primum subministrat Hugo Floriacensis: BALDVINVS *Satrapa Flandrensium sobolem suam cupiens ornare prosapiâ Regali,* ROBERTVM *Regem Francorum expetijt, & FILIAM eius* [Adelam] BALDVINO *filio suo dari proposuit: à Palatinis verò* TRICLINIIS *adeptam tulit, & ad domum propriam* IN CVNIS *asportauit, eamque vsque ad annos nubiles diligenti curâ nutriuit.*

Alterum præbet Chronicon Aquicinctinum an. M. C. LXXXVIII: *Comes Namurcensis* HENRICVS *filiam suam vnicam adhuc* LACTENTEM *dat* HENRICO *Comiti Trecarum, & cum eâ, post suum decessum, omnem terræ suæ Comitatum.*

Apud Surium 19. Nou. Tertium Iacobus Montanus, de S. Elisabethâ Andreæ Regis Hungariæ filiâ: LACTENTEM *adhuc Hermannus Turingiæ maximus Princeps (quem vulgò Lantgrauium vocant)* LVDOVICO *filio* INFANTI, *quamuis vtrimque minor ætas foret, quàm quæ iure sponsalia subire posset, missâ legatione despondere procurauit: quadrimam posteà, missis iterùm legatis, afferri ad se precibus, & quidem facillimè, obtinuit; quod Regina petitioni libenter annuere visa est: id quod etiam regiâ munificentiâ declarauit: nam posteaquam legatis honorificè susceptis, benignè auditis, atque humanissimè tractatis,* FILIAM *in argenteo* CVNARVM *toreumate, mollissimo cubantem lectulo, & coràm exhibuit, & commendauit; plurima quoque munera simul obtulit.*

Pro quarto exemplo prodit MARGARETA Austriaca, MAXIMILIANI I. Imp. & MARIÆ Burgundæ filia, quæ cùm nata esset anno M. CD. LXXIX. decimâ die Ianuarij; pacis pactis apud Atrebatum initis XXIV. Decembris anni M. CD. LXXXII. desponsata fuit

Ioannes l'Esseuwe in Hist. MS. CAROLO Delphino, LVDOVICI XI. Regis filio; legatoque illius Domino de Bellojoco magnificè tradita Hesdini, die Veneris, XVI. mensis Maij anni M. CD. LXXXIII.

Quia ergo Carolus Dux, adhuc adolescens, primis sui coniugij annis anniculam GERBERGAM Lamberto Comiti sponsam dedit; nullâ filiæ alterius ERMENGARDIS ab illius temporis Historicis factâ mentione; neque filij Othonis, quem aliquæ genealogiæ inter duas sorores medium collocant; par videtur vt credamus, Ermengardem, cùm Gerberga desponsata est, nondum in lucem editam; & sic GERBERGAM prolium Caroli Ducis natu priorem fuisse; adeoque

euidens

euidens esse, per Gerbergam (quæ postremis è Caroli Magni stirpe Regibus Regnique Franciæ possessoribus proximior erat) *omnia iura, prærogatiuas, nobilitatem, splendorem, ac meritorum famam, augustissimæ & sanctissimæ Pipinorum & Caroli Magni familiæ legitimâ successione transfusa & deuoluta esse ad Duces Brabantiæ, veros illius successores & hæredes, vsque ad* PHILIPPVM IV. *Regem nostrum hodie regnantem, & alios Augustissimæ Domus* AVSTRIACÆ *Principes, qui prosapiam ducunt à tot sanctis & gloriâ illustribus viris, quorum heroica facinora celebrantur in Cælo & in Terrâ.* Christophorus Butkens l. 3. Trophæorum Brabantiæ cap. 1.

LVMEN XIV.

Ortus quatuordecim Hugonis Capeti & Regum Francorum à Carolo Magno per feminas, quos edidit Dominicus, plerique sunt commentitij; vti & alter à VVillelmo Nangio productus.


NTEQVAM Dominicus ortus illos XIV. sigillatim tabellis exprimat, præponit, *VVifredum Bituricensem Comitem, ex Odâ vxore, Aganæ matris Roberti Fortis genitorem, Regali prosapiâ ornatum dici ab Auctore Vitæ sancti Genulphi.* Sed quia clarè à nobis demonstratum est, stemma illud falsum esse, nec Robertum Fortem prodijsse à Thietberto Comite Matricensi; sequitur vt dicamus quoque, præuiam illam Dominici assertionem vanam & inutilem esse. P. 24. Lum. 1. 2. & 3.

Primum igitur ortum à Carolo Magno Dominicus deducit per Adelaidem Roberti Fortis vxorem, ac Roberti I. Regis matrem, quam Ludouici Pij filiam fuisse leuibus coniecturis nixus affirmat. Nos contrà solidè probauimus, Adelaidem illam non fuisse Roberti Fortis vxorem, sed matrem; non Ludouici Pij filiam, sed Hugonis Abbatis, Caroli Magni ex Reginâ filij. Vnde primus iste ortus iam in fumum euanescit. Lum. 10. & 11.

Ortum alterum Hugonis Capeti à Carolo Magno Dominicus trahit per Beatricem, Roberti I. Regis vxorem, quam vult fuisse filiam Heriberti I. Comitis Viromanduensis. Atqui ego contrarium asserüi, antiquioris, æqualis & conscij Flodoardi fidem præcipuè secutus, necnon & Witichindi, Sigeberti, Guidonis & Alberici. Primus, qui per lapsum aliter sensit, posterioribus alijs erroris ansam præbuit; Gemmeticensi præsertim, cuius genuinus liber septimus & postremus definit anno M. LXXXVIII. Diem verò suum obijt Flodoardus anno CM. LXVI. Vindic. Hispan. c. 2.

In Roberto I. Pag. 9. Sed ferre non valet Bouchetus, Robertum I. Regem iunxisse sibi Beatricem Alaydis patruelis suæ filiam; ipse tamen Ansbertum Ducem matrimonij vinculo ligat cum Blitilde consobrinâ suâ. Commodis suis omnia Bouchetus metitur, vbique contrarius alienis.

Tertiam Regum originem subiungit Dominicus per Adelaidem Hugonis Capeti vxorem, Roberti II. Regis matrem. Sed Helgaldus Floriacensis (qui Vitam Regis Roberti II. quem ipse viderat, accuratè concinnauit) matris eius originem deducit *ex partibus Ausoniæ* (id est *Italiæ*, auctore Festo) *sicuti ipse Rex Robertus eius filius suis sanctis & humillimis asserebat verbis*. Dominicus autem ex anonymis posterioris æui illam facit filiam Pictauorum Comitis, de progenie Caroli Magni Imperatoris: cuius affinitatis Ioannes Besly Picto in accuratâ Comitum Pictauiæ tabulâ ne verbo quidem meminit. Certè Helgaldo æquali, & Roberti Regis verbis de matris suæ ortu, adhærere iustius est, quàm alienis sequioris æui testimonijs.

Quartus Regum ortus à Carolo Magno per Ermengardim, Caroli Lotharingiæ Ducis filiam (cuius Stemma ex nobis Dominicus edidit) verissimus est; & per illum primus Capetinorum Regum Ludouicus VIII. puri sanguinis Carolini particeps fuit exeunte sæculo duodecimo. Ad id verò quod obtrudit Dominicus, Ermengardis genus ad Hispanos tunc dumtaxat peruenisse, cùm Maria, Caroli Burgundiæ Ducis filia, Maximiliano I. Imp. matrimonio iuncta fuit; respondeo, Alphonsum VII. Hispaniæ Imperatorem, à quo Reges nostri prosapiam ducunt, Caroli Magni sanguine satum fuisse, integro sæculo priùs quàm Ludouicus VIII. Franciæ Rex illo delibutus esset.

Quod attinet ad quintum & sextum ortum, quos Dominicus per Mathildem & Albradam, Ludouici IV. filias, retrogradus deducit; etsi non reperiam à Mathilde Reges nostros originem traxisse; illos tamen ab Albradâ propagatos inuenio per Ermentrudem eius filiam, vxorem Othonis Willelmi Burgundiæ Comitis, abauiam Regis Hispaniæ Alphonsi VII. qui sic Magni Caroli sanguinem in Reges nostros transfudit, duobus propè sæculis antequam Ludouicus Hutinus Franciæ Rex à Mathilde oriretur.

Nunc iterùm permixto temporum Stemmatumque ordine Dominicus, vt Lectoris eruditi mentem captiosus interturbet, aduerso nauigans amne ascendit ad filiam Ludouici Pij *Giselam* seu *Gislam*, & per illam VII. VIII. & IX. Regum suorum ortum instituit; qui propterea quòd in Othonem Willelmum coincidunt omnes, & ab illo diffunduntur, nihil inde commodi sortitur aduersarius; cùm ab illo Comite non vnicâ serie Reges nostri etiam sic oriantur.

Ortus

Ortus Regum Hispaniæ ab Othone VVillelmo Comite Burgundiæ.

1. Otho Willelmus, Gislæ Ludouici Pij filiæ pronepos, maritus Ermentrudis Albradâ genitæ.

2. Rainaldus Comes Burgundiæ: vxor Adelisa, Richardi Ducis Normanniæ filia.

3. Willelmus Comes Viennæ & Matisconis: vxor Gertrudis Limburgica.	3. Sibilla vxor Henrici, filij Roberti I. Burgundiæ Ducis.
4. Raimundus Comes Galliciæ, maritus Vrracæ Hispanicæ.	4. Odo I. Dux Burgundiæ: vxor Mathildis, filia Guillelmi Comitis Burgundiæ.
5. Alphonsus VII. Rex & Imperator Hispaniæ: à quo Reges nostri omnes.	5. Hugo II. Dux Burgundiæ: à quo longo ordine Austriaci Hispaniæ Reges.

Si confetat hoc Stemma nostrum cum suis tribus tabellis Dominicus, haud dubiè agnoscet, Gislæ sanguinem priùs in Hispanos Reges quàm in Francos transfusum. Nec propterea ipsi concedo, Ludouicum VII. Franciæ Regem ductu legitimo à Gislâ oriundum esse; quandoquidem constet, sanguinem Caroli Magni sincerum cum Capetino antè permistum non fuisse, quàm in Ludouico VIII. Rege.

Ortu X. XI. & XII. Dominicus in eum imprudens labyrinthum ingreditur, vnde ne Ariadnæo quidem filo se extricet. In primis enim Adelaidem, Conradi Ducis vxorem, ex Ludouici Pij lumbis educit: quod iam confutaui ad ortum primum. Petronillam deinde, quæ Adelaidæ soror erat (fretus consuetis Boucheti ephoris) eiusdem Adelaidæ filiam statuit. Audi seriò, Bouchete: Petronilla in Chronicis Turonensi & Andegauensi disertè scribitur *filia Hugonis Burgundiæ Ducis*, qui Adelaidæ etiam parens erat: cur ergo *sororem* legi debere contendis, non *filiam*? Tu culpæ falsò me insimulasti pro vnius elementi mutatione in Chronico Diuionensi; & in duobus alijs integram vocem ausu temerario vis aboleri: videsis quâ fronte ipse tibi indulgeas, vt quam alijs negas veniam, quodque in alijs non probas, tibi laudi futurum putes. Petronillam prætereà (quam Canonicus Turonensis doctè & intelligenter vocat *materteram Hugonis, Abbatis S. Martini Turonensis*, hoc est secundi, Conrado & Adelaide nati)

 nullâ

nullâ auctoritate facis eiusdem Hugonis Abbatis sororem, & Hugonis Magni Ducis, Roberto I. Rege procreati, amitam. Ingelgerium denique Petronillæ filium, sub Carolo Caluo natum, nequidquam reclamante temporis ordine, ais fuisse consobrinum Hugonis Magni Franciæ Ducis, Hugonis Capeti Regis patris. Age verò implicatam erroribus tabellam tuam repete, & confer cum hac nostrâ, quæ temporum notis per gradus & ætates ad amussim instructa est.

1. Hugo I. Abbas Dux Burgundiæ, nothus Caroli Magni, occisus anno 844.

2. Adelaid vxor Conradi, qui obijt anno 862.			2. Petronilla vxor Tertulli, 860.	
3. Robertus Fortis occisus an. 865.	Hugo II. Abbas Dux Burgundiæ, ob. 887.	Welphus Abbas sanctæ Columbæ, ob. 881.	Conradus Comes Par. ob. 881.	Ingelgerius Andegauorum Comes, 887.
4. Odo Rex Franciæ, ob. 898.	Robertus I. Rex Franciæ, obijt 922.		4. Rudolphus I. Rex Burg. ob. anno 912.	
5. Hugo Magnus, Dux Franciæ, ob. an. 956.		5. Rudolphus II. Rex Burgundiæ, obijt 937.		
6. Hugo Capetus Rex Franciæ, anno 987. obijt 998.		6. Conradus Rex Burgundiæ, ob. 994.		

Iam expende, quo pacto ex istis characteribus certissimis rectè colligi possit, Clarissimos viros, Andream Chesneum & San-marthanos Fratres (vt tu dicis) hallucinatos esse: Hugonem Magnum Franciæ Ducem, Hugonis Capeti Regis patrem, Petronillæ fuisse nepotem ex fratre Roberto I. Rege: Ingelgerium denique Petronillæ filium, Hugonis Magni Ducis fuisse consobrinum. Hiatus temporum in tuo Stemmate Metachronismos tuos apertè produnt. Poteras hoc te errore subleuare, atque adeò Dominicum, qui tuæ sententiæ accessit, si exquisitiori veritatis indagatione plus in rem iudicij contulisses.

Supersunt bini Regum ortus, per Pipinum Caroli Magni filium à Dominico deducti; qui, propterea quòd in decimum Adelaidis ortum, quem falsum esse ostendimus, inseruntur, vt ad Reges perueniant, eodem quo ille modo vitiati sunt.

Addo pro corollario, malè assertis à Dominico originibus, hanc
Lib. 8. Ration. c. 14. Dionysij Petauij, omni doctrinâ antiquis proximi, assertionem: *Nihil cum Caroli Stemmate commune Capetus habuit.* Subiungo deinde ex alijs hæc momenta rationum. Willelmus Nangius & Edmundus Dinterus

rus apertè tradunt; *ex coniugio Philippi Augusti Regis cum* ISABELLA *Hannoniâ natum Regem* LVDOVICVM VIII. *in quo rediit & reductum est Regnum Francorum ad* PROGENIEM CAROLI *Magni,de quâ Ludouicus ille Rex ex parte matris noscebatur descendisse.* Idipsum firmant recentiores: Robertus Guaguinus de Ludouico octauo: *Hunc tradunt Auctores, Caroli Magni genus in Reges Francos per matris cognationem retulisse.* Nicolaus Gillius de Ermengarde Namurci Comitissâ: *Ex illâ in Franciâ renouata fuit stirps Caroli Magni.* Idem de Ludouico VIII: *In hoc Rege rediit linea Caroli Magni, quæ per septem generationes defecerat, à tempore Hugonis Capeti, filii Hugonis Magni, Comitis Parisiensis.* Franciscus Belleforestius de Isabellâ Hannoniâ: *Per illam* LVDOVICVS VIII. *&* S. LVDOVICVS *dicuntur orti esse à sanguine Caroli Magni.* Quarè si pleraque à Dominico producta Stemmata vera essent, priores Capetini Reges iustum per illa ortum à Carolo Magno dudum traxissent; neque in Ludouico VIII. per matrem Isabellam Regnum puto alueo rediisset ad progeniem Caroli Magni, cùm ipse Ludouicus VIII. per feminas pleraśque ab Imperatore magno legitimis nuptiis dudum processisset.

Vide Vindic. Hisp. c. 4.

Lib. 7.

Tomo 1. lib. 3. c. 59.

Ceterùm etsi contra Willelmum Nangium perspicuè probaui, vxorem Henrici I. Cæsaris MATHILDEM non fuisse filiam Ludouici iunioris Imperatoris; adeoque Hugonem Capetum ex illâ lineâ à Carolo Magno non processisse; ne quispiam in posterum scrupulus supersit, producam hocce capite (quod refellendis Stemmatum commentis totum dicatum est) excerpta quædam ex Vitâ MS. eiusdem sanctæ & gloriosæ Reginæ MATHILDIS, quæ R. D. Ægidio Gelenio accepta mecum ferent litterati; sunt autem eiusmodi:

Vindic. Hispan. c. 2.

Ex præfatione: HENRICO *Regi* (sancto & secundo eius nominis Imperatori) *summæ venerationis dignissimo. Explanator huius operis vobis exoptat incrementa spiritualium Charismatum, augmenta virtutum, & prosperitatem temporalium rerum: Cùm multis sit notum, Vos scientiâ disciplinaque artium diuersarum præditum plurima perlegisse volumina, sanctorum Vitam Patrum in se continentia; quorum exemplis vestra venerabilis conuersatio benè potest informari, & ad altiora prouehi; non minimæ est virtutis Vos pia vestrorum inquirere facta præcedentium propinquorum, & maximè vestræ proauiæ* MATHILDIS *illustris Reginæ; cuius vita lucida meritò est imitanda; & cuius virtus tantò est luculentior, quantò sexus fragilior.*

Ex capite primo: *Temporibus* CVNRADI *Regis Francorum gloriosi extitit in partibus Germaniæ Dux quidam* OTTO *nomine, honestate morum perspicuus, & in decernendis rebus prouidus, clarus nobilitate generis,*

 &

& famosus bellorum triumphis; cui HACTVWIC *matrona venerabilis coniugali copulabatur vinculo, quibus duo gignebantur filij Herili formâ decorati; & ipsos summâ nutriebant diligentiâ, vti exigebat nobilitatis honorificentia. Maior natu vocabatur* TANCMARVS, *& alter* HENRICVS. *Hic quamuis esset iunior, probitate tamen morum elucebat altior, & ab annis puerilibus intendebat bonis operibus, sequens humilitatis vestigia, quibus certissimè peruenitur ad culmina virtutum. Omnes, cum quibus erat, haud minùs quàm seipsum diligebat: nulli se prætulit, aut per vim aliquem oppressit. Puer verò miræ claritatis, ac amandæ indolis, cùm attigisset florentes annos iuuentutis, cœperunt inter se tractare parentes, vt illi desponsarent virginem genere sibi non inferiorem, & cuius mos liberalis præclaro iuueni esset persimilis. Interim illorum peruenit ad aures, in cœnobio Heriuordniensi egregiam hospitare puellam, nomine* MATHILDAM, *genere nobilem, specie exoptabilem, & moribus illustrem, vt cum auiâ suâ Abbatissâ disceret psalmodialem librum, & industrias operum. Hæc etiam virgo traxit egregium genus à venerabili viro* WITIKINO, *qui in Occidentali regione Dux fuerat gloriosus, opibus pollens, & dignitatis honore multos præcellens: proh dolor! sed errore captus, adorabat idola manu artificum facta.*

Ex capite secundo: *A posteris ergo eiusdem* WITIKINI *egregij Ducis processit stirps beatissimæ* MATHILDIS, *cuius pater nomine* THIETERICVS *in Occidentali regione Comes fuerat gloriosus, & venerabilem* RENIHILDAM, *Danorum Frisonumque germine procreatam, moribus probabilem sibimet adiunxerat coniugem, quæ meruit dono Dei gignere Infantem, &c.*

Hanc ergo litem pro tuâ ingenij sagacitate & iudicij soliditate velim te modò arbitrari, Dominice; in quamcumque enim partem te conuerteris, numquam ostendes, Hugonem Capetum, aut successores eius, ante Ludouicum VIII. vel à stipite vel à ramis Carolinæ stirpis successione legitimâ ortos esse. Quâ in re mihi persuadeo quæstionis nostræ verti cardinem; quòd idipsum, tamquam publicæ rei caput & fundamentum, Iacobus Cassanus, belli hodierni præcentor, pridem proposuerit. Itaque visum mihi, eo diruto, suauiùs arceri bellum posse, quàm PACEM tantâ insontium strage & sanguine tam lentè reparari.

AD

AD VINDICIAS

HISPANICAS

LVMINA NOVA

SALICA.

INDEX LVMINVM SALICORVM.



AD VINDICIAS HISPANICAS LVMINA NOVA SALICA.

LVMEN I.

Franci Orientales, dicti Salij, Legem Salicam condidêre citra, non vltra Rhenum.



QVOD iste titulus præfert fusè probaui in Vindicijs Hispanicis. Contrà Dominicus contendit, Salios leges suas vltra Rhenum condidisse: Primò, quia Francos, transmisso Rheno, citeriorem Rheni ripam incolentes, id *Saliorum* nomen ab vlteriori parte attulisse indicat *Notitia Imperij*, dum cohortes inter & legiones numerat *Salios Gallicanos*, vt ab alijs Transrhenanis differant, qui simplici *Saliorum* appellatione designabantur. Hæc satis probè teneo, quæ iam antè in V. C. Isaaci Pontani Commentatijs legeram, & frustrà, suppresso Auctoris nomine, huc contorquet Dominicus. Vtriusque enim Imperij Notitia (vltra tempora Honorij Arcadijque scripta) sub Magistro peditum in Occidente recenset *Salios* simpliciter; ac deinde *Salios Gallicanos*; mox sub Magistro peditum intra Gallias, *Salios seniores*; tum intra Hispanias, *Salios iuniores Gallicanos*. Verùm hæc nominatim non distinguunt *Salios Transrhenanos* (qui nulli vmquam fuerunt) à *Salijs Gallicanis*; quin potiùs istos à *Salijs Liguriæ populis*, quorum meminit Plinius; qui, propterea quòd *Francis Salijs* antiquiores erant, vel quia ante illos in militiæ ordinem relati, *Salij* simpliciter, & *Salij seniores* nuncupati sunt, ad *nouorum Saliorum* distinctionem, qui in Belgicâ primâ citra Rhenum appellationem sumpserant; vnde *Gallicani* sunt cognominati. Ad quæ attendendum, sub eodem peditum Magistro varios populos militiam exercuisse, & ex Italiâ *Latinos*, *Sabinos*, & *Cortoriacenses Hetruscos*; vt mirum non sit, *Ligures Salios* (Plinij æuo celebres, quo nondum alibi auditum *Saliorum* nomen) vt *seniores* & antiquiores in castris Romanorum stipendia tunc percepisse. Hæc si Dominico minùs placeant;

Cap. 5. Pag. 57.

Origin. Francic. lib. 2. c. 8.

Lib. 3. cap. 17.

ceant; neque eius ratio nos obstringit, vt credamus *Salios seniores*, in Notitiâ memoratos, habitatione trans Rhenum Germanos fuisse; cùm nullus Auctor antiquus id clarè tradat; quinimò Ammianus perspicuè insinuet, *Salios* tempore Iuliani Imp. sedes suas citra Rhenum habuisse; cui non contradicit Iulianus Imp. vbi μοῖραν τῶν Σαλίων vocat populos, quos ad *Toxiandriam locum* dedititios exceperat, ad partis alterius distinctionem, quæ ad Saliam & Mosellam incolebat, Mosam inter & Rhenum.

Lib. 17.

Epist. ad Athen.

Pergit Dominicus, & iterùm in Pontani sententiâ versatur, vbi Saliorum partem consedisse vltra Rhenum ait indicari à Claudiano, dum Stiliconem Germanos, res nouas in Romanum Imperium molientes, adortum sic commendat:

Carm. 1. de Laud. Stilic.

——Tot prælia sanguine nullo
Perficis; & Lunâ nuper crescente profectus,
Antè redis quàm plena fuit: RHENVMQVE *minacem*
CORNIBVS INFRACTIS *adeò mitescere cogis,*
Vt SALIVS *iam iura colat, flexosque* SICAMBRI
In falcem curuent gladios; GEMINASQVE *viator*
Cùm videat RIPAS, *quæ sit* ROMANA *requirat:*
Vt iam TRANS FLVVIVM, *non indignante Cayco,*
Pascat BELGA *pecus, mediumque ingressa per Albim*
GALLICA FRANCORVM *montes armenta pererrent.*

8. Æneid. Tacitus Ann. 2.

Rhenus fluuius, Virgilio *Bicornis* dictus, *apud principium agri Batauî velut in duos amnes diuiditur; ad Gallicam ripam latior & placidior affluens, verso cognomento Vahalis dictus.* Vtrumque autem Rheni amnem Stilico petruperat eius *cornibus infractis*, vt canit Claudianus: sic vt (quemadmodum Constantini Magni iam æuo) *araret illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, & toto greges flumine bicorni versarentur.* Ita vt à Gallicâ ripâ, quæ descendenti sinistra erat, *Salius rura coleret*; à dextrâ *Sicamber* messem faceret, Salioque ad Vahalim confidenti adesset quando vellet: quod commercium alio postmodum tempore Apollinaris exoptauit his versibus:

Nazar. in Paneg.

Carm. 13.

Sic RIPÆ DVPLICIS *tumore fracto*
Detonsus VAHALIM *bibat* SICAMBER.

Certè si ad Belgicam Rheni oram considebant Sicambri, frustrà potus Vahalis ipsis expetebatur. Ad illam ergo Vahalis ripam incolebant Belgæ Salij, qui Stiliconis beneficio non tantùm pecora cis Rhenum quietè pascebant, sed etiam securè traiectâ Rheni alterâ ripâ, per montana Francorum, qui vltra Rhenum incolebant alijs nominibus, armenta procul abigebant.

Verùm

Verùm opponi poteſt, *Sicambros* (Gentem Tranſrhenanam) *ab Auguſto traductos in Galliam, atque in proximis Rheni agris collocatos:* quod non nego; ſed cum Cluuerio ex Taciti verbis colligo, veteri Gentis nomine, quod in Germaniâ Sicambri habuerant, citra Rhenum penitus extincto, nouum ipſis nomen impoſitum, quo *Gugerni* vocarentur; & ſic ijs qui trans Rhenum adhuc habitabant priſcam appellationem remanſiſſe. Non enim in Belgicam traducti ab Auguſto Sicambri omnes; ſed *Sicambrorum exigua reſtabat portio*, inquit Strabo. Vel certè *poſteriores Romani* (ait Cluuerius) *quia clariſſimum apud eos erat* SICAMBRORVM *nomen, atque ſolum trans Rhenum, tam* VSIPIOS, *quàm* TENCTEROS *in ſedes illorum tranſgreſſos, appellauere* SICAMBROS. Ita Claudianus loco iam laudato; ſed & alio etiam, vbi de Stilicone rurſum: Sueton. in Aug. c. 21. Lib. 2. c. 18. Lib. 12. Lib. 7. Lib. 3. c. 9.

—— Hoſtiles (tanta eſt fiducia) ripas
Incomitatus adit: totum properare per amnem
Attonitos REGES *humili ceruice videres.*
Ante Ducem noſtrum flauam ſparſere SICAMBRI
Cæſariem, pauidòque orantes murmure FRANCI
Procubuere ſolo. ——

De 4. Conſul. Honorij.

Quia Stilico per Germaniam ad Rhenum iter inſtituerat, Sicambros ſupplices priùs habuit à parte Germanici limitis, quàm Francos Salios à parte Gallici. Eodem ſenſu *Clodoueus* & *Charibertus* Reges à S. Remigio & Fortunato dicti ſunt *Sicambri*; quia genus ducebant à Gente Francorum Tranſrhenanâ. Longè igitur aberrat Dominicus à mente Claudiani, qui *Salium* in Belgis conſidentem, & per intermedium Rhenum *Sicambro* oppoſitum, ſatis indicat. Apud Gregor. Turon. lib. 2. c. 31. Lib. 6. c. 4.

Tertium Dominici argumentum vel idcircò inualidum eſt, quia petitum ab Auctore incerto, quem ipſemet *non ſemper erroris expertem* fatetur: is eſt anonymus quidam fabulator; qui *Proceres Francorum leges ſuas in villabus vltrà Rhenum tractaſſe ſcribit*; additque inſuper, *Clodionem miſiſſe exploratores de* DISBARGO, *Caſtello* TORINGIORVM, *vſque ad vrbem* CAMERACVM; *ipſumque poſteà cum grandi exercitu Rhenum tranſiuiſſe, &* CARBONARIA *ſyluâ ingreſſum, vrbem Tornacenſem obtinuiſſe.* Vnde infert Dominicus, leges ſub Pharamundo Francis datas, vltra Rhenum conſidentibus ſcriptas fuiſſe; quia ante Clodionem Imperium Francorum citra Rhenum ſtabilitum non erat; iſque primus ſyluam Carbonariam penetrauerat: quod poſtremum falſum eſſe inſinuat Gregorius Turonenſis, vbi ait primâ in Gallias irruptione *multos Francorum à Romanis apud Carbonariam peremptos fuiſſe.* Pag. 46. Lib. 2. c. 9.

Præterea *Dispargum* Castrum, quod ille anonymus vltra Rhenum collocat, citra Rhenum situm fuisse colligitur ex eodem Turonensi, vbi sic de Francis: *Tradunt multi eos de Pannoniâ fuisse digressos, & primùm quidem littora Rheni amnis incoluisse; dehinc transacto Rheno Toringiam transmeasse.* Tum paucis interiectis: *Ferunt etiam* CHLOGIONEM, *vtilem ac nobilissimum in gente suâ Francorum Regem fuisse, qui apud* DISPARGVM *Castrum habitabat, quod est in termino* TORINGORVM. Mox subijcit: *Chlogio autem, missis exploratoribus ad vrbem Cameracum, perlustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, ciuitatem apprehendit; in quâ paucum tempus residens, vsq; ad Sommam fluuium occupauit.* Ex quibus manifestè apparet, Clodionem in Disbargo Castro domicilium habuisse citra Rhenum; adeoque *Disbargum* non esse *Deusonis Castrum*, vulgò Duisburg/ ex alterâ parte Rheni: quod ne quidem est in termino Turingorum quos Sala rigat. Deinde, quia Clodio exploratores misit à Disbargo Cameracum, quos mox secutus ciuitatem cepit, absque dubio Disbargum vicinior Duisburgo locus erat; neque in termino *Turingorum*, sed *Tungrorum*, quos Franci transito Rheno transmeauerant, vt vult Gregorius: cuius ideircò contextui sagacissimus Chesneus ad marginem adiecit *Tungrorum* pro *Turingorum*. Quam lectionem ex MS. veteri G. Morelius firmat in Notis; & sequitur Nic. Vignerius, ac San-marthani Fratres. Occurrit autem in Germaniâ secundâ Diest Castrum; quod quia in colle situm erat, rectè dici poterat *Disberga*, vel *Disbargum*; non secùs ac *Duis* vltra Rhenum cum adiectione dictum est *Duisburgum*; Thenæ, *Tillemont*: quod cum *Thenobergâ* idem sonat.

Loc. cit.

Libro de Origin. Franc. Lib. 2. c. 1.

Præterea Castrum Diest etiamnum situm est *in pago Hasbaniensi siue Diestiensi*, vt loquitur Hotbertus in chartâ anni DCCC. XXXVIII. apud Miræum; & sic *in termino Tungrorum*: quorum oppidum Tongre (Antonino *Aduaga Tungrorum*) in eodem Hasbaniensi pago adhuc exstat, non procul à Toxandris; apud quos sedes suas Franci diutum fixerant. Quia ergò ante Pharamundi tempora Franci Rhenum iam transierant, & Carbonariam penetrarant; & quia Clodio Rex, traiecto Rheno, Disbargi apud Tungros habitabat; malè ex anonymo Dominicus asserit, Salicas Leges sub Pharamundo vltra Rhenum latas fuisse. Quamuis enim Scriptor ille nugax fuerit Cisrhenanus, ignarum Geographiæ manifestè se ostendit.

Donat. Belgic. lib. 1. c. 10. In Itiner.

Quarta & postrema Dominici ratio est; quia, inquit, *Salicam Legem per Proceres gentis Francorum in tribus villis Germaniæ vltra Rhenum sitis dictatam, fidem facit Prologus ipsius Legis, & vetus Chronicum libro Legis Salicæ à Pithœo præfixum.* Certè Prologus ille non exstat in antiquissimis

quissimis Fuldensibus MSS. ex quibus Heroldus Salicas Leges in lucem protulit: vnde à recentiore quopiam adiectum fuisse existimandum est; qui, cùm leges illas in superiori Germaniâ exscriberet, consultò dixit in Prologo, *illas in villis, quæ vltra Rhenum sunt, Salehaim, Bodohaim & VVidohaim decretas fuisse.* Quæ tria loca, & alia *Malbergia* in libro Legum Salicarum memorata, cùm in Campaniâ Brabanticâ citra Rhenum adhuc supersint, sententiæ nostræ adstipulantur verba Transrhenani prolocutoris; vti etiam Thuani Chronici Auctor, qui vel trans Rhenum sua scripsit, vel bonâ fide ex amanuensi Transrhenano illa mutuatus est.

LVMEN II.

Gemina non fuit Salica lex, sed vnica: eâ Franci Occidentales quandoque vsi, non tamen quoad marium, exclusâ muliebri lineâ, successionem.



DOMINICVS, qui modis omnibus agit vt veritati tenebras offundat, contendit Legem Salicam duplicem fuisse; alteram vltra Rhenum sub Phatamundo latam, alteram citra Rhenum à Clodoueo Rege. Verùm id perperàm obseruari nemo antiquitatis peritus inficiabitur. Lex enim Salica, quam à Basilio Heroldo genuinam habemus, nihil continet quod ad Christianam Religionem pertineat: nam quæ in illâ memorantur *Basilicæ*, ædificia erant quæ Gentiles super concameratis Magnatum sepulchris erigebant. Vnius rudera quadrato lapide conspexi in agris Antonianis ad Sealdim prope Tornacum; & in Brabantiâ, altero à Bruxellâ milliari, in vico qui vulgò Zauelton/ tumulus eiusmodi ante annos aliquot apertùs fuit, in quo inuenta est funetaria supellex, sed quæ Romanam antiquitatem non redolebat. Vnde existimo sepulchra fuisse Procerum Salicorum, cùm falsis Dijs adhuc addicti essent. Quæ in Pithœi & Lindenbrogij editione leguntur *de Ecclesiâ sanctificatâ, & de Clericorum homicidijs*, absunt ab Heroldiano codice, qui scriptus fuit vno tenore & vno stylo, atque ex antiquissimis Fuldensibus MSS. fideliter editus Basileæ anno M. D. LVII. Prologi & Epilogi, qui pro describentium ingenijs adiecti sunt, necnon & bifaria Legis diuisio, quam marte proprio Goldastus nuper instituit, nullius sunt momenti. In summâ, Legibus Salicis antiquioribus, quas Heroldus edidit, nihil continetur quod prohibeat totas sub Pharamundo cis Rhenum latas fuisse, priusquam Franci Galliarum intima perua-

Titulo 58. & 71.

Tit. 58.

perυaderent: nec in ijs quidquam reperitur, quod à Clodoueo Christiano sanςitas solidè persuadeat.

In Vitâ Car. M. In Franco-Galliâ, cap. 8. Cl. Clemens paraenesi ad calcem Musaei. Lib. 1. de Feudis, tit. 1.

Sed vrget Dominicus ex Eginartho; *Francorum duas fuisse leges plurimis in locis valdè diuersas*. at quænam illæ fuerint Franciscus Hotomanus explicat: *Quemadmodum duo Francorum Regna* [Orientale & Occidentale] *ita duæ Francorum Leges*, SALICA, *quæ ad* SALIOS; *Francica, quæ ad Franco-Gallos pertinebat*. Iacobus Cuiacius (cuius eò magis memoriam veneror, quòd patruum habuerim Claudium Chifletium I. C. ipsius ore tantoperè laudatum) eodem modo sensit, dum *Salicam Legem Orientalibus tribuit, Francicam Occidentalibus*: quod illustrat vir magnus exemplo *Conradi*, idcircò *Salici* nuncupati, *quòd Dux esset Francorum Orientalium, qui* SALII *dicti sunt*; non illorum, qui trans Rhenum alia nomina sortiebantur. Nec ille à vero deflexit, dum alio loco *Legem Salicam* confudit cum *Lege Francorum*; cùm harum Legum promiscuæ essent appellationes, quia vtraq; Francorum erat; sed vna Orientalium citra Rhenum, altera Occidentalium. Addit Cuiacius, Salicam Legem, quæ feminas ab hæreditate arcet, Francis tandem displicuisse, exceptâ Regni successione. Atque *in eamdem sententiam* (ait Franc. Hotomanus) *Franco-Galli omnes non modò Historici, verumetiam Iurisconsulti & Pragmatici, vsque ad hoc tempus scripserunt, teste Paponio; vt iam* ERROR *propemodum ius fecisse videatur*. Audi, Dominice, quid prætereà subiungat idem Franc. Hotomanus: *Sed longè* MAIORES *ex eodem fonte nati sunt* ERRORES. *Primùm, quòd illis Auctoribus creditum est, Salicam Legem ad ius publicum Ciuitatis atque Imperij & hæreditariæ Regni successionis pertinuisse: nam illius Legis tabulæ non multis abhinc annis repertæ & in lucem editæ sunt; ex quarum inscriptione cognoscitur, eas primùm circiter ætatem Pharamundi Regis scriptas editasque fuisse: deinde omnia, & Salicæ Legis, & Francicæ capita, non de publico Regni & Ciuitatis iure, sed de priuato tantùm constituta fuisse*. Hotomanus alter Antonius in Tractatu de Lege Salicâ clarè affirmat, *Ius succedendi ad Coronam Franciæ non comprehendi verbis illis, quæ reperiuntur in Legibus Salicis*: DE TERRA VERO SALICA NVLLA PORTIO HÆREDITATIS IN MVLIEREM CADIT: *quia in omnibus illis Legibus non agitur de successione Regni Franciæ, sed solùm de præstitutâ viuendi normâ, quæ inter Francos subditos obseruari debebat*.

Lib. 8. Obseruat. cap 14.

Loc. cit.

Lib. 4. Arrest. c. 4.

Parisijs an. 1595. & 1616.

Hotomanorum sententiam firmiter amplectitur Lud. Canterellus Faber, Regi Francorum à Consilijs, in Dissertatione Historicâ, quam recèns edidit aduersus Antagonistas meos Bouchetum & Dominicum. Eius doctrinæ summa est: *Necdum detectam ab Assertore Gallico differentiam, quæ est inter* SALICAM LEGEM *& antiquam Francorum consue-*

An. 1647.

In Præf. pag. 15. & seqq.

consuetudinem: istâ firmatam fuisse Franciæ Monarchiæ formam essentialem, quæ coronæ successionem masculinam reddidit cum perpetuâ feminarum exclusione. Quando linea masculina deficit, Francos, ex illo more, recurrere ad electionem; vti contigit dum Pipinus & Hugo Capetus coronam adepti sunt. LEGEM SALICAM *esse decretorum congeriem pro normâ viuendi Francis præscriptâ: illam non agere de iure publico, & multò minùs de corona successione, sed de priuatorum iuribus dumtaxat. Francos, ab annis solummodò centum quinquaginta, illâ nouitate ductos, nullo veri vel falsi, boni vel mali respectu, communi voce morem illum nomine* SALICÆ LEGIS *donasse, tacitè abrogatâ antiquæ Francorum consuetudinis appellatione; quâ solâ masculinitas firmata est, non autem Salicâ Lege.* Magnam debeo gratiam doctissimo Fabro, quòd ad meam mentem, & ad veritatis normam, à Regno Franciæ Occidentalis *Salicam Legem* pro coronæ successione, in ipsâ Regis sui vrbe Regiâ, palàm & constanter eliminarit. Verùm quod attinet ad MOREM, quem in locum SALICÆ LEGIS conatur introducere, ipsi incumbit probatio; quam, meo iudicio, consequi non sit potis, qui, semotis Stemmatum commentis, exempla à me iam adducta, & posthac firmanda expendet, quæ morem non minùs iugulant, quàm ipsammet Salicam Legem. In discur. su, p. 213.

Vides igitur, Dominice, ex Francorum sententiâ errorem esse, Salicâ Lege vti in Regni successione. Id autem *in omni hæreditate impiam consuetudinem* vocat Marculphus vester: hanc enim ille formulam adfert, & ex illo Cuiacius, quam tu prætermisisti: *Galæ dulcissimæ filiæ meæ, L. Titius S. Diuturna, sed* IMPIA *apud nos consuetudo tenetur, vt de* TERRA PATERNA *sorores cum fratribus portionem non habeant: sed ego perpendens hanc* IMPIETATEM, *sicut mihi à Domino æqualiter donati estis filij, ita & à me sitis æqualiter diligendi, vt de rebus meis pôst meum discessum æqualiter gaudeatis. Ideoque per hanc Epistolam, te dulcissimam filiam meam, cum germanis tuis filijs meis Lucio & Seio,* IN OMNI HÆREDITATE MEA *æqualem & legitimam constituo esse hæredem; vt tam de Alode paternâ, quàm de comparato, vel mancipijs, aut prædio nostro, vel quodcumque moriens reliquero, æqualentiâ cum filijs meis, germanis tuis, diuidere vel exæquare debeas: & in nullo penitus portionem minorem quàm ipsi non accipias; sed omnia, vel ex omnibus, inter vos diuidere vel exæquare æqualiter debeatis.* De consuetudine agit Marculphus, ex quâ *Salicam Legem impiam* pronunciare debebas tu, qui ex Suggerio *Legum Salicarum elogio significari contendis, omne ius consuetudinarium in Franciâ Occidentali seruatum.* Equidem hoc certum, neque Marculphum, neque alios quos laudas, clarè insinuare, in Occiduâ Franciâ feminas per Legem Salicam à Patrum hæreditate arceri: quod arguit, illud Salicæ Formulâ 66. Loco cit. Pag. 53.

Legis caput in illo Regno vim non habuisse, etsi alia Legis capita in vsum quandoque vocarentur: quod vt probes, aliquot profers monumenta & capitula, sed frustrà; cùm asseruerim, *dumtaxat Salicæ Legis vsum in Occidentali Franciâ non viguisse quoad Regni successionem.*

Vindic. Hispan. cap. 5.

Verùm enim verò, vt captionum argutijs lites ex litibus seras, & grauissimam quæstionem nodis & ambagibus implices, *Alodem* & *Salicam Terram* sic distinguis: *Alode fuit res propria veteris possessoris. Terra Salica fuit portio Salio militi &* REGI *assignata.* In primis, Ioannes Tilletus laudat chartam anni M. XXXI. quâ *Engolismensis quidam Archidiaconus illi Ecclesiæ* SVVM ALODEM SIVE TERRAM SALICAM, *in Santomio pago sitam donat:* vnde arguitur, vel Alodem à Terrâ Salicâ distinctum non fuisse; vel saltem Alodes aliquos fuisse, qui simul Terræ Salicæ essent. Id quod videtur colligi ex Legum Salicarum titulo LXII. *de Alode,* in quo de Terrâ Salicâ etiam decernitur.

De filiabus Franciæ.

Percontor deinde; quis illam Salicæ Terræ portionem Regi assignabat, ipsi totius terræ quæsitori ac Domino? Rhenanus & Goldastus, quos laudas, *Regis* non meminêre: primus id nuper somniauit Fr. Pithœus, ex quo Lindenbrogius retulit in Commentaria. Leges Salicæ agunt de vtroque, *de Alode,* & *de Salicâ Terrâ;* sed nullâ Regis mentione: vnde colligo, cum Hotomanis vestris, eas non pro publico Regni, sed priuatorum iure scriptas fuisse; teque, nullo subnixum Auctore antiquo, *Regem* illis immiscuisse. Inspice quæso tu ipse Leges Salicas Dominice, & obseruabis illas agere *de furtis porcorum, ouium, caprarum; de incendijs, vulneribus, maleficijs; de adulterijs ancillarum; de locationibus, conuicijs, falsis testimonijs,* & similibus, quæ populares merè tangunt; ita vt *leges plebeiæ* & *rusticæ* potiùs quàm *Regiæ* dici mereantur. Neque dubito, Andream Chesneum illas consultò omisisse in primo suo rerum Francicarum Volumine, ne Lectori potiùs risum mouerent, quàm Regiam commendarent Maiestatem.

Tu prætereà gratis affirmas, *Terram Salicam* idem esse ac *sortem Salicam;* cùm nemo præter te *Salicæ sortis* vmquam meminerit. *Sortes Gothicæ* erant terræ portiones, quæ fortunâ belli Gothis obuenerant; *sortes Romanæ,* quæ Romanis remanserant. Et quia partes illæ fortuitæ vocabantur *sortes;* inde ad Regum etiam partitiones hæreditarias translatum est ex abusu vocabulum *sortis:* quod si strictè sumeretur, successioni legitimæ contrarium esset. *Quid enim sors est?* inquit Tullius. *Idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod tesseras: quibus in rebus* TEMERITAS *&* CASVS, *non* RATIO *nec* CONSILIVM *valet.* Tu ergo Reges tuos ad VRNAM & GALEAM sic amandas, non ad certam, ex Lege, Sceptri adeptionem.

Assertor in Mente explicatâ.

Lib. 2. de Diuinat.

In

In Alode, pergis, *deficientibus masculis, feminæ succedebant; at in Terrâ Salicâ, etiam deficientibus masculis, nusquam feminæ ad successionem vocabantur.* Hîc te sisto iterùm Dominice, quia tecum ipse pugnas: dixisti enim priùs, *Salicâ Lege feminam quidem à successione penitus remoueri, quamdiu proles mascula superenit; sed hac deficiente, non prohiberi vt à feminarum cognatione orti ad successionem vocentur*. Si obloqueris, nec eo modo ad hæreditatem Salicam feminas vocati, sed mares ab illis ortos; respondebo quod in causâ Eduardi Angli ex Baldo attulisti; nempe, *in causato non posse plus esse virtutis, quàm procedit ab influenti potentiâ causæ.* Vide in quas angustias te conijcias, & vt te digito monstret Carolus Hannibal Fabrotus in Dedicatione librorum ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ: *Blandiuntur sibi*, inquit, *qui magnis animis contendunt, masculis non extantibus, eos qui per feminini sexus personas cognatione iunguntur, à Regni Gallici successione remoueri; quod neque mens, neque verba* LEGIS SALICÆ, *neque Regni mores patiuntur. Legis sententiam circumuenit, qui ortos ex feminis non esse repellendos censet.* Vacillas ergo, Dominice, deque doctrinâ tuâ parum certus, modò in hanc modò in illam partem te conuertis. Pag. 123. Pag. 73. Pag. 112. Parisijs an. 1647.

In diuisione Regni, quam in fratres & nepotes duodecies factam fateris, nusquàm Salicæ Legis fit mentio: nec quod quisque regio nomine possedit, vsquam *Terra Salica* nominè obtinuit. Neque semper, posthabitis filiabus, ad propinquiorem masculum successio peruênit, vt probare intendisti exemplis, quæ posteà confutabo. Argutias tuas & pedicas nihil moror, quibus eruditorum oculis & mentibus caliginem offundere conaris.

Sed obsecro, abstine à risu, qui hæc leges. Re quasi benè gestâ cristas attollit, ampullas loquitur Dominicus, & me vel malæ fidei, vel lapsus memoriæ insimulat, quòd non protulerim libellum dotis, ex tabulis matrimonialibus Fr. Pithœi, quem Nicol. Camuzatius ad me miserat. At ego contempsi chartam, vt ab instituto alienam, nec ad Regni successionem attinentem: illam tamen, ac si nusquam visam, pudendâ leuitate è tenebris scilicet in perpetuam lucem eruit Dominicus, quæ tanto antè tempore relata est de verbo ad verbum à Marculpho, à quo Pithœus, memoriæ gratiâ, in Commentarios illam retulerat. Pag. 54. Form. 79.

LVMEN III.

Explicantur Fulconis & Agathiæ verba de successione Regum; item D. Matthæi de Lilijs.

In Epist. ad Arnulphũ Imp.

EXEMPLIS meis contra Legem Salicam præmisi auctoritatem Fulconis Archiepiscopi Remensis, qui affirmauit, *morem Gentis Francorum semper fuisse, vt Rege decedente alium de Regiâ stirpe vel successione eligerent.* Ex quibus collegi, Fulconem, quia masculinam successionis lineam nominatim non expressit, femininam non exclusisse. At quia Fulco assertionem suam muniuit testimonio Gregorij Papæ, iuuat referre verba magni Pontificis: *In Persarum quoque,* ait, *Francorumque terrâ Reges ex genere prodeunt.* De Persis autem ait Strabo: Βασιλεύονται ὑπὸ τῶν ἀπὸ γένους: *Regun-tur ab ijs qui sunt ex genere.* Sic vt alijs, qui Regiæ stirpis non essent seu paternâ seu maternâ lineâ, Regnum à Persis non deferretur. Vnde Sapor II. Rex *in vtero matris fuit coronatus,* cùm necdum sciri posset, an mater masculum an femellam editura esset. Eò etiam rem redijsse, vt Regnum Persarum non tam lege quàm suffragijs Procerum deferretur, Procopius non semel ostendit; ita tamen, vt non alij quàm qui Regiæ stirpis essent ad Regni culmen eueherentur. Itaque sensu eodem *Franci Reges ex genere prodibant,* ait Gregorius: quod Fulco vertit, *de Regiâ stirpe, vel successione,* lineâ virili non expressâ; vti nec à Cedreno, nec ab Anastasio.

Hom. 10. in Euang. Lib. 15.

Henninges in Regib. Persarum.

Pag. 61.

Insurgit Dominicus, & opponit, Fulconem, cùm ex more Francorum se tueatur, quòd Carolum Simplicem adhuc puerum vnxisset in Regem, apertè indicasse, Francorum Reges ex masculinâ sobole ad Regnum peruenire. Sed non respondet Assertor ad id, quod ex ipso Fulconis testimonio retuli; nempe, ab excessu Ludouici Balbi Regis WIDONEM *tantùm Principem, & paruum propinquum eius* CAROLVM, *de Regali stirpe remansisse.* Quibus verbis subindicauit Fulco alterutrum ex more Francorum eligi potuisse in Regem. Vnde vrgebant Principes, *vt tale caput communi consilio statueretur, per quod securi possent esse subditi; intendentes vel in VVidonem* (qui lineâ muliebri à Regibus ortum ducebat) *vel in Carolum,* qui virili ab iisdem prodibat. Neque obtendebant quidpiam Proceres contra Widonis ad capessendum Regnum habilitatem; sed solùm ex æmulatione, quòd Fulco, qui Widonis cognatus erat, *illum subintroducere vellet in Regnum, & dimisso puero Carolo, se ad illum conuertere.* Optima ergo fuit ex Fulconis

Cap. 6. Vindic. exemp. 5. Vide infrà Lum. 7. pro 5. exemplo.

conis verbis illatio mea; fraudulenta Dominici, qui & à ſcopo etiam abeſt, dum ſubiungit longè petitam Agathiæ Græci auctoritatem, & Scriptorem exoticum indigenis præponit. Clàm te eſſe non debuit, Dominice, *latum antiquitatibus Græcorum genus incertæ vetuſtati ple-* Tacitus *raque affinxiſſe*: ignorare non debuiſti, Plinium æuo ſuo tetigiſſe *Græ-* Hiſtor. 1. *ciæ fabuloſitatem*; nec non & *cognita proditaque mendacia Græcæ vani-* Lib. 4. in Præf. & *tatis*. l. 28. c. 8.

Vt in Agathiâ id obſerues, audi quid de ſui æui Francorum Regibus ipſe dixerit: *Frequenter enim iam, & olim, & meâ ætate, modò inter* Lib. 1. *tres, modò inter plures diuiſo ipſis Imperio, numquam aduerſus ſeſe mutuò bellum mouiſſe, neque ciuili ſanguine patriam inquinaſſe conſtat.* Quid falſius? ſcribebat id Agathias ſæculo ſexto, quo Rex Clotarius I. ſuos ex patre fratres (non ex matre) *Raganarium* Cameraci & *Richarium* Tor- Alcuinus naci Reges occîdit: quo eodem ſæculo filij Clodouei quatuor pu- in Vitâ S. Richarij gnantes mutuò ſe peremerunt. Prætereà Gregorius Turonenſis, Aga- cap. 1. thiæ æqualis, librum Hiſtoriæ ſuæ quintum ſic orditur: *Tædet me bellorum ciuilium diuerſitates, quæ Francorum gentem & Regnum valdè proterunt, memorare; in quo, quod peius eſt, tempore illud quod Dominus de dolorum prædixit initio, iam videmus: Conſurget pater in filium, filius in patrem, frater in fratrem, proximus in propinquum: debebant enim eos exempla anteriorum Regum terrere, qui vt diuiſi, ſtatim ab inimicis ſunt interempti.* En igitur falſi conuictum Agathiam. Ex auctore mendaci nihilominùs veritati lucem faciamus. Hæc ſunt Agathiæ verba de Lib. 1. Francis: Παῖδες ἐκ πατέρων τὴν βασιλείαν διαδεχόμενοι: quæ ſic malè vertit Chriſtophorus Perſona Romanus: *Ex parentibus* FILII *Regna ſuſcipiunt.* Ego veriùs: *Ex parentibus* LIBERI *Regnum ſuſcipiunt.* Παῖδες enim apud Græcos, filios & filias æquè ſignificabat: vnde Iulius Pollux Lib. 2. παῖδες καὶ τέκνα, docet communia eſſe maſculis & feminis: idemque Onom. c. 3. Phauorinus tradit. Nihil igitur Agathias indicare voluit, niſi Regnum Franciæ non electione, ſed hæreditare obuenire, atque à parentibus ad liberos tranſire.

Verùm etſi daremus per παῖδες Agathiam intellexiſſe maſculas proles; de Francis Ortiuis id capiendum eſſe, non de Occiduis, ipſemet clarè indicauit: *Sunt Franci*, ait, *Italis accolæ & contermini, olim di-* Lib. cit. *cti Germani: quod quidem ſatis conſtat; nam circa Rhenum fluuium habitant.* Exempla deinde ſubnectit de Regibus Franciæ Orientalis; & primum quidem ſic: THEODEBERTO [Regi Auſtraſiæ] THEODEBALDVS *eius filius ſucceſſit in Regnum: qui quidem tametſi puer, & iuuenis admodum*, PATRIA *tamen* LEX *eum ad Regnum vocabat*. Alterum verò exemplum proponit hoc modo: THEODEBALDVS *adole-* Lib. 2.

 ſcens,

scens, qui finitimis Italiæ Francis imperabat (nempe Austrasijs) *miserrimè iam è viuis excesserat, morbo, quo inde ab ortu laborarat, absumptus. Cùm verò* CHILDEBERTVM *&* CLOTARIVM, *vtpote genere proximos*, LEX PATRIA *ad hæreditatem iuuenis vocaret, grauis tamen inter eos orta est. contentio; quæque parum aberat, quin totum genus perderet.* Lex illa patria [πάτριος νόμος] meo iudicio, non alia fuit, quàm *mos Francorum* à Fulcone memoratus; quia ante Fulconem, & aliquot post illum sæculis, nullus Auctor Francus Salicæ Legis meminit pro successione Regni. Si tamen velis *Legem* illam *patriam* fuisse *Salicam*; quandoquidem hæc à Francis Ortiuis condita erat, & sic eorum magis propria quàm Occiduorum; illa *Childebertum* & *Clotarium*, magnos Theobaldi patruos, ad hæreditatem *Theobaldi* Austrasiorum Regis vocabat. Quod ergo scripsit Agathias Græcus non est alienum à nostro sensu, neque Francis Neustrasijs quidquam fauet.

Ceterùm ad hunc locum pertinet id quod Gallicus Vindex ano-
Cap. 16. nymus obiecit Armacano; nempe *Lilia, ex Diuinæ Scripturæ oraculo, neque nere, neque filum torquere:* vnde infert ille, *Lanam & colum à Liliatis Insignibus alienissimas esse, nec vmquam ab hastâ in fusum Regni Gallici*
Cap. 6. *hæreditatem demigrare.* Sic autem D. Matthæus: *Considerate* LILIA
v. 28. *agri* [τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ] *quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est sicut vnum ex istis.* Ad hunc locum adnotat Carolus Paschalius Franco-
Lib. 3. Coron. c. 8. Gallus: *Ibi manifestum est,* τὰ κρίνα *esse, quod* τὰ ἄνθη *in genere.* Optimè: τὸ κρίνον enim, καὶ τὸ λείριον, pro specioso quouis flore sumitur apud an-
Lib. 6. c. 19. tiquos: vnde Pollux docet, omne genus florum λείρια ab Homero nominari. Et Lucianus ait: Λείρια καλεῖται, εἴ γε μέμνημαι, τὰ ἄνθη: *Lilia vo-*
In Herc. Gall. *cantur, vt memini, flores.* Diogenes quoque in Prouerbijs: ἢ κρίνον, ἢ κο-
Cent. 5. λοκύντην: *aut florem, aut cucurbitam:* quia flore mortem veteres, fructu vitam significabant. Perperàm igitur anonymus sacra Euangelistæ verba contorsit ad Francica Insignia, quæ verè non sunt lilia, nec candida, nec rubicunda. Vera enim & propriè dicta lilia, folia floris sena in modum calycis vel calathi surrecta habent: Francica verò lilia tribus constant folijs repandis, & totidem surrectis; suntque procul dubio *Irides aquaticæ*, flaui coloris, in solo cyaneo seu aqueo; quas è palustri Sicambriâ Franci detulerunt in Galliam, vt sentit doctissimus
In Tract. de Insignibus. Fauchetus. Quia porrò iris domestica, ob cœruleum colorem, LILIVM COELESTE vulgò dicitur; necnon etiam propterea quòd apud Maronem,

Lib. 5. Æn. IRIM DE COELO *misit Saturnia Iuno:*

inde apud plebeios & grammaticulos ortam existimo fabulam de Francicis

Francicis Insignibus cælo transmissis, quam rident Tilletus & Fauchetus, celebres Francorum Historici.

Ceterùm, quia *Auriflammam Francorum* etiam è cælo demissam falsò tradunt Scriptores quidam nouitij; haud abs re visum, Dissertationem de illâ à me aliàs editam Luminis loco hîc subijcere, ne chartæ abstrusorum indagatrices, tempore, vt solet, deperdantur.

LVMEN IV.

De vexillo Regali in Casteletensi pugnâ Francis erepto, quod non esse AVRIFLAMMAM *demonstratur.*

FACVLA I.

Succincta Prælij Narratio: de capto Regis Franciæ vexillo varij sensus.

POST expugnatam breui sed forti obsidione Bassæam, adeoque liberatos ab hostium incursionibus Gallo-Belgas Insulanos, D. Franciscus de Mello, Turris Lacunæ Marchio, Assumarijque Comes, belli pro Rege supremus ductor, seriò cogitare cœpit de minuendis Francorum viribus; quò faciliùs animum ad maiora posset adijcere. Ac primùm quidem, vt Comitum Harcurtij & Guichij iunctos simul exercitus ad seiunctionem cogeret, stratagemate simulauit se, vnà cum Regio exercitu, Caletum versus tendere velle; eodemque tempore versus Hannoniam alias misit copias: vnde Harcurtius & Guichius, metu nouæ molitionis anxij, partitis agminibus, ille prope Hesdinium, iste apud Casteletum castra posuêre: quod vbi Francisco Marchioni compertum, voti compos magnis itineribus ad Guichium contendit; viginti tormentis maioribus erectos ab illo aggeres quatit, & equitatu peditatuque in prælium eductis, cùm primùm, vt assolet, dubio euentu acies concurrissent, tandem, post cruentam pugnam, insigni victoriâ fortis ac felix potitur. Cæsi Franci mille supra quingentos; ter mille captiui abducti, ac ferè totidem Scaldi profluente suffocati, quòd nauium & pontium copia pro tempore non esset, neque vadari fluuius posset, qui tum pleno alueo ferebatur. Militibus nostris prædiuites sarcinæ & impedimenta belli prædæ fuerunt: tormenta bellica decem capta, è quibus nonnulla epigraphe istâ superbiebant, RATIO VLTIMA REGVM: sed heu Regum!

Anno 1642.

26. Maij, 1642.

> Οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει.
> *Queis nec ara, nec fides, nec vlla firma pactio erat.* Aristop. Acharn.

Signa

Signa pæne omnia equestria pedestriaque hostibus erepta,& inter ea VEXILLVM ALBVM, quod captiui passim REGIVM esse confessi sunt, sacrum, venerandum, nec vllo antè prælio captum. De illo tamen variè sentiebant: quidam dicere, celebratissimam populis AVRIFLAMMAM esse: alij, vexillum Clodouei Regis à Sancto Remigio benedictum, quo tamquam firmissimo præsidio in prælijs cum hostibus committendis vtebatur: nonnulli, à Solymotum Præsule Carolo Magno missum: alij aliter, pro captu & arbitrio militari. Subijt animum inuestigare quodnam illud esset: quod vt præstem, ex Antiquitatis velut parietinis veritatem eruendo, à descriptione & ortu Auriflammæ exordiar.

FACVLA II.

Quid Francorum AVRIFLAMMA: *eius forma, color, iactura: non est album vexillum hostibus nuper ereptum.*

AVRIFLAMMA vexillum erat S. Dionysij, Francorum Tutelaris, vulgò *la Banniere de sainct Denis*; quod in templo Martyris asseruabatur, ad statas solemnesque pro Regis & Regni felicitate supplicationes obeundas: Labari seu [1] Gonfanonis formam præferens (cuiusmodi ædes [2] sacræ habere solent) è panno [3] rubro serico, aureâ prætexto fimbriâ, ignei & coruscantis splendoris, expandebatur ad hastæ sublimem antennam; vnde illi [4] *Auriflammæ* nomen; ab igne auri scilicet, & fulgore sandarachæ, cui [5] *flammeus* color à Plinio tribuitur.

1 Froissartus Vol. 1. cap. 125. 2 Tillet pag. 234. 3 Annal. Franc. & Brito. 4 Io. Villani l. 12. 5 Lib. 35. cap. 6.

Rex Francorum, qui primùm in bellis Auriflammâ vsus legitur, est Robertus Hugonis Capeti filius, qui in chartâ anni CM. XCVII. quâ villas aliquot Dionysianis concedit, ita loquitur: *Hac itaque Regiæ largitionis nostræ indulgentiâ, cupimus SS. Martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij, quibus olim omnem spei nostræ fiduciam commisimus, patrocinia promereri; quatenus hostibus nostris & victrices dextras inferre, ac cum triumpho victoriæ,* INVICTA *(annuente Deo) exinde* DE EORVM SVBIECTIONE VEXILLA *referre*. Numero multitudinis *vexilla* Rex dixit; vt non tantùm Dionysij, sed etiam aliorum quoque Martyrum à se educta labara significaret.

Histor. S. Dionysij, Doublet lib. 3. c. 11.

Robertus eiusdem Religionis atque in Diuos fiduciæ, imitatorem habuit Ludouicum VI. cognomento *Grossum*, cuius charta anni M. C. XXIV. pro S. Dionysij cœnobio sic habet: *Præsenti itaque venerabili Abbate præfatæ Ecclesiæ Suggerio (quem fidelem & familiarem in nostris consilijs habebamus) in præsentiâ Optimatum nostrorum,* VEXILLVM *de*

Lib. 3. cap. 13.

de Altario Beatorum Martyrum (ad quos Comitatus Vilcassini, quem nos ab ipsis in feodum habemus, spectare dignoscitur) morem antiquum Antecessorum nostrorum seruantes, & imitantes, SIGNIFERI IVRE, *sicut Comites Vilcassini soliti erant, suscepimus.* Suggerius in Vitâ Ludouici Grossi.

Huic filius successit Ludouicus VII. minimè paterni dissimilis ingenij; quippe qui, vt Scriptor gestorum eius litteris consignauit, anno M. C. XLVII. *venerit (vt moris erat) ad Ecclesiam B. Dionysij, à Martyribus licentiam accepturus: & ibi post celebrationem Missarum, baculum peregrinationis, &* VEXILLVM BEATI DIONYSII, *quod* ORIFLAMBE *Gallicè dicitur, valdè reuerenter acceperit; sicut moris erat antiquorum Regum, quando debent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere.* Cap. 4.

Philippum etiam Augustum in eâdem Religione fuisse comperio; de quo hæc Rigordus eius Medicus, anno M. C. XC. *In festo S. Ioannis Baptistæ, Philippus Rex ad Ecclesiam beatissimi Martyris Dionysij cum maximo comitatu venit, causâ licentiam accipiendi. Consueuerant enim antiquitus Reges Francorum, quòd quandocumque contra hostes arma mouebant,* VEXILLVM *desuper altare* BEATI DIONYSII *pro tutelâ seu custodiâ secum portabant, & in primâ acie pugnatorum ponebant; quod videntes aduersarij & cognoscentes, territi multoties terga dederunt. Ideò Christianissimus Rex ante corpora sanctorum Martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij, humiliter super pauimentum marmoreum in oratione prostratus, Deo & beatæ Virgini* MARIÆ, *& sanctis Martyribus, & omnibus Sanctis se commendauit. Tandem cum lacrymis ab oratione surgens, sportam & baculum peregrinationis de manu Guilielmi Remensis Archiepiscopi, auunculi sui, Apostolicæ Sedis Legati, deuotissimè ibidem accepit. Deinde* DESVPER CORPORA SANCTORVM DVO STANDALIA *decenter insignita, pro memoriâ SS. Martyrum, & tutelâ,* CONTRA INIMICOS CRVCIS CHRISTI PVGNATVRVS, *proprijs manibus accepit.* In Vitâ Phil. Aug.

Velim obserues accuratiùs, DVO STANDALIA (vulgò *deux estendarts*, ab extendendo dicta) vt non Dionysij dumtaxat, sed & alterius quoque Martyris vexillum à Philippo Rege acceptum intelligatur. Dicit autem Rigordus, illa Regem accepisse *desuper corpora Sanctorum*, ex prisco Ecclesiæ Romanæ ritu, quo vela seu *brandea* reliquijs Sanctorum admouebantur; vt ex illo contactu, ad patranda miracula magnam consequerentur facultatem. Baron. in Martyr. 15. Iun. & an. 55. num. 12.

Rigordus iterùm in pugnâ Bouinensi, anno M. CC. XV. *Clamatur vbique per campos; Arma, arma viri, clangunt tubæ, reuertuntur cohortes, reuocatur* VEXILLVM BEATI DIONYSII, *quod omnes præcedere in bello debebat.* In eodem prælio sic AVRIFLAMMAM descripsit Armoricanus Poëta:

Guillel. Brito l. 10. Philip.

At Regi satis est tenues crispare per auras
VEXILLVM SIMPLEX, *cendato simplice textum,*
SPLENDORIS RVBEI, *Letània qualiter vti*
Ecclesiana solet certis ex more diebus.
Quod cùm FLAMMA *habeat vulgariter* AVREA *nomen,*
Omnibus in bellis habet omnia signa praire,
Quod Regi PRESTARE *solet Dionysius Abbas,*
Ad bellum quotiens sumptis proficiscitur armis.

Prestare verbum sæculo barbaro factum est è vulgari Gallico *prester;* quod est *commodatum præbere.*

Alios deinde Reges in bellis sacro illo Vexillo vsos Historici referunt; atque tandem (vt ait Robertus Guaguinus) *abutentibus* AVRIFLAMMÆ *signo aduersus Christicolas Regibus, illud euanuisse.* Iacobus du Brueil litteris mandauit, Philippum Valesium, dum Flandris bellum inferret, AVRIFLAMMAM perdidisse: sed Iacobus Meyerus iacturam illius Philippo Pulchro tribuit in Pabulano prælio, anno M. CCC. IV. vbi narrat, AVREAM FLAMMVLAM, *Gallorum signum (de quo tam multa solebant fabulari) eo prælio discissam & laniatam esse à Flandris, occisumque Anselmum Cheurosium eius gestatorem.*

Lib. 1. Histor. Fràc. in Clodoueo Rege. Antiquit. Paris. l. 4. p. 1146. Lib. 13. Annal. Fland. lib. 10.

Non erat igitur AVRIFLAMMA proprium Regis Franciæ Vexillum, sed ab Ecclesiâ S. Dionysij, religionis causâ, commodatum. Illam quoque non esse vexillum album nuper Francis ablatum, flammeus eius color, iactura vetus, & supposititiæ (tradit enim Meyerus *confictam fuisse aliam ad veræ similitudinem*) vsus obsoletus clarè conuincunt: accedamus ergo propiùs, & nudæ litemus veritati.

Lib. 13. Annal.

FACVLA III.

Equestria Vexilla, Regi Francorum propria, sunt gemina; alterum cæruleum, album alterum: hic de priori sermo.

SIGNA in bello quæ visu percipiuntur, quadrata quædam vela sunt, aliàs pinnata; quorum vsus ad cogendas tacitò imperio turmas. Bacelarius olim Eques [*le Cheualier Bachelier*] cùm promoueri vellet ad Bannereti gradum, pinnatum suum signum [*son pennon*] supplex Principi offerebat; vt illud, resectis alis, in quadratam vexilli aptaret formam [*en banniere;*] Vexillum porrò, vt vim vocis intelligas, à velo diminutum fecêre Grammatici, vt à palo paxillum, à talo taxillum.

Oliuerius à Marcha lib. 1. c. 25.

Binis equestribus quadratæ formæ vexillis hodieque Francorum Reges vtuntur: quorum alterum est cæruleum, aureis conspersum lilijs, eidemque (quòd vetustioribus, ante Carolum VI. Regem, scuti

Francici

Francici iconibus passim distinguatur) *Cornetæ Francicæ* nomen, vulgò *la Cornette de France*; albi coloris alterum, quod in regio Equitatu solùm puro candore fulgens, alijs turmarcharum signis eminet. Vtrumque *Corneta* dicitur, vetustâ (vt existimo) à buccinis seu *cornibus bellicis* denominatione; ad quorum [1] *murmur minax* vexilla tollebantur: vnde [2] Vegetius in re militari: CORNICINES *quoties canunt, non milites, sed* SIGNA *mouentur.* Rectè & ad priscum morem, quem expressit Poëtarum princeps:

[1] Horat. l.2. Ode 1.
[2] Lib. 2. cap. 22.

VT BELLI SIGNVM *Laurenti Turnus ab arce*
Extulit, & rauco strepuerunt CORNVA *cantu,*
Extemplò turbati animi. —— 8. Æneid.

Regalis Francorum vexilli meminit Auctor Vitæ Ludouici VII. anno M. C. XLVII. etsi colorem minimè obseruauit: *Illâ die faciebat antegardam Gaufridus de Ranconio, vnus de nobilioribus Baronibus prouinciæ Pictauensis, qui ferebat* REGIS BANERIAM, *quam præcedebat (prout moris est)* VEXILLVM BEATI DIONYSII, *quod Gallicè dicitur* ORIFLAMBE. Cap. 12.

Rigordus in pugnâ Bouinensi, sub Philippo Augusto, anno M. CC. XV. maculosam liliorum varietatem expressit: *Intereà aduenium legiones communiarum, quæ ferè vsque ad hospitia processerunt, & ad* VEXILLVM BEATI DIONYSII: *& accurrunt quantocyùs ad aciem Regis, vbi videbant* SIGNVM REGALE, *quod est* VEXILLVM FLORIBVS LILII *distinctum, quod ferebat die illo* GALO DE MONTIGNIACO *miles fortissimus, sed non diues.* Idem metris enuntiauit Guilielmus Brito post Auriflammæ descriptionem:

Ante tamen Regem SIGNVM REGALE *ferebat*
Montiniacensis, vir fortis corpore, GALO. Lib. 10. Philip.

Vides signum Regale consperfum lilijs, quod Regi soli præferebatur, aliud fuisse à Vexillo Dionysiano, quod cetera exercitus signa præcedebat.

In funebri pompâ Henrici IV. Regis anno M. DC. X. (si vera refert Fauinus) Rhodensis Toparcha, cæremonijs præfectus, hastam gestabat cyano pictam, auratis armatam laminis; è quâ pendebat quadratum Franciæ vexillum coloris Ianthini, aureis consertum lilijs, fluxâque ex eiusdem metalli filo laciniâ prætextum. Vnde constat, Cornetam Francorum cæruleam, non tantùm militarem, sed etiam pompaticam fuisse; non aliter quàm signa splendentia, quibus cum Cæsar Constantius, sine nomine triumphaturus, Romam visere gestiebat, *vt pompam nimis extentam*, RIGENTIAQVE AVRO VEXILLA, *& pulchritudinem stipatorum ostenderet tranquilliùs agenti populo.* Lib. 10. Theatri. Ammianus l. 16.


FACVLA IV.

Candidum vexillum à nostris bello captum, est Alba Corneta Regis Franciæ; quæ hic accuratè describitur & illustratur.

Lib. 1. Theatri cap. 2. ALIVD equestre vexillum, quod eorum proprium est, qui Regio Imperio præditi in excelso ætatem agunt, sic descripsit Fauinus, etsi mihi suspectus Auctor: *Soli Principes antiquitus Cornetam gestabant, quæ alijs non debet esse pigmentis illustrata, præterquam solo Principis colore.* ALBA EST IN FRANCIA; RVBRA IN HISPANIA; *in Angliâ & alibi, Regni colore picta. Explicari non debet nisi coram supremo Principe: sub eâ namque Magnates, vt eum tueantur, se solent recipere.* Omissis aliorum testimonijs, de Gentili suâ seu Franciâ Tilletium testem adducam, vbi sic ait: *In primâ descriptione Regiæ familiæ Francisci I. Regis leguntur plures domestici; qui cùm vetustâ natalium nobilitate atque opibus essent conspicui, cum modico stipendio Regi inseruire honori ducebant: vnde aula eius, tempore pacis, magnifica erat; & in bello,* CORNETA EIVS FORTIOR, *maiorique circum-septa comitatu.* Paginâ 325.

Vexillum Regium nuper de hostibus reportatum, sericum est, multitium, geminum, & niueo candore splendens; longum pedem vnum & semis; latitudine palmos quinque non excedit; limbus eius argento est fimbriatus, cum eiusdem metalli in fila ducti nodoso ac tortili, in summâ parte, funiculo. Crux quaternis terminata lilijs (quæ in textum, quà longum latumque est, excurrit) opere argenti Phrygionico eximiè confecta est. Theca seu vagina ex arculo ephippij pendens, in quam vexilliferæ hastæ pes inserebatur, serico etiam albo est operta; quod acu Phrygiâ, eodem quo Crux opere, laboratum est. In summâ; vexillum totum est coloris albi, & argentei splendoris.

Capti bello viri nobiliores, super hoc militari signo interrogati, ad quæsita responderunt: Primùm, Ludouici XIII. Regis ALBAM CORNETAM esse, Equitatus leuis armaturæ (qui exercitus Regij præcipuum est robur) primarium & generale signum: idemque ad inanem pompæ ostentationem minimè elatum, sed militari prærogatiuâ, inter equestria vexilla, puro candore splendere: ad hæc, illius asseclas, viros esse magnates ac nobiles, qui voluntariam & gratuitam militiam profitentur: delatum verò ad Picardiæ castra, quòd Rex vel ibi præsens, vel non longè abfuturus crederetur: denique virum nobilem, Regis auctoritate vexilliferum, ægritudinis causâ à castris abfuisse; commissam alteri signi Regalis gestationem, nobili quoque, qui non priùs quàm vitam illud amisit; potiorem sine vitâ honorem, quàm vitam sine honore æstimans; imitaturus haud dubiè (si vexilli



vexilli ratio, & noſtrorum ardor pati potuiſſet) egregium illum *Campeilz*, quem anno M. D. LXXXVII. quotquot prælio Coutra- Dupleix in Hiſt. Henrici III.
ſienſi interfuêre, ſuas curantem exequias conſpexerunt, & obſtinato ad mortem animo, ſigno ſuo perinde atque ferali linteo inuolutum, mediâ in acie diem fungi ſibi aliquamdiu ſuperſtitem.

Ceterùm vexillum à noſtris captum, verè eſſe Cornetam albam Ludouici XIII. Franciæ Regis, præter captiuorum teſtimonia, ſatis conſtat ex rerum præteritarum cum hodiernis collatione: quandoquidem anno M. D. XC. in Iuriacenſi prælio Henricus *Pot*, Rhodæ Dominus, vexillum itidem album Henrico IV. Regi præferebat; Dupleix in Hiſtor. Henr. IV.
[*portoit la Cornette blanche du Roy*] quem cùm in primo conflictu cæ-

ſum Rex obſeruaſſet, alacri animo vultuque ſuis dixit; *Alba galea mea criſta vobis vexilli loco erit.*

Præterea in Feræ Picardiæ obſidione, anno M. D. XCVI. Ioannes Franciſcus *de la Guiche*, Dominus *de Saintgeran*, eiuſdem Regis Henrici IV. Cornetam albam geſtabat; qui cùm extra caſtra, Regij obſequij cauſâ, excurriſſet (ſine vexillo tamen) deprehenſus à Roneo, captus & Bruxellam deductus eſt; vbi ſe leuioris Equitatus Regium & generalem eſſe Vexillarium palàm profeſſus, atque cum Alberto Archiduce recèns in Belgium aduentante collocutus, prima ſubſecutæ Pacis fundamenta iecit. Atqui Petrus Matthæus, Regius Henrici IV. Hiſtoricus, diſertè aſſeuerat, Sangerannum, cùm Fera obſideretur, eo fuiſſe honore decoratum, VT ALBAM REGIS CORNETAM geſtaret. [*Saintgeran auoit l'honneur de porter la Cornette blanche du Roy.*] Ex quibus verè concluditur, Albam Regis Cornetam, camdem eſſe cum vexillo Generali ac Primario leuium Regis alariorum: atque adeò, Vexillum equeſtre album à noſtris bello captum, verè Cornetam Regiam eſſe.

Lib. 1. Hiſtor. Henr. IV. narrat. 1. cap. 7.

Quidni verò & *Regium* vocemus militare Delphini ſignum, quod in noſtrorum quoque deuenit manus? Certè Philoſophorum Princeps ait: Καλῶνται οἱ ὑοὶ ϗ ἀδελφοι τῦ βασιλέως ἄνακτες: *Filij & fratres Regis vocantur Reges.* Eſt autem illud ſignum (vt à paterno typis diuerſum ſcias) diluto murice, cyano & albo colore vndulatim faſciatum, cui alba Crux plana per totum ſupertenditur: & in Crucis medio emicat Scutum Francicum aureâ faſtigiatum coronâ, quod infrà geminis heroïcæ militiæ torquibus præcinctum eſt; ſed ex iure dumtaxat, non ex poſſeſſione.

Ariſt. de Cypr. polit.

FACVLA V.

Albæ Cornetæ antiquitas expenditur ad Crucis & Tæniæ militaris apud Francos ætatem.

QVOD ad candentis Francorum vexilli, argenteâ Cruce rigentis, vſum & antiquitatem attinet; certum eſt, Cruces omnes, figurâ & colore diuerſas, quas Principes orthodoxi nunc præferunt in bellis, originem traxiſſe à transmarinis aduerſus impiorum rituum ſectarios expeditionibus, quas propterea vocabant *Cruciatas*. Verùm hocce noſtro infelici ſæculo (proh dolor!) Cruces contra Cruces feruntur in prælium, Chriſtiani aduerſus Chriſtianos armati progrediuntur, vt cupiditas, immemor neceſſitudinum, auferat propinquo terræ portionem, *quæ tota in vniuerſo eſt mundi punctum, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur.*

Petr. Sanfulianus in Miſcell. Hiſtor.

Seneca præf. l. 1. Nat. qu. Plinius lib. 2. c 68.

In ſacrâ Crucigerorum militiâ, quæ prior omnium in Regno

Franciæ instituta est, anno M. XCVI. Vrbanus II. Pontifex supremus *Rubra Crucis* tesserâ sacros milites signauit. In aliâ deinde anni M. C. LXXXVIII. Philippus Rex Franciæ, *coccineam Crucem*; Richardus Rex Angliæ, *candidam*; Philippus Comes Flandriæ, *prasinam*, induerunt. Francorum denique Rex Ioannes anno M. CCC. LXII. *rubentem ostro Crucem* ab Vrbani Papæ V. sacris manibus Auenione accepit. Nec vltrà Franci rubrâ Cruce in bellis leguntur vsi: quippe quam Carolus V. Ioannis filius, in *albam* commutauit, cùm aperto & capitali odio Anglos prosequeretur, qui Georgianam rubri coloris paulò antè sumpserant.

Scriptores belli sacri. Rogerus de Houeden. Froissartus Vol. 1. cap. 217.

Ardescente postmodum apud Parisienses Aurelianensium Principum in Burgundiones factione, cùm illi iuuarentur Bernardi Comitis Aremici Volcæ copijs, quæ albas tænias, siue bandas, à sinistro humero subtus dextrum brachium protensas præferebant; eiusdem quoque coloris fasciam Aremicorum obliquam [*la bande des Armaignacs*] Rex ipse Francorum Carolus VI. induit, magnâ subditorum admiratione, ne dicam perturbatione. Atque ab illo similem tæniam accepit eius filius, eodem nomine Rex VII. quippe cui (post Anglos Franciâ exactos, solemni pompâ Lutetiam ingresso, anno M. CD. XXXVII.) cusus est grandioris formæ nummus aureus; in cuius aduersâ facie sculptus est solio insidens, velut subditis iura redditurus; in auersâ autem parte, instructu bellatoris, exerto triumphali gladio, nec non *sinisteriore taniâ* in sago militari, est conspicuus, eo quo intueris modo.

Iuuen. Vrs. & Mõstrelet an. 1411. 1413. Steph. Pasqu. lib. 6. c. 3. & lib. 8. cap. 51.

Numisma aureum Caroli VII. Regis Francorum.



Videsis nummum integrum apud du Chesne, in Notis ad Alanum Chartier, pag. 835.

Atque inde Franci albâ fasciâ perpetuò sunt vsi. Non igitur altiùs quàm à Carolo V. Rege petendus est *Crucis albæ* in Francorum castris vsus; nec *albæ tæniæ* seu *bandæ*, quàm à Carolo VI. Rege.

An

An verò eadem quoque origo erit candoris in panno ſerico vexilli Regij, quod nuper Francis ablatum? Fauet certè in antiquioribus Plinij auctoritas, qui tradit, *argenteum colorem in ſignis militaribus olim familiarem fuiſſe, quoniam aurato longiùs fulget, & clarior eſt, magisque diei ſimilis*. Sed aliter ſentit recentior Cedrenus, qui quadratæ formæ ſigna, quæ circum Reges ad tutelam locabantur, *purpurea* facit. adijcio eius verba: Βῆξυλα, παραπετάσματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ, εἰς τετράγωνον σχῆμα πεποιημένα. Ταῦτα ἐξαρτῶντες ἐπὶ μακρῶν δοράτων, κυκλόθεν περιπορευόμενοι τῶν βασιλέων, κατασκέπουσιν αὐτούς: *Vexilla ſunt paſſi panni è purpurâ & auro, in quadratam figuram efficta. Hæc adaptantes longis haſtis, circum Reges in orbem euntes, ipſos protegunt.*

Lib. 3. c. 3. — In Synopſi Hiſtor.

Potuit nihilominùs Vexilli Francorum regij albus color manaſſe à Clodoueo primo Rege, qui dum Chrotildis Burgundæ coniugis ſuaſione à S. Remigio Remenſi Epiſcopo luſtralibus aquis initiaretur, veſte albâ indutus (ex more Eccleſiæ) candidæ Chriſti militiæ primus Francorum Regum nomen dedit, anno CD. XCIX. De cuius baptiſmo agens Gregorius Turonenſis, æqualis pænè ſcriptor, ait: *Velis depictis adumbrantur plateæ, Eccleſiæ* CORTINIS ALBENTIBVS *adornantur, Baptiſterium componitur.* & paucis interiectis: *Procedit nouus Conſtantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum,* SORDENTESQVE MACVLAS *geſtorum antiquorum recenti latice deleturus.* Nihil tamen in re adeò vetuſtâ affirmare auſim; nec decernere quidquam de formâ & colore vexilli Caroli Calui, quod dum Comes Ragenarius geſtaret in Andernacenſi prælio, anno DCCC. LXXVI. inito certamine, à Ludouici Germanici militibus primo impetu extinctus eſt.

Hiſtor. Franc. l. 2. — Regino in Chronic.

FACVLA VI.

De Bandæ ſeu Tæniæ diagonalis Hiſpanorum & Burgundionum primâ origine, colore ac geſtationis modo.

CALAMVS redux ab hoſtium caſtris non vt transfuga, ſed tamquam explorator, ne diutiùs à proprijs ſignis abeſſe videatur, pauca de noſtrorum diagonali faſciâ geſtit annectere; præſertim cùm Hiſpani Reges, diu ante Francos, Tæniam in bellis prætulerint; illamque pro virtutis militaris inſigni (Regium planè tunc munus, quod vileſcit hodie, & impunè geſtatur à quouis etiam plebeij ſtatus homine) ante pectus, ſtrenui cratem animi, geſtandam conceſſerint, dextram quidem Caſtellani, Arragonij verò ſiniſtram: Alphonſus enim XI. Rex Caſtellæ & Legionis anno M. CCC. XXX. militarem *Bandæ* ſeu *Tæniæ* Ordinem inſtituit, cuius ſodales obliquam faſciam antici pectoris tegumento aſſutam deferre tenebantur, non à ſiniſtro humero

humero in dextrum latus, vt tradidere quidam; ſed modò contrario, qui elucet inſigniter in aureo Ioannis II. Caſtellæ Regis numiſmate, in quo ſcutum illius *bandâ dexteriore*, eâ quâ repræſento formâ, cernitur decoratum.

Numiſma aureum Ioannis II. Caſtellæ Regis.





Maximè autem ex imagine Henrici IV. Regis, quam coccino indutam, cum aureâ tæniâ binos digitos latâ, Georgius Ehingenius in suo expressit Itinerario linguâ Germanicâ conscripto; in quo decem, Circa annũ 1454. quos ipse ex itinere viderat Regum (Friderici, Germaniæ; Caroli, Franciæ; Henrici, Angliæ; Ladislai, Hungariæ; Henrici, Hispaniæ; Alphonsi, Lusitaniæ; Ioannis, Nauarræ; Renati, Siciliæ; Iacobi, Scotiæ; & Ioannis, Cypri) icones accuratè repræsentat. Tu omnes vide, si lubet, & æui simplicitatem in magnorum Principum amictu admirare. Liber editus est Augustæ Vindelicorum anno M. DC. studio Dominici Custodis. Ego ex illis iconibus Hispanicam dumtaxat, quæ ad rem meam facit, paulò inferiùs exhibebo. Accedo interim ad institæ militaris Hispanicæ lumen. Ordinis quidem constitutiones, ab Alphonso de Carthagenâ Burgensi Episcopo editæ an. Histor. ms. Regis Alphonsi. M. CD. LXXXVI. colorem nòn exprimunt, ideò fortasse quòd vnus idemque minimè fuit: Alphonsus enim cùm primùm Victoriæ (id vrbi Castellæ veteris est nomen) Societatem illam instituit, *pulli coloris tæniam* albo Sodalium vestimento iussit assui; qui posteà *auream* Chron. Petri Regis cap. 8. ipsemet prætulisse legitur, & *coccineam* dedisse nobili cuidam viro cognomine *Diosayuda*, cuius filij nuncupati sunt Garridi. *Cæruleam* item Rex ille idem dedit Almarazis, & *prasinam* Villaquiranis: *Leucophæam* denique à Ioanne Garciâ in pullâ veste prælatam, testantur Cap. 48. Annales Ioannis II. Regis. Colorum itaque diuersitatem habes, quæ in plerisque alijs Hispanorum nobilium scutis ita passim elucet, vt verè à Suidâ dictum intelligatur, *τὸ βάνδον (bandam* interpretamur) esse *τὸ σημεῖον ἐν τῷ πολέμῳ, signum in bello*, quo viri nobiles, ac in primis turmarchæ, & inter se distingui, & à militibus internosci possint. Extrema porrò fasciæ, in plerisque parmis illis, in anguium rictus desinunt; vt qui eam gerunt, singularis in re bellicâ prudentiæ admoneantur.

Modò de Arragonensi tæniâ dicendum. Ferdinandus Infans cognomento *Honestus*, Ioannis I. Regis Castellæ & Leonoræ Arragoniæ Ægidius Gonçales in Histor. Hérici III. Regis, cap. 72. filius, Florei vasis Societatem militarem à Garsiâ Nauarræ Rege pridem institutam, & penitus antiquatam, magnâ pompæ celebritate innouauit anno M. CD. III. cùm ipse in Methymnæ campo versaretur; vbi Vasario torqui pendentem Gryphum pro tesserâ peculiari adiecit. Postquam verò idem Ferdinandus Infans Rex Arragonum factus est eius nominis primus, pietati Sodalium addidit, vt candidam tæniam deferre certis diebus tenerentur; quos in Fecialis cuiusdam libro manu exarato sub appictâ formâ sic indicatos reperi: *Stola Regis Arragonum, quæ portatur in honore sanctæ* MARIÆ *in diebus Sabbathi,*

Sabbathi, & in vigilijs & diebus sanctæ MARIÆ, *suprà latus sinistrum.* Equidem quòd Banda illa esset sinisterior, certum petitur argumentum ab antiquâ imagine Henrici Arragonum Infantis (Ferdinandi I. Regis, Stolæ albæ institutoris filij) quam lubens hîc propono, vnà cum icone Henrici IV. Castellæ Regis, quam paulô antè pollicitus sum, vt vtriusque Bandæ Castellanæ & Arragonicæ contrariam positionem αὐτόψια te doceat.




HENRICVS IV. Rex Castellæ. HENRICVS Infans Arragoniæ.

Demum pro ratiocinationis huius colophone rem addo maximè memorabilem ex actis Ordinis Velleris Aurei, quæ aliàs, Rege Domino meo ita iubente, per otium excussi.

Alphonsus cognomento Sapiens, Arragonum & vtriusque Siciliæ Rex, Ferdinandi I. filius, & Henrici Infantis frater, in societatem Aurei Velleris adscitus, torquem Ordinis à Gilberto Lannoyo, Philippi Boni Burgundiæ Ducis sodali & Legato, accepit anno M.CD.XLVII. *in suis felicibus castris apud Syluam Ceruariæ prope Ananiam, in Regno Siciliæ citra Farum:* ille verò vt parem gratiam Philippo Duci referret, Stolæ seu bandæ albæ tesseram suam, simulque torquem Ordinis Hydriæ siue Iartæ per suos legatos, Franciscum Dauiu, militem, Consiliarium, & armorum vxerium, & Garciam Montanyes, Domicellum & Submonterium maiorem, ad eum transmisit: Regalis signa beneuolentiæ Philippus suscepit lubens; ijs tamen conditionibus, quas solemni diplomate notas fecit hisce verbis: *Videlicet quod ad Stolam albam, vel albam vestem gestandam minimè teneremur, quoniam colorem album, aut alium, præter nigrum, pridem reliquimus, & decreuimus amodò non portare, ac vouimus. Item etiam non teneamur dictam*

STOLAM *cuiuscumque coloris*, A LATERE AD LATUS ALIVD TRANSVERSALITER DVCTAM GESTARE VEL OBLIQVE, *ne videamur cum scandalo subditorum & amicorum nostrorum in hoc imitatores* HOSTIVM *seu aduersariorum* DOMINI GENITORIS NOSTRI, *atque nostrorum, qui furentibus in Franciâ guerris*, SVA HOSTILIA SIGNA *hoc transuersali modo gestare soliti sunt. Verumtamen si prædicto Domino Regi gratum fuerit, & cedat ad libitum, stolam huiusmodi nigri coloris, & è collo siue humero ad inferius directè pendentem, diebus statutis portare offerimus. Datum in villâ nostrâ Brugensi* XV. *die mensis Maij, anno Domini* M. CD. XLVII.

Ex his porrò Philippi Ducis litteris non obscurè datur intelligi, Burgundiones tunc temporis bandis seu obliquis tænijs nondum vsos; illi tamen posteà, Philippo adhuc viuente, pro bellico insigni, *rubentes murice diagonales fascias* gestauere. Post pugnam enim Monrishericij, anno M. CD. LXV. Equites Theobaldi de Nouocastro, Burgundicæ militiæ magistri, *rubris tænijs albo decussi notatis conspicui*, ad Caroli Comitis Carolesij, Philippi Ducis filij, castra peruenerunt: ab eoque tempore perpetuò fuit obseruatum, vt quemadmodum Franci *Volcarum albam tæniam* à sinistro humero in dextrum latus gestabant, ita Burgundiones è contrario *bandam coccineam* à dextrâ scapulâ (vnde dictam puto *escharpe*, corruptâ à *scapulari* voce) in sinistrum latus protensam ferrent: id quod Claudius Vergiacus Aurei Velleris Eques, & Liberæ Burgundiæ summus pro Rege Præfectus, à Sequanis nobilibus seuerè mandabat obseruari. Iam redeamus ad Salica.

Ioan. de Haynin in MS. comm.

LVMEN V.

Respondetur exemplis de Regum Franciæ, primæ stirpis, filiabus Regno exclusis.

Pag. 62. 63.



QVÆ obiter, & velut canis è Nilo, exempla Dominicus attigit, seriò confutare aggredior. Ad primum de Crothbergâ & Crothsindâ, Childeberti Parisiorum Regis filiabus, quibus posthabitis, Clotarius I. Childeberto fratri in Regno successit, respondebit Gregorius Turonensis: CHILDEBERTVS *Rex ægrotare cœpit: & cùm diutissimè apud Parisios lectulo decubuisset, obijt: cuius Regnum & thesauros* CLOTHARIVS *Rex accepit:* VLTROGOTTAM *verò* (eius viduam) *&* FILIAS *eius duas in exilium posuit*. Addunt San-marthani; *Timens fortè ne belli alicuius occasionem*

Lib. 4. c. 20. anno 562.

Lib. 2. c. 7.

sionem præberent. Quod ergo vi apertâ factum, Legi Salicæ imputari non debet; neque iustæ successioni, vt perperàm Norgerus, qui quatuor sæculis à Childeberti Regis obitu Vitam S. Landoaldi litteris consignauit.

Aimoini porrò verba de Childeberto Rege (quæ adfert Assertor in nouis chartarum plagulis, in quibus me, iam vrbanior, *virum doctissimum* vocat) in editione Ascensianâ anni M. D. XIV. in Wechelianâ Parisiensi M. D. LXVII. in Drouartianâ M. DC. III. & in Wechelianâ Hanouiensi M. DC. XIII. sic habent: *Eius Regnum* (Childeberti) *vel thesauri ad Clotharium redierunt*. Non igitur admittenda editio postrema anni M. DC. XLI. cui astutè & de industriâ insertum, *Lege redierunt*. In explicatâ Mête. Lib. 2. c. 19.

Ad alterum exemplum, & ad primum simul, ita Fauchetus: *Referre nolo filias Childeberti Parisiorum Regis, quia posset obijci, Clotarium illarum patruum adeò potentem fuisse, vt ipsi facilè fuerit eas intra Monasterij septa concludere: multò minùs loquar de filiâ Chariberti Parisiorum item Regis; quia opponetur, illam à patruo haud humaniùs habitam*. Rectè igitur Dominicus: *Vbi licentiâ & viribus pugnatur, leges silent*. Lib. 1. de Origine dignitatum c. 2. Pag. 77.

Ad tertium exemplum, de Clotilde Guntranni Regis filiâ: In primis ex Aimoino colligunt San-marthani, Guntrannum Regem nullas vxores habuisse, sed concubinas dumtaxat, *quæ legitimo ei non fuerant copulatæ coniugio*: adeoque de sinceris Clotildæ natalibus non constat. Deinde notum est, Guntrannum Regem Childeberto ex fratre nepoti Regnum suum ex pacto reliquisse, quod refert Gregorius Turonensis; *eâ conditione seruatâ, vt quem Deus de ipsis Regibus superstitem esse præceperit, Regnum illius qui absque filijs de præsentis sæculi luce migrauerit, ad se in integritatem iure perpetuo debeat reuocare, & posteris suis Domino auxiliante relinquere*. Si ergo Salica Lex apud Francos pro Regni successione vim habuisset, inter illos Reges opus pactione non fuisset. Lib. 3. c. 76. Lib. 2. c. 10. Lib. 9. c. 20. anno 582.

Sed obijcit prætereà Dominicus, feminas ad Regni successionem non vocari, patère ex nobili exemplo, quod exstat in Vitâ sancti Eligij; in quâ B. Audoenus de prænuntiatâ à S. Præsule Clotarij iunioris natiuitate sic verba facit: *Cùm adhuc in vtero esset inditus, & Regina ob id magnoperè pauitaret, verens ne filiam ederet, & ob hoc Regnum succumberet; veniens ad eam Eligius, alacriter eam recreauit, atque coram omnibus puerperam vocitans, partum eius masculum pronuntiauit*. Cur Reginam, Dominice, non nominas *Fredegundim*, è quâ tam nobile sumis exemplum? illa ex familiâ Magnacarij Ducis adscita, Chilperici I. Regis priùs concubina fuit quàm vxor: cumque famularetur Audo- Cap. 31. Gregor. Turon. l. 5. & 6.

 uerę

ueræ Reginæ, thorumque regalem clàm adiret, Regi persuasit, vt Audoueram coniugem eum filiâ in Monasterium detruderet. Eius quoque factione *Chilpericus Clodoueum filium suum cultro interfecit*. Chilpericus deinde Galswintham, Aranagildi Regis Hispaniæ filiam, matrimonio sibi copulauit: sed posteà *ferialibus furijs exagitatus, instigante* FREDEGVNDE, *eam in strato quiescentem crudelissimè strangulauit. Immane facinus, nullique anteà cognitum Tyranno, ac Franco homini, maximè* REGI, *penitus incognitum: coniugem innocuam, & quam ab hostibus raptam vindicari ferro, aut mortem pro eâ oppetere decuerit; hanc securam in communi thoro cubantem suffocare non erubuisse. Demens, qui illius* MERETRICVLAE *persuasionibus tantum connubij violaret decus, cuius fraude in proximo erat perimendus*. Hæc Aimoinus: quibus addit Vrspergensis Abbas, *Fridegundem, genere infimam, in duarum vxorum locum quasi legitimam successisse*. Sed alio loco subnectit Aimoinus: *Landericus, qui tunc Comes & Maior erat domus Regiæ, cum Reginâ* [Fredegunde] *stupri habebat commercium; eiusque consilio Chilpericum Regem interfici mandauit: quo facto* (dixit Landetico Fredegundis) *nos securi à mortis periculo cum filio regnabimus*. Quibus verbis insinuabat illa se Clotarium iuniorem non ex Chilperico Rege, sed ex Landerico genuisse. Quod etiam colligitur ex ijs, quæ post Chilperici fratris necem Guntrannus pronuntiauit: *Veni igitur, & ecce absconditur mihi puer; vnde, quantum intelligo, nihil est quod promittitur; sed, vt credo, alicuius ex Leudibus nostris sit filius: nam si de stirpe nostrâ fuisset, ad me vtique fuisset deportatus: ideoque noueritis, quòd à me non suscipietur, nisi certa de eo cognoscam indicia*. Nihilominùs tres Episcopi, alijque complures viri, sacramenta dederunt, eum à Chilperico Rege generatum fuisse: quia nempe (vt alibi Gregorius) *timebant Sacerdotes Dei Reginæ furorem*.

Geneal. Regum ex V. C. Regis Británn. Aimoin. l. 3. c. 5.

In Chron.

Cap. 57.

Greg. Turon. lib. 8. c. 9.

Lib. 5. c. 19.

Iam videamus, quid in Salicæ Legis emolumentum ex ignominioso illo Dominici exemplo erui possit. *Timebat Regina, ne filiam pareret, & ob hoc Regnum succumberet*. Illa tamen etsi filiam peperisset, Regnum Lege Salicâ non succubuisset, quia ex Regio stipite masculi supererant, *Guntrannus* Rex Burgundiæ, & *Childebertus* Rex Austrasiæ. Non ergo illam ob causam metuebat Fredegundis; sed ne, si filiam peperisset, illa à potentioribus consanguineis, regnandi causâ, in Monasterij septa cum matre protruderetur, vt antè de alijs apertâ vi factum fuerat.

LVMEN

LVMEN VI.

Salicæ Legis vſus communis fuit Francis Occiduis, Italis, Burgundionibus & Germanis; ſed quoad Regnorum ex virili genere ſucceſſionem, nec admiſſus nec ſeruatus.



VID circa Legem Salicam ſtatuerit Carolus Magnus, docet Carolus Sigonius: *Legem etiam Salicam*, inquit, *in Italiam intulit. Erat autem* SALICA *idem quod* FRANCICA. *Siquidem Franci Orientales* SALII *appellati. Ita ab hoc tempore tribus Italia legibus vixit, Romanâ, Longobardâ &* SALICA. *Obſeruatum eſt autem, vt, quâ quiſque lege viuere vellet, profiteretur, atque ex eâ ius illi diceretur. Quam conſuetudinem Italia vſque ad Lotharij II. Imperatoris tempora conſeruauit.* Textum hunc integrè retuli, quia Dominicus datâ operâ omiſit illa verba: *Siquidem Franci Orientales Salij appellati*: quibus ſuppreſſis, falsò affirmat, Sigonium nullum inter Legem Salicam & Francicam diſcrimen attuliſſe. Lib. 4. de Regno Italiæ. Pag. 147.

Iuguttha Tommaſius eadem quæ Sigonius refert, & addit præterea: *Conſuetudo illa obſeruata fuit Senis vſque ad annum* M. CC. *vt videre eſt in pactis pleriſque; in quibus contrahentes ſe obſtringunt ad obſeruationem alterutrius legis, pro debito nationis ex quâ ſunt oriundi.* Eiuſmodi contractus plerique deſcripti extant in membraneo Volumine chartarum numero CCC. quod eſt *Abbatiæ Berardengæ*, in territorio Senenſi; vocaturque in antiquis inſtrumentis *Monaſterium S. Saluatoris, ſitum in campo Fonte bonâ.* Qui nominantur in chartis, ſunt penè omnes *Berardeſchi Comites*, illius prouinciæ & adiacentis Cretæ ditionis olim Domini. Ex illo venerandæ antiquitatis Codice MS. ad me miſſæ ſunt chartæ plures: ex ſelectioribus hæc exſcripſi, barbarâ ſcriptione non immutatâ. Lib. 3. Hiſtor. Tenenſis.

Ex primâ: *Ego in Dei nomine* WINIGIS *Comes Senenſe, filio quondam Reghinari, & coniux mea* RICHILDA, *&c. donamus atque tradimus ad baſilica noſtra, quam nos in honore Domini & Saluatoris ædificauimus in loco nuncupante Campi, & Fonte bonâ, ſuper fluuio Cogiâ, pago Senenſe, &c. res noſtras in Caſprinâ, quæ nobis da quondam Odone & Albiſinda* SALIGOS *per cartula euenerunt, &c. cum ſeruos & ancillas, cum manſis caſtricijs & mancipij ſeruis, pro ſeruis Aldijs, pro Aldijs liberis, pro liberis omnia, & in omnibus rebus eſquiſitis, totum atque integrum donamus atque concedimus, & ſecundùm* LEGEM *noſtram* SALIGAM *firmamus per feſtucam, &c. Facta donatio & traditio hanc in ſeptimo decimo* Anno 872.

cimo anno imperij Domino LUDOVICI *Imperatori, filio* LOTHARI *quondam Aug. mense Feb. indict.* XV. *feliciter.*

Anno 881. Ex secundâ: *Manifesti sumus, nos* WINIGIS *Comes Senense, & RICHILDA ingalibus, eò quòd in proprijs rebus nostris ædificauimus Ecclesiam in honore Domini Saluatoris nostri, in loco nuncupante Campi, & vocitatus Fonte bona, super fluuio Cogiâ, pago Senense, &c. Hanc scriptionem per fistucam, wasonem, & andilaginem, & sponsionem suprà scriptorum; ramos de arboribus iure ipsius Monasterij tradedimus perpetualiter habendum, & possidendum, pro mercis & remedium animæ nostræ, vel parentum nostrorum; dedimus, & tradidimus, atque confirmauimus, tam ista scriptionem, quàm & illis anterioris dotis* SECUNDUM NOSTRAM SALIGAM LEGEM *firmauimus perheniter, & in ipsum almum locum possidendum, &c. Actum Sena. Datum anno primo Domini* KAROLI * *diuinâ ordinante prouidentiâ Imp. Aug. mense Aprili, indictione quartâ decimâ.*

* *Crassi*,

Ex tertiâ: HENRICUS *gratiâ Dei Imperator Augustus, anno Imperij eius, Deo propitio, decimo, Idus Decembris, indictione septimâ. Ideò nos* RAINERI SALIGO, *filio bonæ memoriæ Berardi, & Icta ingalibus, filia b. m. Tarolfi, qui fuit Comes, &c. Actum Senâ locus in casâ nostrâ Dominicâ, qui est intus Castello nostro de Monte aperto. Signa manum prædictorum ingalibus, qui anc chartam offertionis & traditionis, sicut suprà legitur, scriuere rogauerunt. Azo iudex Domini Imperatoris. Signa manum Adelmi* SALIGO, *filio Hrameri* SALIGO, *rogatus testes. Signa manum Pinanti* SALIGO, *filio Amizij* SALIGO, *rogatus teste. Signa manum Dibaldi* SALIGO, *filio VVidelmi* SALIGO, *rogatus teste, &c. Petro Notario Domni Imperatoris post traditionem compleui & dedi.*

Anno 1024. Ex quartâ: *Anno ab incarn. Dom.* M. XXIV. *mense Octob. indict. octauo, manifesti sumus, Nos Ildiprando & Berardo, filij b. m. Berardi, qui fuit* SALIGO, EX GENERE FRANCORUM, *offerimus in Monasterio Domini & Saluatoris nostri, qui est in Casalis campi, & in vocabulo ad Fonte bonâ, vna casa, & res, &c.*

Anno 1054. Ex quintâ: *Constad nos* CLARIZO, *filio b. m. Raineri & Rotilda, qui Gilda vocata, ingalibus, filia Tebaldi, qui professa sum ego, ex natione meâ,* LEGE VIVERE SALIGA; *similiter ex nunc pro ipso viro meo* LEGE VIVERE LONGOBARDORUM, *&c. Acta Rosellano, locus de Castello dotale. Facta anc cartula anno ab incarnat. Dñi nostri Jesu Christi* M. LIV. ERIGUS *gratiâ Dei magnus Imperator Aug. anno Imperij eius in Etaliâ octauo, die Martis: quod est decimo die mensis Madi, indict. septimâ.*

Anno 1056. Ex sextâ: *Manifesti sumus, Ego Ildibrando* SALIGO, *filio b. m. Berardi* EX GENERE FRANCORUM, *accepisse, sicuti in presentiâ testium accepit ad te Petro, Abbas de Monasterio S. Saluatoris, solidos quadraginta, finitum*

tum pretium, pro integrâ medietate de due petie de terrâ, &c. Actum Senense, &c. & facta à me carta anno Dom. incarn. M. L V I. *regnante* ERIGO *felicissimo Rege, anno eius decimo, mense Octuber, indict. nonâ.*

Ex septimâ: *Ideò nos* ALDEBRANDO *&* BERARDO *ggi &* SALIGI, *in Dei nomine*, LEGE VIVENTE SALIGA, *filij b. m. Berardi, similiter* LEGE VIVENTE SALIGA, *diuinâ inspiratione compuncti, &c. Ego quidem Bertrannus Iudex & Notarius hoc instrumentum venditionis post tradita compleui, & dedi anno Dom. incar.* M. C. V. Anno 1105.

Ex octauâ: *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, anno Dom. incar.* M. C. IX. *mense Februarij, indict. tertiâ, manifesti sumus nos* ALBERTO, *filius quondam Vgoni & Gaodia, filia quondam Roduulfi iugalibus, &c.* SECVNDVM NOSTRA SALIGAM, *per cultellum, fistucum nodatum, guantonem & guasonem terræ, atque ramum arboris, legitimam & corporalem vestituram facimus, & nos ex inde foras expulimus, &c. Ego* TEZO *Notarius compleui, & dedi.* Anno 1109.

Ex nonâ: *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, anno Dominic. incarnat.* M. C. XXI. *pridie Kal. Ienuarij, indict. quartâ decimâ, manifesti sumus, nos* HVGO *&* PAGANO *filijs Bernardi & Iolittæ, genetrice nostrâ, filiâ Federigi; ipsius namque filij meis mihi consentiente, & nos professi sumus* LEGE VIVERE SALIGA; *per anc cartula venditionis vendimus, & tradimus tibi* GVIDONI, *Abbas de monasterio S. Saluatoris, sito Fonte bonâ, &c. Insuper nos,* SECVNDVM LEGE NOSTRA SALIGAM, *per cultellum, fistucum nodatum, guantonem & guasonem terræ, atque ramum arboris, legitimam & corporalem vestituram facimus, & nos ex inde foras expulimus. Ego Tezzo Notarius post tradita compleui, & dedi.* Anno 1121.

Hactenus Senense chartularium, in quo verba illa de Berardo Saligo, *ex genere Francorum*, caue intelligas de Francis Occiduis, qui *Salij* numquam fuêre appellati; sed de Ortiuis, qui verè & propriè *Salij* dicebantur, vt notat Sigonius; quique *Italis accolæ & contermini* (vt disertè Agathias) *circa fluuium Rhenum habitabant*; vnde transmeabant in Italiam, ibique suas sedes collocabant, & Salicâ viuebant Lege.

Ex illis porrò monumentis clarum est, Legis Salicæ vsum in Italiâ licitum fuisse; sed ad Regum successiones non extensum, conuincunt hæc eorum Stemmata per feminas à Carolo Magno deducta.

Primum Stemma Regum Italiæ.

1. Carolus Magnus Imperator: vxor Hildegardis.
2. Ludouicus Pius Imperator: vxor Ermengardis.
3. Gisla vxor S. Euerardi Ducis Foroiuliensis.
4. Berengarius I. Rex Italiæ: vxor Bertila.
5. Gisela vxor Adelberti Marchionis Eporediæ.
6. Berengarius II. Rex Italiæ: vxor Willa.
7. Adelbertus Rex Italiæ: vxor Gerberga.

Alterum Stemma Regum Italiæ.

2. Ludouicus Pius Imperator: vxor Ermengardis.
3. Lotharius Imperator, alterius Ermengardis maritus.
4. Lotharius Rex Lotharingiæ: Waldrada vxor superinducta.
5. Bertha vxor Theobaldi Comitis Arelatensis.
6. Hugo Comes Prouinciæ, Rex Italiæ: vxor Alda.
7. Lotharius Rex Italiæ: vxor Adelheis.

In Regno Burgundiæ Transjuranæ similiter Legem Salicam pro priuatorum iure locum habuisse colligitur ex Guillimanno, qui profert litteras Ludouici Regis, Arnulphi Imp. filij, pro manumissione Ioannis Scudi Glaronensis; quas ipsi subministrauit *ex eadem nobilissimâ & antiquissimâ familiâ Ægidius Scudus*; sic autem habent: *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.* HLVDOVICVS *diuinâ fauente gratiâ Rex. Nouerint omnes Fideles nostri, præsentes scilicet & futuri, quia* NOS, *rogatu* PVRVCHARTI, *dilecti Comitis nostri, quendam proprium seruum nostrum,* IOHAN *nominatum, in præsentiâ Fidelium nostrorum, per excussionem denarij de manu illius,* IVXTA LEGEM SALICAM, *in eleëmosynam nostram, liberum dimisimus, & ab omni iugo seruitutis absoluimus; eius quoque absolutionem hoc scripto firmauimus, quam in omni tempore firmam inuiolabilemque mansuram esse volumus. Præcipientes ergo iubemus, vt sicuti reliqui manumissi, qui per huiusmodi titulum absolutionis à Regibus vel Imperatoribus Francorum noscuntur esse relaxati ingenui; ita deinceps memoratus* IOHAN *benè ingenuus atque securus existat. Et vt istius ingenuitatis pagina firma stabilisque consistat, anulo*

Lib. 2. Heluet. c. 11.

nulo nostro eam consignari iussimus. Ernustus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognouit. Data II. *Kal. Iun. anno Incarnationis Domin.* DCCCC. VI. *indict.* VIIII. *anno Regni Domini* HLVDOVICI VII. *Actum in Rotuuillâ feliciter. Amen.*

Verùm ad Coronam Regni Burgundiæ, Salicæ Legis ductu, Reges posthac non peruenisse, datur intelligi ex hac illorum serie à Carolo Magno Imp. deductâ.

Stemma Regum Burgundiæ.

1. Carolus Magnus Imperator: concubina nomine Regina.
2. Hugo I. Abbas Dux Burgundiæ: vxor IVTHITTA.
3. Adelaid, vxor Conradi maioris, Ducis Burgundiæ.
4. Conradus minor, Comes Burgundiæ Transjuranæ: vxor N.
5. Rudolphus I. Rex Burgundiæ: vxor Gisla.
6. Rudolphus II. Rex Burgundiæ: vxor Berta.
7. Conradus Rex Burgundiæ: vxor Mathildis.
8. Rudolphus III. Rex Burgundiæ: vxor IRAINSIDA, ἄπαις.

In Germaniâ quoque Salicæ Legis vsum viguisse docent monumenta, in quibus mentio *Terræ Salicæ, Salicorum prædiorum, clientum Salicorum*, & *Salici codicis*. Sed ad Sceptra non extensus fuit ille vsus: nonnulli enim Reges, qui rerum in Germaniâ potiti sunt, Salico ductu à Carolo Magno non oriebantur. Pontanus lib 6.c.17.

Adelboldus Traiectensis Episcopus de Henrico II. Imp. & Germaniæ Rege: *Sic in Ducatu vixit, quòd omnibus placuit, vt de Ducatu transduceretur ad Regnum, de vexillo extolleretur in solium hæreditarium.* HÆREDITARIVM *dicimus, quia, vt ab his qui Genealogias computare nouerant audiuimus, à* KAROLO MAGNO *ex parte patris decimam septimam, ex parte matris decimam sextam lineam propagationis tenebat.* Certè à Carolo Magno totidem lineis masculinâ serie prosapiam non ducebat Henricus II. sed (interrupto per feminas stemmate) ab Ansberto Duce, Caroli Magni apud Austrasios Francos progenitore primo. In Vitâ Henrici II.

Stemma sancti Henrici Imperatoris, Germaniæ Regis.

I. ANSBERTVS DVX.

II. ARNOALDVS DVX.

III. S. ARNVLFVS DVX.

IV. ANSIGISVS DVX.

V. PIPINVS HERSTALIVS.

VI. CAROLVS MARTELLVS.

VII. PIPINVS BREVIS, REX.

VIII. CAROLVS MAGNVS IMP.

IX. LVDOVICVS PIVS IMP.

PATERNVM.	MATERNVM.
X. Ludouicus Rex Germaniæ.	X. Carolus Caluus Imp.
XI. Carlomannus Rex Bauariæ.	XI. Ludouicus Balbus Rex.
XII. Arnulphus Imperator.	XII. Carolus Simplex Rex.
XIII. Lutgardis, vxor Othonis Ducis Saxoniæ.	XIII. Ludouicus IV. Rex.
XIV. Henricus I. Imperator.	XIV. Mathildis Regina Burgundiæ.
XV. Henricus Dux Lotharingiæ & Bauariæ.	XV. Gisela Ducissa Bauariæ.
XVI. Henricus Dux Bauariæ.	XVI. Henricus II. Imperator.
XVII. Henricus II. Imperator.	

Cap. 5. Aliud è Germaniâ exemplum de Henrico III. Imp. edidimus in Vindicijs Hispanicis.

Quod verò attinet ad Occidentales Francos, ex Suggerio S. Dionysij Abbate claré colligitur, Salicam Legem quam habemus, ad il-
Cap. 11. los minimè attinuisse. sic enim ille de Ludouico Grosso Rege: *Assistunt equidem, qui magnificis exhortent supplicijs, multo etiam & sumptuoso seruitio, ad partes Bituricensium Dominum* LVDOVICVM *transmeare eâ in parte, quâ confinia Lemouicensium conterminant, ad castrum videlicet sanctæ Seueræ nobilissimum, & hæreditariâ militiæ possessiono famosum,*

famosum, pedite multo populosum, Dominumque illius virum nobilem HVNBALDVM,*aut ad exequendam iustitiam cogere, aut iure, pro iniuriâ, castrum* LEGE SALICA *amittere*. Illa verba intelligi non posse de Lege Salicâ quæ extat, vltrò fatetur Assertor; cùm in eâ de Feudo commisso, veluti adhuc ignoto, nihil sancitum reperiatur. Censet itaque mirè varius Dominicus, Salicæ Legis elogio *ius omne consuetudinarium* in Franciâ Occidentali seruatum significari. Vnde arguitur, morem Francorum Occiduorum, quem Suggerius nomine *Salicæ Legis* laudat, & probant aliæ auctoritates à Dominico adductæ, alium fuisse à *germanâ Lege Salicâ*, quæ à *Francis Saliis*, siue *Ortiuis* sancita fuerat; adeoque istam ab Occiduis pro successione marium, exclusis feminis, iniustè vsurpatam. Superest, vt Salicam Legem, in Occidentali Franciâ spretam pro Coronæ successione, nostris stabiliamus exemplis, quæ irrito conatu Dominicus impugnare tentauit. P. 53.

LVMEN VII.

Confirmantur exempla, quibus Regnum Franciæ Occidentalis non esse Salicum iam ostendi.

PRO I. EXEMPLO.

DE MEROVEO REGE.



VT probarem Merouecum non fuisse Clodionis Regis filium, testes adhibui non è triuio proletarios Stemmata duo, quæ Andreas Chesneus magno Reipublicæ litterariæ emolumento in lucem protulit: & prius quidem sic habet: Tomo I. P.793.

Genealogia Regum Francorum à Faramundo vsque ad Pipinum ex vetusto codice MS. *Conciliorum ac Capitulorum.*

Primus Rex Francorum FARAMVNDVS.
Secundus CHLVDIO filius eius.
Tertius MEREVIVS, filius MEREVEI.
Quartus CHILDERICVS, filius MEREVEI.
Quintus CLODOVIVS, filius Childerici, &c.

Ex isto Stemmate (cuius auctoritate vtitur Baro Antuellius) clarum est, Merouecum non fuisse filium Clodionis, sed alterius Merouei. Iam ex altero Stemmate, quod ex eodem Chesneo subiungo, constabit Chlodebaudum Clodionis filium fuisse, non autem Merouecum. In Proleg. Ministr. Franc.

Genealogia posterorum Clodionis Regis, qui hactenus ignoti fuerant, ex veteri MS. *Codice Legis Salicæ.*

1. Primus Rex Francorum FARAMVNDVS dictus est.

2. FARAMVNDVS genuit Cleno & CLVDIONO.

3. CLVDIVS genuit CHLODEBAVDO.

4. CHLODEBAVDVS genuit CHLODERICO.

5. CHLODERICVS genuit CHILDEVIO & Hlodmaro.

6. CHILDEVIVS genuit Hildeberto, Theoderico & HLOTHARIO.

7. CHLOTARIVS genuit Gunthario, Heriberto, Gunthrano, Hilprico, Chranno, & SIGEBERTO.

8. SIGEBERTVS genuit HILDEBERTO.

9. HILDEBERTVS genuit Theothberto, Theodorico, & CHILPERICO.

10. CHILPERICVS genuit Hlothario, Flodrio.

Tu vt ista pondera ab tuis ceruicibus excutias, velut ex Apollinis cortinâ pronuncias mendosa & falsa esse: eoque rem iniquâ contentione dirigis, vt Chesnei auctoritatem eleues, quem paulò antè nusquam satis laudandum asseruisti. Ille tamen Stemmata iamiam adducta tanti fecit, vt ea secutus sit in serie Merouingorum Regum; in quâ *Meroueum* Regem alterius *Merouei* filium fecit, non *Clodionis* Regis. Adieci porrò ad maiorem fidem ex Gregorio Turonensi, *Meroueum fuisse de stirpe Clodionis*; item ex Aimoino, *fuisse Clodionis affinem*. Vnde Ioannes Tillerus scitè: *Le Roy Merouée succeda collateralement au Roy Clodion*. Quia Clodioni Meroueus ex transuerso successit, dubio procul illo procreatus non erat.

Tomo 1. initio.

Cap. de Coronâ & domo Fr.

His omnibus opponis priscum Rhetorem, cuius hæc sunt verba de Attilâ: *Francos bello lacessendi occasionem ei subministrabat* REGIS *illorum obitus, & de Regno inter* LIBEROS *eius orta dissensio: quorum* MAIOR *natu* ATTILAM, MINOR AETIVM *in auxilium vocare statuerat*. HVNC [minorem] *nos Romæ legationem obeuntem vidimus adhuc imberbem, flauâ comâ, adeoque promissâ, vt super humeros circumfusa esset. Eum* AETIVS *filium à se adoptatum, multisque cùm ab ipso tum ab Imperatore ornatum muneribus, & amicum ac socium Pop. Romani appellatum dimisit*. Anno CD. XLVIII. Rex Clodio decessit: cuius Regnum

gnum occupauit Meroueus eius consanguineus, excluso Clodionis filio Chlodebaudo. Iste legitimus Regis defuncti hæres Romam pertexit, opem imploraturus; ac deinde anno CD. LI. vnà cum Aëtio Romano contra Hunnos pugnauit in Campis Catalaunicis, vbi Attila victus est. Priscus autem, Græco more, parum sedulus, nec Francorum Regem mortuum, nec eius filios nominibus compellat: vnde non est dubium illum etiam deceptum fuisse, vbi dissidentes de Regno Principes existimauit fratres fuisse. Audi Iusti Lipsij iudicium de Græcis Scriptoribus: *Ferè videmus eos, in externis præcipuè & peregrinis Historijs describendis, nullâ animi prouisione fugere potuisse, quin varia in rebus ipsis gestis peccarent, tum in nominibus, præcipuè proprijs, turpiter laberentur.* Non peccauit Priscus in nominibus, quia nulla protulit; sed in consanguinitate Principum, qui Francicum Regnum ambiebant, à vero aberrauit. Nihilominùs, vt Prisci narrationem erroribus implicitam firmes, adducis Gregorium Turonensem; cuius verba & sensum, quia iniquè detorsisti, fideliter proferam, & explicabo: *Expleto bello* [in Campis Catalaunicis] *ait* AETIVS *Thorismodo, Festina alacriter redire in patriam, ne, insistente germano, patris Regno priueris. Hac ille audiens, cum velocitate discessit, quasi anticipaturus fratrem, & prior patris cathedram adepturus: simili & FRANCORVM REGEM dolo fugauit. Illis autem recedentibus,* AETIVS *spoliato campo victor in patriam cum grandi est reuersus spolio.*

Lib. 3. Variar. c. 20.

Lib. 2. c. 7.

In primis Regem illum Francorum à Gregorio memoratum tu malè diuinas fuisse Merouеum; Chlodebaudus enim erat, Clodionis filius, iure sanguinis Francorum Rex, qui Aëtio adhærebat, vt in paterno Regno, quod Meroueus vsurpauerat, restitui posset. Dolum deinde, quo Aëtius vsus est vt Thorismodum Regem Gothorum in patriam abigeret, tu Merouеo iterùm malè tribuis, qui ab Attilæ partibus stabat. Prætereà quamuis dicat Gregorius, de Aëtio loquens; *Simili & Francorum Regem dolo fugauit*; similis dolus non fuit idem dolus; in eo tantùm alteri par, quòd metum Chlodebaudo incusserit de Regni eius per alium adeptione; at certè non per fratrem; cùm ex eodem Gregorio detur intelligi, Chlodebaudum & Merouеum fratres non fuisse: postquam enim meminit Gregorius illius Regis Francorum, quem Aëtius dolo abegit in patriam (qui sine dubio Chlodebaudus erat, Clodionis filius, qui cum Aëtio in acie versatus fuerat) agit postmodum de Merouеo, quem *de Clodionis stirpe* fuisse asserit, non Clodionis filium. Itaque, quia duo tunc erant Franciæ Reges, Chlodebaudus iure, Meroueus vsurpatione; dicendum est, Merouеum non fuisse Clodionis filium, nec Chlodebaudi fratrem;

adeóque

adeoque Salicam Legem in electione Merouei seruatam non fuisse, quæ hæreditatem Chlodebaudo, Clodionis filio, dabat. Alia quæ in contrarium attulisti leuis adeò sunt momenti, vt refutatione non egeant.

PRO II. EXEMPLO.

DE ÆGIDIO ROMANO FRANCORVM REGE.

Gregor. Turon. lib. 2. c. 12. Aimoin. lib. 1. c. 7.

EIECERVNT Franci de Regno Childericum Regem, quòd nimiâ luxuriâ dissolutus filias eorum stupro corrumperet: ÆGIDIVM deinde, ex Romanis, militiæ Magistrum VNANIMITER elegarunt in Regem; qui clauum Regni tenuit annis octo. Sed cùm tandem Francorum potentiores aliquos gladio necari iussisset Ægidius, Franci, eo relicto, Childericum reuocarunt; satius ducentes impudico Regi subijci quàm crudeli. Atque hæc ratio fuit cur aliqui scripserint, Francos Ægidium, *consilio non bono*, Regem supra se statuisse; quòd nempe ille sæuus, & fundendi sanguinis auidus esset; non autem Salicæ Legis causâ; cuius, pro successione Regni, æui illius Auctores ne verbo quidem meminerunt. Non ergo tunc à Francis violatum est Salicum ius, quod apud illos nullum erat: nec ego ex iniuriâ, inaudito ratiocinationis genere, argumenta mea deduxi.

PRO III. EXEMPLO.

DE CAROLO MARTELLO.

HÎC Palæmonem Dominicus agit; longâ siquidem lectione docet insulsus eruditionis ostentator, Maiores Domus ita rerum summam aliquando occupasse, vt *Regiâ* etiam appellatione cohonestarentur. Cuius obseruationis prodromos habuit viros doctos, Martinum Meurissium Præsulem, & Thomam Aquinatem professione Carmelitam; quos vidi, & legi priùs quàm iste blatero argumentum grauissimum declamatorio more tractandum sibi proponeret: & tamen, si Deo placet, inter multa quæ mihi incognita illud etiam me fugit, à Recentioribus Duces, & Maiores Domus, *Reges* dictos fuisse. Bona verba, Dominice; malè tenes quæ scripsi: neque enim asserüi, Carolum Martellum re ipsâ Regem fuisse; etsi id insinuat Chronicon vetus ex MS. Tilliano, quod sic habet:

Tomo 1. Script. p. 773.

Theodericus regnauit annos XVII.
CAROLVS *sine alio Rege imperauit annos* IX.
Childricus regnauit annos IX.
Pipinus regnauit annos XVI. *&* *dimidio*.

Et

Et firmatur Chronico Childebrandi, vbi hæc leguntur: *Carolus Princeps* [post] *cuncta* SIBIMET *acquisita Regna victor regressus est, nullo contra eum rebellante.* Id vnum ostendisse satis fuit ex veteri Codice M s. Niuellensi, qui Bruxellæ seruatur in Bibliothecâ Regiâ, Martellum à Francis requisitum, vt Regnum Franciæ accipere vellet. Quod non abest ab ijs, quæ ex Guidone Albericus refert: *Karolus significantibus sibi, cùm Regnum tam nobile possideret, quòd insignire diademate regio se deberet; fertur elegans dedisse responsum; scilicet, quòd ei sufficeret; cùm, si nomen Regis assumeret, esset possibile maiorem se vel parem alicubi Regem inueniri, nusquam verò Ducem vel Principem posse sibi parem reperiri.* Quæ manifestè arguunt, Francos nullam ad Regnum Salicæ Legis rationem tunc habuisse; quandoquidem Martellus, qui ad regnandum ab ipsis inuitabatur, à Merouingis Regibus virili serie ortus non erat. C. 109. Anno 750.

PRO IV. EXEMPLO.

DE PIPINO REGE.

IN aduersario pacis & concordiæ mira cupiditas, dum nescit in quam partem se conuertat; hinc agnoscens Pipinum legitimè regnasse, illinc masculino ductu à Regibus oriundum non fuisse. sic ergo me blandioribus verbis alloquitur: *Si Legis Salicæ verba attenderis, feminam quidem à successione penitus remoueri, quamdiu proles mascula superererit, statim intelliges; sed hac deficiente, non prohiberi, vt à feminarum cognatione orti ad successionem vocentur. Per Legem siquidem mulier hæreditatem capere non potest: verùm eius filij & nepotes, paterno deficiente genere, incapaces non declarantur, cùm impedimentum exstet in sexu, non in maribus ex eo genitis. Sic nullis de Merouingiorum stirpe masculis superstitibus, per Legem Salicam Pipinus à Regni successione non remouebatur.* Verùm fatearis mihi necesse est, Dominice, Chilperico adhuc superstite, qui ex genere paterno Rex erat, Pipinum coronam accepisse. Id clarè insinuat Monachus S. Eparchij: *Childerico insensato deposito de solio, & facto Clerico in Monasterio, Franci cum consilio Domini Papæ Zachariæ & nobilium Romanorum, Deo volente, vno consensu, & vnâ voluntate, eleuauerunt sibi in Regem Pipinum Pium, filium Caroli Martelli.* Item Bertiniani Annales: *Pipinus secundùm morem Francorum electus est in Regem, & vnctus per manum sanctæ memoriæ Archiepiscopi Bonifacij, & eleuatus à Francis in Regno in Suessionis ciuitate;* HILDERICVS *verò, qui falsò Rex vocabatur* (quia solo nomine regnabat) *tonsoratus est, & in Sithiu Monasterium missus.* Præterea, cùm in In Vitâ Car. M. Anno 751.

 Bertinensi

Auent. lib. 3. Bertinensi Cœnobio, in Atrebatibus, primùm egerit attonsus Chilpericus; translatus deinde ad Ratisbonense S. Himerani in Bauariâ; Anno 754. ac postremò in alio obijsse indicetur ab Alberico istis verbis; *Hildricus, vt dicitur, iacet in Abbatiâ Maurimontis*; dubium non est illum annis aliquot vixisse post sublimationem Pipini. Tu idcircò, qui id non ignorabas, ad sæculi statum te conuertisti, ad Regum ignauiam & Reipublicæ necessitatem, vt præter Legum iniuriam Pipini factum persuaderes: sed nihil Legis iniuriâ fieri potuit, vbi ex eo capite Lex non erat solita obseruari.

PRO V. EXEMPLO.

DE WIDONE REGE.

OSTENDI Widonem Spoletanum Ducem, quia à Regibus serie femininâ ortum ducebar, postulatum fuisse à Francis vt Regni Lib. 1. c. 6. gubernacula susciperet. Tu contrà obijcis ex Luitprando, *VVidonem Romæ absque Francorum consilio, totius Franciæ vnctionem suscepisse Imperij*. Franci tamen *Odonem* (ex eodem Auctore) *quoniam VVido aberat, Regem constituerunt*; ac si præsente Widone Regum consanguineo id non fecissent. Wido nihilominùs, eorum quæ in Franciâ acta fuerant ignarus, *Franciam petijt, cumque Burgundionum Regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, Francorum nuntij ei occurrerunt, se redire nuntiantes, eò quòd longâ* EXPECTATIONE *fatigati, dum sine Rege esse diutiùs non possent, Odonem cunctis petentibus elegissent*. Ex quibus agnoscas licet, velis nolis, Widonem à Francis expetitum fuisse, & diu expectatum, vt Regnum ipsi conferretur. Cur autem Wido, cùm tardè aduenisset, admissus non fuerit, aliam hanc, sed lepidam rationem Luitprandus adfert: *Fertur autem hac occasione Francos VVidonem Regem sibi non assumpsisse; nam cùm ad Metensem venturus esset vrbem, quæ potentissima in Regno Lotharij claret, præmisit Dapiferum suum, qui alimenta illi more regio præpararet. Metensis verò Episcopus, dum cibaria ei multa secundùm Francorum consuetudinem ministraret, huiusmodi responsa à Dapifero suscepit: Si equum saltem mihi dederis, faciam vt tertiâ obsonij huius parte sit* REX WIDO *contentus. Quod Episcopus audiens; Non decet, inquit, talem super nos regnare Regem, qui decem drachmis vile sibi obsonium præparat. Sicque factum est, vt VVidonem desererent, Odonem autem eligerent.*

Insuper cùm actum posteà fuit de restituendâ, Odone posthabito, Flodoar. lib. 4. c. 5. Carolo Simplici iam adulto Regni administratione, *rogauerunt Proceres, vt tale* CAPVT *communi consilio statueretur, per quod securi possent esse*

esse subditi; intendentes vel in WIDONEM, *vel in hunc regiæ prosapiæ* CAROLVM: *& simul considerantes qui affuerant, ad quem melius attendere deberent; visum illis est, propter acquirendam Regni vtilitatem, & ipsius Arnulfi cauendam contrarietatem, propter rectum congruumque regij generis Principatum, vt ad hunc* KAROLVM *se conuerterent; credentes quòd Arnulfus hoc de propinquo suo gratum haberet, ipsique & Regno præsidium ferret.* Ex quibus patet, etsi meritò Carolus Widoni prælatus fuerit; nihilominùs Widonem, vt regnandi capacem, à Francis Proceribus iteratò propositum fuisse; quamuis per matrem dumtaxat Caroli Simplicis propinquus esset, adeoque non vi Salicæ Legis.

Quod addis ex Fragmento Vitæ Ælfredi Angliæ Regis, *Rodulfum, Odonem, Berengarium, & VVidonem* Reges, Regni Francorum hæredes *ex paternâ parte* non fuisse; id pro me facit ad impugnationem Salicæ Legis; ad quod mihi sufficit (accuses licet quantum volueris turbidum Reipublicæ statum) illos ex maternâ parte potuisse constitui Reges.

PRO VI. EXEMPLO.

DE ODONE REGE.

AGE verò, quando ita placet Dominice, spatiosam mecum ingredere arenam: numquam enim ego congressum veritus sum, nec litterarij huius certaminis aciem subterfugi: quis nostrûm cum mortuis fuerit versatus accuratiùs, aliorum erit iudicium. Asserüi cum Fulcone, Regem Franciæ *Odonem prodijsse ex alienâ à Regibus Carlouingis stirpe:* Tu verò contrà iactas, Fulconem à me & ab alijs omnibus huc vsque malè intellectum; sed fronte multa promittens, in recessu nihil habes. Stemma enim Childebrandi, quod tanto cum apparatu suprà retulisti, & modò repetis, falsum esse iam ostendi primis ac Genealogicis huiusce libri Luminibus. Quâ ratione autem ODO externus Regnum adeptus sit audi ex tuis Auctoribus, & in primis disce germanum Fulconis sensum, quem solus nescire voluisti.

Fulco Remensis, testis oculatus, *Odonem, à stirpe regiâ alienum,* opposuit *VVidoni Principi, & paruo Carolo eius propinquo; quos de regali totâ progenie remansisse* testatus est. Deinde Arnulpho Imperatori scripsit, *vt Odoni mandaret, ne Regnum Franciæ* INVADERE *aut deprædari præsumeret.* Tum ait, *coactum se fuisse eius hominis (videlicet Odonis) dominatum suscipere, qui* AB REGIA STIRPE EXISTENS ALIENVS, *Regali* TYRANNICE *abusus fuerit potestate; cuius & inuitus hactenus* Flod. l. 4. c. 5. Lib. 4. c. 3. Cap. 5.

tenus dominium sustinuerit. Quibus verbis notat iniquum & violentum Odonis dominatum, quia regium nomen externus sibi falsò vsurpauerat. Deinde, si Odo à Childebrando, Caroli Magni propatruo, prosapiam duxisset, Caroli Simplicis, etsi remotiori gradu, in regiâ eadem familiâ agnatus fuisset; & sic *ex eadem stirpe*, non *ab illâ alienus* (vt scitè Fulco) qui vetè Regnum vsurpauit, partim Procerum metu adiutus, partim coniuratione. Albericus ad annum DCCC. LXXXVIII: *Normanni fugati à ciuitate Parisius Senonas venerunt; quorum* TIMORE *Waltherus Senonensis Archiepiscopus vnxit* ODONEM *in Regem, vt exiret contra eos.* Fragmentum Historiæ Aquitanicæ: *Tunc Franci coniurantes contra Carolum iuniorem eijciunt eum de Regno, &* ODONEM *Ducem Aquitaniæ eleuant.* Iam audi ampliùs, quomodo in ipsâ Regni curâ Odo benè se gesserit. Annales Fuldenses ad annum DCCC. XXCVIII: *Odo, filius Rodberti, vsque ad Ligerim fluuium & Aquitaniam Prouinciam* SIBI *in vsum* VSVRPAVIT.

Anno 994. Guido apud Albericum prolixiùs: *Ad reprimendam quorumdam insolentiam superborum, & retundendam latè bacchantium rabiem Normannorum, de consensu Principum conscensus ad regalis Coronæ gestamen concessus est* ODONI, *quousque spatia Regius puer nondum ad regnandum idoneæ percurrisset ætatis. Sed* ODO, *cùm quod optauerat obtinuisset, & Regium puerum non satis regaliter & minùs fideliter adoptasset, videns & inuidens ob eiusdem pueri gratiam, & debitam ei fidelitatem, separatos ab amicitijs suis & à Domino suo Regni Principes, exuere se* [Odonem] *paratos, & in Regem vngere puerum adultum; Fisci detrimento, Regni dispendio, sibi augmentare vires, illi* [Carolo] *minuere, distribuendo suis ciuitates, castra, prouincias, regiones. Quod attendentes* KAROLI *profectibus intendentes, captum de sub alâ tutoris solio regali sublimant. Qui Rex effectus, armis & odijs insectatur* ODONEM: *& tam longa fuit concertatio inter vtrumque bellorum, donec amicorum mediante consilio cessit* ODO *Karolo Franciam, Aquitaniam* ODONI *Karolus, conditione post ipsum recipiendi,*

Tomo 1. initio. *concessit.* Scipio Dupleix breuiter, sed disertè: *Postquam* ODO *factus fuit tutor Regis Caroli Simplicis, & Regni Gubernator, pupilli sui Coronam vsurpauit.* Vnde *Odonem* Ludouicus Cantetellus Faber *tyrannum*

Lib. 1. Consid. p. 103. appellat, hoc est, *alieni dominij vsurpatorem:* & Bouchetus mentis suæ immemor fatetur, *Odonem* à Francis in Regni solio fuisse constitutum

Pag. 136. SVPRA LEGEM, *pardessus la Loy*. Non igitur contumeliosè asserüi, Odonem à legitimâ Caroli Magni agnatione prorsus alienum fuisse, cùm ex eadem, quâ Carolus Magnus, Maiorum Domus familiâ non procederet.

PRO

PRO VII. EXEMPLO.

DE ROBERTO REGE, HVGONIS CAPETI AVO.

NATALES Odonis à Dominico malè vindicati, ne Roberto eius fratri velificari potuêre, vt Salicæ Legis obtentu Regnum affectaret tamquam Odonis successor; quinimò illum rebellasse, & tyrannidem palàm inuasisse, probant Auctores quos adduxit; & firmant alij quos subijcio. Chronicon breue Tillianum: *Mortuo Odone*, ROBERTVS *frater eius sine voluntate Karoli* INVASIT *sceptrum Regni sui fratris*. Gesta Normannorum, ante Rollonem Ducem, de Roberto: *Quia pars regiminis, quam germanus suus Odo tenuit, non redhibebatur, palàm* TYRANNIDEM *inuasit*. Continuator Willelmi Calculi: *Quia non ei reddebatur pars Principatus, quam frater suus* ODO, *antequam in Regem eligeretur, habebat*, REBELLAVIT *idem* ROBERTVS *contra* KAROLVM *Regem*. Ordericus Vitalis: ROBERTVS *Princeps* REBELLAVIT *contra* CAROLVM *Simplicem, vnctusque est in Regem*. Continuator Reginonis: *Apud Franciam superiorem graues & intestinæ discordiæ feruent inter* RVDBERTVM INVASOREM *Regni, & Carolum Regem*. Sigebertus Gemblacensis: ROBERTVS, *frater Odonis Regis, Regnum Francorum inuadebat*. Albericus: *Primo anno* ROBERTI *Regis* INVASORIS *Gotzelinus fit Lingonensis Episcopus*. Iterùm alio loco: *Auus Regis Hugonis, Rex & Regni* INVASOR ROBERTVS, *in bello Suessionensi fuit occisus*. Robertum denique Canterellus Faber *tyrannum*, hoc est *alieni raptorem*, nuncupat. Fuit ergo Robertus genere externus, post fratrem Odonem, Regni inuasor seu tyrannus; qui nullo Salicæ Legis respectu Carolum Simplicem auito solio deturbauit.

Lib. 8. c. 26.

Lib. 7.

Anno 921.

Anno 922.

Anno 920. & 988.

In Quæst. Histor. pag. 105.

PRO VIII. EXEMPLO.

DE RODVLPHO REGE.

HVNC non diffiteris, Dominice, extraneum fuisse à masculinâ Regum lineâ; quin id asseris ex Hugone Flauiniacensi, cuius verba hæc adfers: RODVLPHVS *regendæ præficitur Franciæ, & sic Regnum* AD EXTRANEOS *defertur*. Quâ loquendi formulâ, ais, nusquam vsus ille Hugo, dum de Odone & Roberto verba faceret. At Odo & Robertus ab alijs passim dicti sunt *vsurpatores*; quia similiter *genere externi* erant. Et Fulco Synchronus *Odonem* exprimit *ab Regiâ stirpe alienum*: quod idem est ac *stirpe extraneum*. Præterea Rodulphi

In Chron. MS.

Regis inaugurationem, superioris coniurationis appendicem voeas. Tu sensim ordinatam rebellionum seriem ex consanguineis ita instituis, vt Reges tuos ad solium, quo eorum posteri hodie fruuntur, coniuratione & vsurpatione conscendisse tandem sis euulgaturus.

Ad exemplum IX. quia Blanchiam, Ludouici V. Regis relictam, aduersus Geruasium Tilleberiensem, Hugoni Capeto nupsisse negas; ego illum Auctorem (penes quem sit fides) mordicus non defendo. Sed quod addis, Blanchiam eamdem Roberto II. Regi copulatam fuisse, mera coniectura est. Odoranni verba de Hugone Capeto, quæ maius momentum habent, iamiam examinabo.

LVMEN VIII.

Gesta parallela Odonis & Hugonis Capeti Regum. Mala Capeti artes ad vsurpandum Regnum.

PRO X. EXEMPLO.

DE HVGONE CAPETO REGE.

Ex Fragm. Historico, quo vtitur Dominicus. Odoranus an. 986.



LVDOVICVS Balbus moriens reliquit Carolum Simplicem filium suum nondum adultum; *cui tutorem dedit & Regni Gubernatorem* ODONEM *Burgundiæ Ducem.* Lotharius Rex ad mortem decumbens filium suum LVDOVICVM V. *commisit* HVGONI *Capeto Duci vnà cum Regno.*

Robertus in Chron. Autissiod. Anno 987.

Odo pupillum suum Carolum Simplicem asperè habuit, eiusque Regnum violenter vsurpauit. Hugo Capetus Ludouicum Regem tutelæ suæ commissum *persequi cœpit, & tandem eo superato Regnum obtinuit.* Quod ergo Odorannus ait, *Ludouicum iuniorem Regnum suum donasse Hugoni Duci;* intelligendum id ab infirmo vi illatâ extortum: *Ludouicus* enim *potu malefico periit.* & disertè vir magnus Belleforestius, quem tibi contrarium inter Sosias & Tybios referendum ducis: *Hugo Capetus, vt ad Regnum viam sibi pararet, Ludouicum Regem iuniorem veneno extinxit.* Illud dissimulaueram; sed ad veri enunciationem me compulit portentosum mendacium, quo scripsisti, *Reges Hispaniæ potentiam, quam nunc obtinent, per toxica & venena sibi comparasse.* Moderari parumper debueras Vasconicos istos impetus, & effusam calami intemperantiam, quâ passim intumuisti.

Vita S. Genulfi l. 2. c. 26. Lib. 2. c. 84. anno 987. p. 156.

Non te latet, Odonem ab Historicis *rebellem* nuncupatum fuisse, & *vsurpatorem Regni:* quo eodem epitheto Hugonem Capetum etiam compellant Hugo Floriacensis, Ordericus Vitalis, & Ioannes

Iperius: *Rebellauit contra Carolum* HVGO *Dux Francorum*. Sigebertus Gemblacensis: *Regnum Francorum* VSVRPAT HVGO, *filius Hugonis Parisiensis*. Wilelmus Nangius: *Regnum Francorum* CAPIT *Hugo Capucij*. Nicolaus Gillius: HVGO *Capetus à Francis quibusdam electus*, PER VIM *Rex fuit coronatus*. In Chron. anno 987.

Verùm ijs omnibus ita obloqueris: *Hugoni Capeto serie legitimâ sceptrum deferebatur cedentibus Veromandensibus. Et deficiente, ob Caroli Ducis abdicationem, Caroli Magni progenie legitimâ, ad alterum ex antiquâ Maiorum domus lineâ, ex quâ & ipse Carolus M. oriebatur, recurrendum erat.* Ad nugas & fabulas tuas redis: siquidem clarè docui, totum illud stemma deductum à Childebrando falsum & commentitium esse. Pag. 92.

Sed chartam adducis ex Monasterio Gellonensi, cuius hæc est subscriptio: *Actum Villari idibus Octobris, in anno, quo Karolus, ob leuitatem suam, iudicio Francorum fuit exheredatus; &* HVGO, *qui dicitur Capel*, SECVNDVM LEGEM *sublimatus*. Ex illâ Bouchetus infert, *Hugonem Capetum ad regiam peruenisse dignitatem vt Principem de familiâ Caroli Magni, &* EX LEGE REGNI, *non vt vsurpatorem*. Tu certè in tuo contextu conclusionem illam non elicuisti, qui operam tuam inutilem vtcumque verborum fuco commendas. Sed Bouchetus illa verba, *secundùm legem sublimatus*, de Lege Salicâ indoctè interpretatus est: quæ idem ac *secundùm morem eleuatus* significant. *Euocatum Gundoaldum* (inquit Aimoinus) MORE ANTIQVORVM FRANCORVM, *Regem proclamantes esse suum*, ELEVAVERVNT *super clypeum*. Ado Viennensis: *Sigebertus Francis consentiens*, MORE GENTIS *impositus clypeo, Rex constitutus est*. Conrardus Vrspergensis: *Burgundiones & Austrasij, factâ Pace cum Francis, Clotarium in Monarchiâ totius Regni Regem* SVBLIMAVERVNT. Habes morem, Bouchete, siue *non scriptam legem*, eleuationis & sublimationis Regum antiquorum in clypeo; quæ postmodum facta est in solio. Fragmentum Floriacense, & aliud S. Maglotij, de Hugone Capeto: *Nouiomi illum* SVBLIMANT *solio regio*. Illa porrò consuetudo, siue lex non scripta Regum sublimationis, nihil attinet ad Legem Salicam; cùm ex illo more Gundoaldus impostor, necnon & Rodulphus, qui Salicus hæres non erat, per Proceres Francorum sublimati fuerint in Reges. Pag. 136. p. 93. Lib. 3. c. 6. Æt. 6. Anno 997. Odoran. anno 923.

Non ergo ex subscriptione illius chartæ Gellonensis sequitur, Hugonem Capetum ex Lege Salicâ fuisse sublimatum; quinimò, quia Odonis Regis pronepos erat, vt ille ex alienâ stirpe oriundus fuit. Vnde Scipio Dupleix Historiæ suæ Tomum alterum ab Hugone Capeto sic orditur: *Hic iteratò Franci Legem Regni sui fundamentalem*

violarunt,

violarunt, Regale sceptrum à manu naturalium successorum IN EXTERNAM *transferendo.*

Ceterùm Hugo Capetus, quia iure Carolini sanguinis ad sceptrum non vocabatur, aliâ astutiâ & calliditate vsus est; quam sic refert Robertus Guaguinus: HVGO *ille Capetus, animi magnitudine & rebus potens, cùm eius conatus nemo reprimeret,* VI & ARMIS *Regni se diademate insigniri obtinuit, iactans ad eam rem se à sanctis VValerico & Richario per quietem fuisse admonitum; propterea quòd eorum corpora, dum de sepulcro ob metum Normannorum transferebantur, plurimo cultu honorasset, & ad propria loca reduci curasset. Addebat ad miraculum legitimam generis successionem: ab* ODONE *enim Andegauo, quem Franca nobilitas, propter* CAROLI *Simplicis pusillam ætatem, Regno suffecerat, originem ducere gloriabatur, eumque* PATRVVM *appellabat. Eius* ODONIS *frater* ROBERTVS HVGONEM *magnum Comitem Parisiensem cùm genuisset, fuissetque à* CAROLO *Simplice ob Regnum affectatum occisus; ipse* HVGO *Magnus* HVNC REGNI VSVRPATOREM CAPETVM *ex primi* OTHONIS *Imperatoris sorore tulit.* Audiendus etiam Franc. Belleforestius: *Hugo Capetus, præstantis, sed vafri ingenij Princeps, vt Regni vsurpationem, quam animo meditabatur, obtentâ specie sanctitatis aut superstitiosæ religionis obtegeret, sparsit in vulgus, per visum sibi à sanctis* [Walerieo & Richario] *mandatum fuisse, vt eorum ossa transferret; proque illo obsequio certum se esse debere de adeptione Regni, etiam ad plura sæcula in posteros transmittendi.* Vt verò huic narrationi claritas detur, ad ea quæ subiungo ex antiquioribus maximè attendi debet.

Lib. de Gestis Fräcorum. Tomo 2. lib.2.c.84.

Anno 752. *Pipinus à Stephano Papâ* (verba sunt Sigeberti) *cum filijs suis Karlomanno & Karolo, in Regem vngitur, & per eos generatio eorum in hæreditatem Regalis successionis in perpetuum benedicitur, & omnis* ALIENIGENA *ab eius inuasione Apostolico anathemate interdicitur.* Regino

Anno 753. Abbas de eodem Papâ: *Francorum Proceres Apostolicâ benedictione sanctificans, auctoritate B. Petri sibi à Domino traditâ obligauit, & obtestatus est, vt numquam* DE ALTERA STIRPE *per succedentium temporum curricula ipsi, vel quique ex eorum progenie orti, Regem super se presumant aliquo modo constituere, nisi de illorum* [Pipini & filiorum] *progenie.* Occasione aliâ Guido apud Albericum illius Regum prerogatiuæ

Anno 928. & 930. sic meminit: *Cùm Summus Pontifex, amore antiqui priuilegij* KAROLI *Magni,* GENERI REGIO *super eius expulsione de Regno condolens, Principibus Franciæ sub excommunicationis intermissione mandasset, quatenus reuocato filio Karoli* [Simplicis] LVDOVICO *ius suum restituerent, & constituerent in Regem: super hoc generale Concilium inter se conuocant, & reuocant ab Angliâ Ludouicum.*

Spretâ

Spretâ nihilominùs illâ folemni Pontificum interdictione, Hugo Capetus, tertiæ Regum ftirpis Romulus, *Domino fuo & confobrino* Dinterus lib. 4. in Prol.
Carolo Duce Lotharingiæ & Brabantiæ expulfo, Regnum Francorum contra præceptum Romanæ Ecclefiæ, quæ omnes inuafores eiufdem Regni anathematizauerat, iniuftè inuafit. Addit Nangius: *Et Carolum Aurelianis in carcere mori fecit:* Vnde Continuator Gemmeticenfis: *Hugo,* ADNVL- Lib. 8. c. 26.
LATO *genere Caroli Magni, vnctus eft in Regem fuper Francos.* Capetus itaque, vt nefario facinori à fe perpetrato, Regumque fucceſſorum diræ facrorum interdictioni fucum oblineret, ad ea venit, quæ

—— *fopitos deludunt fomnia fenfus:*

datuſque locus illi Sanctorum apparitioni; fcilicet vt fuaderetur populis, translationem fceptri à Carolinâ ftirpe in Capetinam Dei voluntate factam fuiſſe. Vnde poſteà Cœnobitæ (quos ideò beneficijs obſtrinxerat Capetus) fcripferunt illum *inuitum fufcepiſſe Regnum, &*
per Domini voluntatem, præcedente diuino Oraculo, electum fuiſſe; deni- Acta invent. S. Iodoci.
que, *Deum occulto iudicio meliorem elegiſſe.* Nangius.

Ordericus Vitalis (qui fuam Hiftoriam deduxit ad annum vfque Fragm. Hiftor. Aquit.
M. C. XL.) de illâ S. Walerici apparitione primus egit, referens corporis eius tranflationem ad Hugonem Capetum nondum Regem. Lib. 1. Hiftor. Ecclef.
eius narratio eft eiufmodi: *Ad tantum* FACINVS (Regni Franciæ inuadendi) HVGONEM *quædam vifio animauit. Sanctus enim* GVALARICVS *præfato Duci in Lutetiâ vrbe Parifiorum conftituto apparuit, eique quis eſſet, & quid vellet,* IN SOMNIS *euidenter intimauit; præcipiens videlicet, vt fuper* ARNVLFVM *Flandritam cum exercitu expeditionem faceret, & corpus fuum de Monafterio Sitienfi, vbi corpus S. Bertini requiefcit, extraheret, & Legonao in VVimacenfi pago reftitueret. Præterea promifit ei, fi hæc ita faceret, quòd ipfe & progenies eius* VSQVE AD SEPTIMAM GENERATIONEM *in Franciâ regnaret.*

Geruafius Tilleberienfis illud idem vaticinium refert ad Hugo- In Otijs imper.
nem Magnum, Hugonis Capeti Regis patrem. idem facit Wilelmus
Nangius, cuius hæc funt verba: *In Geftis SS. Richarij & VValerici le-* In Chron.
gitur, quòd Hugo Magnus Comes Parifienfis, pater iftius Hugonis [Capeti] *ipforum Sanctorum corpora (quæ tranflata ab Ecclefijs fuis in Flandriam fuerant, & repofita in Ecclefiâ S. Bertini apud Audomarum terrore Normannorum, qui Franciam vaftabant) per vifionem admonitus, ad fuas fecit Ecclefias reportari. Ipfi autem* HVGONI MAGNO *poft hoc factum per vifionem à S. VValerico dictum fuit, quòd propter hoc quod fecerat, eius* GENERATIO *poft ipfum in Regno Francorum* VSQVE IN SEPTIMAM, *id eft in perpetuum, regnaret.* Obferua Nangij aſſentationem, qui ad id quod Ordericus & Geruafius antiquiores fcripferant, *vfque*

ad septimum generationem, ille blandiens adiecit, *id est in perpetuum.* Nota prætereà narrationis varietatem; alij enim Hugoni Magno, alij Hugoni Capeto eius filio prædictionem à Sancto factam volunt; alij ante, alij post SS. Corporum translationem. Quod Auctorum dissidium (qui omnes Capeto posteriores vixerunt) insinuat, narrationem illam dubiæ fidei esse, & inter apocrypha censeri debere; sed vel idcircò maximè, quòd antiquus Poëta, qui Sanctorum translationi præsens interfuit, quique narrat *proprijs quæ vidit ocellis*, vt ipse canit, illius vaticinij nullo modo meminerit; etsi referat miraculum messis tunc instauratæ, postquam segetes equorum pedibus conculcatæ fuerant.

Chesne Tom. 4. p. 99.

Lib. 4. c. 1. Sed fingamus diuini aliquid interuenisse; *illud omne* (ait Edmundus Dinterus) completum est in Philippo III. Rege. Hæ sunt enim septem ab Hugone Magno Regum successiones.

I. HVGO CAPETVS.
II. ROBERTVS II.
III. HENRICVS I.
IV. PHILIPPVS I.
V. LVDOVICVS VI.
VI. LVDOVICVS VII.
VII. PHILIPPVS III.

Loc. cit. Iste porrò Philippus III. [aliàs Secundus] in quo S. Walerici vaticinium completum fuisse ait Dinterus, *vxorem duxit* ISABELLAM, *filiam Balduini Comitis Hannoniæ, de genere Carlensium descendentem; ex quâ genuit* LVDOVICVM *Regem VIII. patrem* S. LVDOVICI *Regis IX. A quo Ludouico VIII. istæ duæ tribus, Pipini & Carlensium, atque Comitum Parisiensium mixtim regnauerunt, & regnant vsque ad hodiernum diem. Dictus verò Balduinus descendit ex* ERMENGARDE *Comitissâ Namurcensi, filiâ* CAROLI *Ducis. Et sic constat, Regnum Francorum in prædicto Rege* LVDOVICO VIII. *ad progeniem Carlensium fuisse reductum.* Itaque post completum in fauorem Capetinæ stirpis S. Walerici vaticinium seu verum seu fictum, soli prosapiæ Carlensi ius ad Regnum superfuit: neque Capetini exinde regnarunt nisi vi & iure Carolini sanguinis; qui, propterea quòd primigenius viget in venis PHILIPPI IV. Regis Catholici, ad illum iure legitimo tota Carlouingorum gloria & hæreditas translata est.

LVMEN

LVMEN IX.

Continuatur exemplorum confirmatio, de Principibus qui Regnum Franciæ Occiduæ femineo iure sibi deberi contenderunt.

PRO XI. EXEMPLO.

DE ADELA HVGONIS CAPETI NEPTE, ROBERTI II. REGIS FILIA.

NON minùs feliciter Salica Lex alijs quæ subiecimus exemplis, quàm superioribus, iterùm à nobis expugnabitur. Ad vndecimum siquidem opponit Dominicus, Chronicon Flandriæ à Sauuagio editum antiqui nomen mereri non posse; quia desinit anno M. CCC. LXXXIII. sed discet à Cornelio Frontone M. Antonius *id antiquum dici, quod memoriam patrum excessit*. Vnde à se editum Chronicon Sauuagius rectè inter antiqua reposuit.

Obijcit deinde, Sauuagium margini adiecisse, *conditionem ibi appositam se alibi non legisse*. Si vidisset ille Chronicon Gislenianum, quod absolutum fuit anno M. CC. XII. notam suam marginalem aliter instituisset. Quod addit prætereà Dominicus, ipso Henrici Regis testamento Balduinum Philippi tutorem designatum; non est impedimento, quò minùs defuncto Henrico voluntas eius suprema à Regni Baronibus confirmata, & executioni demandata fuerit; sed vel ideircò maximè, quòd ex Matthæo Parisio referat ipse Dominicus, *Philippum Augustum edixisse, in Regum non esse potestate, vt inconsultis Baronibus possint quibus voluerint sua Regna conferre*. p. 115.

In reliquis Dominicus minutula consectatur, remque nihili docet; nempe *Balduinum* fuisse Philippi Regis *baiulum*, id est *tutorem*, non verò *iudicem, educatorem* vel *baculum*: miror non adiecisse nugis suis personatis, hunc etiam non fuisse Regis *gerulum dossuarium*; vt vel leuissimum eiusmodi Assertori suo incrementum daret. Mihi abundè est ostendisse hoc loco, Principes illius æui feminarum causâ ad Coronam Regni ius habuisse, ac pro illo (modò Procerum fauore fulcirentur) controuersiam mouere potuisse; vt anteà fecerant Odo Catoli, & Hugo Capetus Ludouici, Regum tutores siue baiuli.

PRO XII. EXEMPLO.

DE ENGVERRANNO COVCIACO, REGE FRANCORVM DESIGNATO.

COVCIACVM à plerisque Principibus designatum fuisse ad regnandum sat claré insinuant Chronica quæ adduxi. In Flandrico legitur: *Constituerant Enguerrannum de Coucy ad Regiam dignitatem euehere, & coronam iam fabricari iusserant*. In Thuano: *Enguerrannus de Coucy iam fecerat fieri coronam, sperans esse Rex*. At Dominicus obijcit, id à desipientibus & seditiosis factum, & ab ipso Couciaco rebelli. Hoc non nego; sed dico, Hugonem Capetum technâ eâdem sceptrum vsurpasse, quo eius posteri etiamnum fruuntur.

Negat prætereà Dominicus, Coronam Regni Enguerranno oblatam, quòd per feminas oriretur à Regibus. Ego contrà asserui non aliâ causâ id factum, cùm ex recepto iam olim more *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumerentur*. Couciacam autem familiam adeò præ alijs eminentem fuisse testatur Andreas Chesneus, *vt à paucissimis potentiæ & nobilitatis splendore adæquari posset*. Lemma quod edidi, Couciaco non affinxi; quippe ex Heraldico MS. desumptum, & penè idem cum eo quod illi tribuit V. C. Marcus Vulsonius, Commentarijs de Scientiâ Heroicâ futurus immortalis.

Tacitus de Germ.

In Præf. Histor. Couciac.

Cap. 6.

Verùm aduersarius satis etiam se torquet in obolari causâ, seu explicandâ voce *Sire*, quam pueriliter ait idem significare quod *Seigneur*; nec propriam ijs fuisse, qui Regio natalium splendore coruscabant: vnde addit, absurdè me putasse *Enguerrannum dictum le Sire de Coucy*. Sed tua scommata & commenta nihil moror, Dominice, vixque mea interesse puto, vt cauillationibus eiusmodi respondeam. Hęc sunt verba quæ protuli: *Et dicebatur* Κύριος (Gallicè *Sire*) *haud vulgari inter Regni Optimates nuncupatione*. Quid hîc habes quod mordeas? Regem ipsum Franciæ si quandoque alloqueris, numquid continuò ab appellatione *Sire* exordium sumis? neque te alium Regni Magnatem ita compellare posse tute nosti. Hoc tamen honoris titulo potentiores quidam & claræ stirpis viri aliàs vtebantur, vti *le Sire de Salins, le Sire de Vergy*, & pauci alij. Eadem de causâ Couciacus illâ honoris prærogatiuâ meritò decorabatur. Audi Ioannem Froissartum: *Le Sire de Coucy estoit moult prochain de sang & de lignée au Roy de France, & portoit les fleurs de Lys à moult petit de brisure*. Ortus idem erat, sed femineus; insignia liliata, sed in scuto quadripartito, cum Couciacis ob maternam originem expressa. Eodem sensu aliàs idem Frois-

Vol. 4. c. 74.

Froissartus: *Messire Espaignolet d'Espaigne, aisné fils de Messire Robert d'Espaigne, cousin de lignage & d'Armes au Comte de Foix.* Item alio loco: *Les Comtes de Neuers, d'Eu, & de la Marche moult prochains de sang & d'Armes.* Aliud porrò erat esse *Armorum fratrem*: sic enim appellabatur, qui alterius Principis Torquatæ militiæ nomen dederat: vnde apud Iuuenalem Vrsinum: *Iean Duc de Bourgoigne promit au Duc d'Orleans d'estre son frere d'Armes, & porter son Ordre.* Apud Biturìcum Fæcialem: *Le Roy de Castille, frere d'Armes & allié du Roy.* Apud Iacobum du Clereq: *Le Roy d'Arragon, & Philippe Duc de Bourgoigne, freres & compagnons d'Armes.* Quia scilicet alter alterius honoratio & equestri torque donatus fuerat. Hæc vanâ ostentatione, vt tu soles, non exserüi; sed dumtaxat vt Froissarti locum de regiâ Couciaci origine planiùs exhiberem.

Volum. 1. & 4.

Anno 1419.

1445.

In Hist. Burg. MS.

PRO XIII. EXEMPLO.

DE IOANNA LVDOVICI HVTINI FRANCORVM REGIS FILIA.

AD hoc magni ponderis exemplum auceps syllabarum Leguleius, ex artis suæ præscripto, exclamat me verba Æmilij transcripsisse, suppresso eius nomine. Excidit amanuensi Æmilium ad marginem notare, & idcircò, si superis placet, apud ipsos Auctores etiam elarigatum est. Cur datâ operâ id fecissem, cùm Historicus ille sensui meo apprimè vtilis esset? Miror te mihi istud obtrudere Dominice, neque edentulum vescentis dentibus inuidere, vt est in communi prouerbio: falsarius siquidem germanum Æmilij textum malitiosè vitiasti: *Huic*, inquit, *puellæ* [Ioannæ] *iure & paterno & fraterno deberi Regnum prædicabat* ODO *Burgundiæ Dux, eius auunculus: cæteri Francorum Proceres defendebant, ius Regni Franciæ virorum tantùm, non etiam mulierum esse; Legis Salicæ hæc identidem recitantes:* IN TERRAM SALICAM MVLIERES NON SVCCEDANT: *Terram Salicam Regnum Franciæ esse interpretabantur. Consensu Francicæ nobilitatis permotus Burgundio, in eorum auctoritate Longiq́ue potestate futurum se professus, gener etiam ab ipso adscitus est,* AC OPIBVS AVCTVS. *Longus enim Rex, nemine vltrà contradicente, salutatus sacratusque, trium filiarum maximam illi despondit dote Burgundiæ Comitatu, in quem, defuncto Othone auo materno, Robertoque auunculo, ea virgo successerit.* Vt igitur Longi consilium celares, de augendo opibus Odone Duce, vt puellæ nepris suæ iuri renunciaret, admotâ sirpiculâ, mente ac voluntate malè conscijs, succidisti illa Æmilij verba: *Gener etiam ab eo adscitus*

Lib. 8.

 est,

Lib. 13. *est, & opibus auctus*. Quod præterea Polydorus Vergilius apertè declarat; postquam enim dixit, in Philippi Longi promotione plus potuisse vim quàm ius; sic de Odone Duce loquitur: *Magnoperè reclamauit, cùm Philippus Longus est Rex creatus; nec priùs à negotio destitit, quàm Longus, locatâ illi filiarum maximâ, & Comitatu Burgundiæ nomine dotis dato, in suas traxerit partes*. Hæc verò omnia conueniunt cum facti expositione à Belleforestio & Halliano relatâ, quam dum *miseram illorum Laciniam* vocas, leonibus mortuis barbam vellis. Neque ita aggredi ausus es, quos laudaui San-marthanos fratres, qui disertè

Lib. 14. c. 2. scribunt, *Ducem Burgundiæ pro se & nepte suâ cessisse Regi ius omne, quod illa habere poterat ad Regna Franciæ & Nauarræ, pactis conuentis super id editis Mayo mense anni* M. CCC. XVII. Certè, si Ioanna virgo ad Regnum Franciæ nullum ius habuisset, illa cessio & pactio necessaria non fuisset: ex quâ etiam manifestum est, Officialem Corbeiensem, & Nangij continuatorem Dionysianum Cœnobitam, partim vera partim falsa ex pòst facto retulisse; & ex posteriori (quem citat

Lib. 3. Annal. Massonus) *Ordines quidem Philippi coronationem approbasse; sed Magistros Vniuersitatis Parisiensis, etsi assentientes, id iuramento firmare noluisse*: adeoque Salicæ Legis auctoritatem ab istis Legum peritis mi-

Lib. 15. c. 15. nimè vindicatam. Mariana denique, quem æstimas, scribit, *Ioannam puellam fraternâ hæreditate exclusam fuisse* LEGE SALICA, *seu verò, seu in gratiam potentioris recèns confictâ extensâque*.

PRO XIV. EXEMPLO.

DE IOANNA PHILIPPI LONGI FRANCORVM REGIS FILIA, ODONIS IV. BVRGVNDIÆ DVCIS VXORE.

OMNES scilicet hallucinantur, qui aduersus Dominicum aciem struunt Scriptores Franci; ipseque adeò Andreas *Chesneus* forsitan deceptus, qui & sententiæ suæ auctorem habuit Petrum Saniulia-

Antiq. Cabilon. p. 393. num disertis verbis affirmantem, *Odonem Burgundiæ Ducem causâ vxoris suæ Ioannæ, Philippi Longi Regis primogenitæ, controuersiam mouisse pro Coronâ Franciæ*. E viuis excesserat Philippus Longus Ianuarij sextâ die anni M. CCC. XXII. Pro successione Regni litem illicò commouit Odo Dux ex parte vxoris suæ; vtque ille placaretur, sex mille libratas terræ obtinuit in Comitatu Campaniæ decreto Senatus Parisiensis XXII. eiusdem anni & mensis. Vnde Carolus Comes Marchiæ, Philippi Regis defuncti frater, sine vllâ ampliùs controuersiâ Remis

inau-

inauguratus fuit XXII. insequentis Februarij. Lex ergo Salica imbecillis redimi debuit iterùm nouis Odonis Ducis incrementis.

PRO XV. EXEMPLO.

DE EDVARDO III. FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGE.

SIT ita, iudicio Parium Philippo Valesio, Caroli Pulchri Regis patrueli, Regiam dignitatem collatam fuisse. At *iudicio illo* (inquit Papyrius Massonus) *iniuriam sibi tunc annis minori factam queritur Eduardus suis ad Benedictum Papam litteris*: quibus quippe affirmat, *Pares non iudicum functos esse partibus, sed prædonum*. Et quamuis eadem epistolâ declaret Eduardus, *Feminas Regni Francici capaces non esse per ius in eodem Regno antiquitus seruatum*: ius illud Francicum quale fuerit explicat, vbi addit: *Ius illud Regni in viam causæ finalis attendisse, ne Regnum sub fragili femininâ gubernatione laberetur; & propter hoc personam mulieris exclusisse, non masculi per exclusam feminam descendentis.* Lib. 4. Walsing. in Ed. 3.

Iam audiamus Æmilium, cuius me malâ fide mentem deflexisse ais, nullâ mihi ratione suffragantem; ad hunc ipsum reuertor, quem non intellexisti, vbi Francos pro iure Philippi Valesij loquentes introduxit: *Dicebant illi, secundùm magnum Clodoueum, parentem Francicæ pietatis, semel atque iterùm orbem rerum Francicarum circumactum: Primùm, cùm ad Pipinum Caroli Magni patrem arbitria rerum translata sint: deinde cùm ad Roberti Andium Ducis (qui* ODONIS, *alteriusque* ROBERTI *pater, idem* HVGONIS *Regis proauus fuerat) sobolem Regium apud Francos nomen deuenerit. Vtriusque tempestatis inclinatione passos Francos cætera potiùs iura diuina humanaque dissimulari silereque, quàm Legem Salicam abrogari: cùm essent nobilissimi fortissimique Proceres, qui per matres, per auias, in Francos Reges origines suas referrent.* Lib. 8.

Turbatum esse illum Æmilij locum culpâ transscribentium non aduertisti: vt enim sensus constet, post illa verba, *Regium apud Francos nomen deuenerit*, sequi debet: *Cùm essent nobilissimi fortissimique Proceres, qui per matres, per auias, in Reges Francos origines suas referrent. Vtriusque tempestatis inclinatione*, &c. Itaque ex mente Æmilij res sic gesta est: Cùm Angli contenderent, vt Regnum Franciæ Eduardo, per matrem à Regibus oriundo, deferretur, produxerunt exempla Pipini parui & Hugonis Capeti; qui etsi per feminas (& posterior obliquè dumtaxat) ex Regali prosapiâ ortum duxissent, in Reges sublimati fuerant. Ad quæ Franci palàm fassi sunt, *post tempora Clo-*

douei

douei Magni Regis, orbem rerum Francicarum bis fuisse circumactum; hoc est, *Regnum in alienam familiam bis transiuisse.* Verùm id factum tunc fuisse propter Pipini & Capeti magnam nobilitatem fortitudinemque; & *quòd per matres & auias in Francos Reges origines suas referrent.* Ab eorum verò tempore, siue, vt loquitur Æmilius, *vtriusque tempestatis inclinatione*, non passos Francos Legem Salicam abrogari. Quod postremum tamen haud vero consentaneum erat. Vide iam vt verè dicas asseruisse Æmilium Legem Salicam in illis duobus, Pipino & Capeto, minimè violatam, cùm restitutus eius locus planè contrarium euincat. Audi etiam Polydorum Vergilium in eodem argumento versantem: *At Franci, qui iniuriam filiæ Ludouici Hutini Regis paucis antè annis factam pro iure habebant, prædicantes iam inde à principio suorum Regum* LEGE *exceptum fuisse, ne Regnum Franciæ vllo vmquam tempore femineo sexui deberetur,* PHILIPPVM VALESIVM, *filium Caroli Valesij, qui Philippi Pulchri frater fuerat, Regem fecerunt; quem memoriæ proditum est, Flandros, finitimos populos, illudentes,* REGEM REPERTVM *extra iocum appellaße, tamquam non iure creatum. Hinc colligere licet, nullam fuiße ab initio* LEGEM *apud Francos, quâ vetitum eßet Regni hæreditatem mulieribus venire.* Affert deinde exemplum Odonis Burgundiæ Ducis iam à nobis memoratum; tum subiungit: *Atque ita recens commentum fuiße videtur, quo* EDVARDVS *Regno Franciæ est priuatus: quod quemadmodum ille tam iure sibi, quàm qui optimo, repetebat; ita nunc Angliæ Reges non iniuriâ repetere videntur.*

Lib. 15.

Alij quos adducis Auctores non iustitiam afferunt, sed iudicium; contra quod Eduardus dicebat, *se anteà immaturâ improuidáque ætate falli circumscribíque potuisse; nunc florentem iam annis, & vsu rerum bellorumque edoctum, persecuturum ius suum.*

Æmilius lib. cit.

Testimonium Caroli IV. Cæsaris ideò suspectum habeo, quòd ille Philippi Valesij sororem Blancham matrimonio sibi copulasset. Neque Atteuellius solus *Eduardo* persuasit, *vt Regem Angliæ & Franciæ se scriberet, & signis liliatis vteretur.* Cùm enim Eduardus *in Brabantiâ moram traheret* (inquit Walsinghamus) *consilio Brabantinorum & Flandrensium arma Franciæ suis armis immiscuit.*

Lib. cit. & in Ypodigmate.

Denique, *Hic Lectores admonendi videntur* (ait laudatus Massonus) *nullam Salicæ Legis in illâ controuersiâ mentionem factam, neque à Baldo fieri, sed consuetudinis Francorum, nomine illo nondum satis cognito, quo postmodum recentiores Iurisconsulti & Historici multum vsi, cùm in capita Legis Salicæ incidissent.* Et tu Baldum *iuris Salici peritissimum* vocas, quod eo loco quem adducis ne nominat quidem.

Lib. cit.

PRO

PRO XVI. EXEMPLO.

DE CAROLO REGE NAVARRÆ.

NAVARRO verba non affinxi; Auctores meos laudaui: & Æmilius tuus scribit, *eò Nauarrum processisse, vt negaret se à iure* DIADEMATIS *esse alienum; significaretque se etiam Legibus propiorem esse nonnullis, qui iure controuerso armis de Regno decertarent.* Quo exemplo mihi satis fuerit ostendisse, Salicam Legem per id tempus à duobus Regibus verbis & armis acriter impugnatam. Lib. 9.

PRO XVII. EXEMPLO.

DE HENRICO V. FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGE.

PERSPECTVM satis habueram, futuram obiectionem de Caroli VI. Regis aduersâ valetudine, quæ nullitatis causâ à Dominico nunc obtruditur; sed eam abundè (meâ quidem sententiâ) diluit Regni Procerum consensus, qui pactis matrimonialibus Henrici & Catharinæ eâ demum conditione acquieuerunt, vt Regni administratio eorum consilio subijceretur. hoc est enim in tabulis caput: *Item pro eo quòd præfatus Serenissimus suus Franciæ tenetur* VT PLVRIMVM (non ergo semper) *aduersâ valetudine, sic quod non potest commodè vacare disponendis Regni negotijs; idcircò ad vitam eiusdem consanguinei sui Franciæ, facultas disponendi Remp. Regni prædicti & exercitium (cum consilio Nobilium & prudentum eiusdem Regni, eidem Serenissimo consanguineo obedientium, qui quidem & honorem ipsius Regni dilexerint) penes ipsum Dominum* HENRICVM *Regem sint, & maneant; ita vt ipsum per seipsum, & item per alios, quos cum consilio præfatorum Nobilium ad hoc duxerit deputandos, regere possit & gubernare secundùm exigentiam iustitiæ & æquitatis.* Adde, quòd à Caroli Regis obitu publicis actis, quæ retuli, omnia Henrico confirmata sunt. Walsingham in Henr. V.

Prætereà Carolus VI. pactis conuentis Regnum Franciæ non dedit Henrico Regi Angliæ vt tali, sed vt genero suo, causâ filiæ, quam in vxorem duxerat. Vnde litteræ Caroli Regis nomine in omnes Regni partes missæ continebant: *Non esse commodiorem viam, quàm vt per* CATHARINAM, *Regis filiam,* PAX *cum Anglo fiat, sitque* PER EAM MVLIEREM *in Regnum successurus post socerum, reiectâ omni gente Capeticâ, exhæredatoque atrocissimæ perfidiæ homine* CAROLO *Pontacensi, qui se Delphinum adhuc, patratâ tantâ infidelitate, auderet falsissimè nominare:* Meyerus lib. 16. an. 1419.

nare: nam qui fidem suam periurijs tantis amisit; qui nomen nobilitatis taliter perdidit; qui partem paradisi cælestis, qui spem æternæ salutis suæ ausus est abnegare & reijcere, is numquam vllam partem hæreditatis habere potest, nullâ successione dignus censeri debet. Iustior sanè fuit illa Delphini exhæredationis causa quàm Childerici primi, Veneri addicti Regis; cui expulso Ægidius Romanus à Proceribus subrogatus est: quàm Childerici III. quantumuis insensati: quo attonso, & in Monasterium detruso, Pipinus à Primatibus propter femineum longâ serie genus Coronam adeptus est: denique quàm Caroli, fratris Lotharij Regis, cui, ob leue inconstantiæ (non defectionis) crimen impositum, à quibusdam exhæredato suffectus est Hugo Capetus, qui

—— *obliquo maculauit sanguine Regnum.*

Iuuenalis Vrsini fides ideò suspecta est, quòd ipse Delphini partes sequeretur. P. Æmilium argumenti sui commentarios à Francis habuisse omnes sciunt. Veriùs Italus alter Polydorus Vergilius narrat:

Lib. 22. *Acto Trecis Francorum Principum conuentu, ictum fœdus, nouaque affinitate corroboratum, collocatâ Catharinâ, Caroli filiâ, Regi Henrico.* Deinde, *in verba Regis Henrici, Franciæ Regentis nuncupati, Principes, qui aderant frequentes, vltrò iurasse;* quos Rex sic allocutus sit: *Mecum state, qui successurus sum Carolo socero in vestrum Regnum, meis primò maioribus, & deinde mihi iure hæreditario debitum.*

PRO XVIII. EXEMPLO.

DE HENRICO VI. FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGE.

Walsing. loc. cit. OMNES pænè Franci, *qui Henrici V. Regis æquum & discretum regimen, post tam turbulentam & improbam aliorum tyrannidem, experti fuerant, auditâ eius morte planctu maximo condolebant; præcipuè Parisienses & Rhotomagenses:* libenter scilicet populi permanebant in Anglorum fide, *scientes præ iugo Francorum longè leuissimum Anglorum esse; quòd aliàs experti essent illos grauissimis vectigalibus atque exactionibus solere suos ciues miseramque plebem diuexare.*

Polyd. Vergil. lib. 21.

Itaque Henrico V. in vtriusque Regni iure successit filius eius Henricus VI. cuius inaugurationem Parisijs solemni more factam retulimus. Sed ventum posteà ad Atrebatense fœdus; de quo cùm

Lib. 23. ageretur, *petebant Angli vt Carolus declararetur Henrici beneficiarius: contrà Franci alterius factionis, Carolo Imperium liberum, non precarium esse volebant.* Propositas à Nicolao Cardinali Pacis leges ambo receperunt; *eaque res fecit, vt Burgundiones & Franci cœperint deinde ad*

pactiones

pactiones venire. Franeus Philippo Bono Burgundiæ Duci nihil denegauit, vt præpotentem Principem ab Anglo dissociaret. Hac arte Carolus VII. Regnum Franciæ, quo à parentibus iustis de causis priuatus fuerat, recuperauit. *Rebus cunctis vices agnatæ sunt: sed præcipuè circa alta & magna Fortuna ludit; & cùm potentiam indulget, minari incipit; in ipso fastigio lubrica, & mox præceps.* Anno 1435. Puteanus lib. 2. Hist. Insub.

PRO XIX. EXEMPLO.

DE PHILIPPO II. REGE CATHOLICO, ET ELISABETHA EIVS FILIA.

QVO te proripis Dominice? cur me puderet ea referre quæ reuerà sic gesta sunt? quæ Auctores vestri referunt, parentes vestri oculis conspecta memoriæ consignarunt. Ardebat Francia bellis intestinis; Caluiniani veræ Religionis cultum à Regno eliminare conabantur. Orthodoxi, & inter illos præcipui Parisienses, quibus illibata Patrum fides cordi semper fuit, hæretico Regi colla subdere nolebant; vnde PHILIPPVM II. REGEM CATHOLICVM, qui ab antiquis Francorum Regibus iustiori tramite quàm Hugo Capetus prosapiam ducebat, *velut Patrem ac defensorem Fidei, scutum Religionis, hæreticorum flagellum, totiusque Ecclesiæ protectorem* vocarunt, vti se Regni gubernaculis admoueri pateretur. Et hæc sancta illorum consilia, horrenda exempla vocas? Rex optimus, vt deiectis Catholicis auxilio esset, nullis sumptibus pepercit, numerosos exercitus in Franciam misit; quorum vi & metu vera Religio, quæ vacillabat, firmata; quæ exulauerat, postliminiò reuocata; sedati tumultus, & parta quies Regno. At inquis, ex Lutetianis illis quidam furcæ addicti. Sit ita, bellum ideò nec iniustum erat, nec iniqua Regis Catholici vocatio, qui labantem in Franciâ vestrâ fidem erexerit, vt pacatam tranquillamque Religionem vobis relinqueret, quam dudum à perditissimis hominibus impeti, & sursum atque deorsum ferri patimini.

A viris fide dignis accepi, de Regni moderatorum sententiâ habitum Lutetiæ conuenticulum in ædibus D. Hospitalij, Franciæ Marescalli, vt litterati quidam selectiores de tuis & Boucheti in me Commentarijs iudicium ferrent: hos inter eminebat Minister Caluinista Blondellus, *doctus soluere vincla quæstionum*: & cuius in arbitrio fuit,

—— seu te iuuenescere cedro;
Seu iubeat duris vermibus esse cibum.

Sed minimè dubitandum, quin cretâ notauerit tuam eiusmodi ad

Mm 2 huius

huius exempli mei responsionem, intereà dum Bouchetus & Faber super Ansberti & Blitildis Stemmate verbis inter se digladiabantur.

Ceterùm, de Isabellæ Hispaniarum Infantis iure in Regnum Franciæ, & Ducatum Britanniæ, ex eo quòd stirpis Valesiæ legitima hæres esset, præclarum superest monumentum in diplomate Pontificio, quod ad me Româ misit Eminentissimus D. Alphonsus Cardinalis de la Cüeuâ. sic autem habet:.

CLEMENS PP. VIII.

AD futuram rei memoriam. Nuper dilectus filius, nobilis vir Antonius de Cardona & Corduba, Dux Suessæ, charissimi in Christo filij nostri PHILIPPI *Hispaniarum Regis Catholici apud Nos & Sedem Apostolicam Ordinarius Orator, cùm audiuisset aduenisse ad Vrbem nobilem virum Franciscum Luxemburgium, Ducem Pignei, charissimi in Christo filij nostri* HENRICI *Christianissimi Francorum & Nauarræ Regis Oratorem, ad Nos & Sedem Apostolicam missum, vt Nobis, de more, eiusdem Regis nomine obedientiam præstaret, & Nos eumdem Franciæ Oratorem in Palatio nostro Apostolico, & aulâ, quæ dicitur Regum, in publico consistorio, vt mos est, recepturos; volensque idem Antonius Dux & Orator præcauere, ne fortè ex huiusmodi obedientiæ actu* REGI SVO CATHOLICO, *& dilectissimæ in Christo filiæ nobili Mulieri* ELISABETHÆ *Hispaniarum Infantæ præiudicium aliquod inferatur, nomine eorumdem Regis & Infantæ memoriale obtulit manu suâ subscriptum; cuius tenor de verbo ad verbum sequitur, & talis est:* [Beatissime Pater, Cùm die XVI. Septembris M. D. XCV. innotuisset ex gerendis in actu absolutionis, quam die mox sequenti S. V. HENRICO Borbonio impendere decreuerat, ex eo potissimùm quòd eadem S. V. admittebat illum ad Regnum Franciæ, & eumdem in eodem actu, & Breuibus desuper conficiendis, Regem erat appellatura, multùm præiudicari iuribus, actionibus & prætensionibus quibuscumque competentibus, & competituris Serenissimæ ELISABETHÆ Hispaniæ Infantæ, Philippi Regis Catholici Domini mei filiæ, super dicto Regno Franciæ, Ducatu Britanniæ, & qualibet illorum parte, & super alijs locis & statibus particularibus, super quibus S. V.[æ] verbo & scripto sæpè fuit informatum; & propterea ad euitandum dictum præiudicium; & præseruandum tam dicta iura, actiones & prætensiones prædictæ Dominæ Infantæ competentia & competitura, quàm ad euitandum quodlibet præiudicium eidem PHILIPPO Domino meo Regi super Regno Nauarræ & qualibet eius parte, ad præseruandum iura sibi in toto illo Regno & qualibet eius parte competentia &

compe-

competitura, pro parte Catholicæ Maiestatis S. V. humiliter exponeretur; quod volebat protestari, & S. V. tunc sibi protestari permiserit, eamdemque protestationem benignè admiserit. Nunc autem in actu obedientiæ, quam nomine eiusdem HENRICI Orator illius infra paucos dies exhibiturus dicitur, & S. V. suo & Apostolicæ Sedis nomine receptura, eidem Catholicæ Maiestati, & Dominæ ELISABETHÆ, respectiuè idem præiudicium inferendum timeatur: Ideò pro parte CATHOLICÆ MAIESTATIS eiusdem PHILIPPI Regis D. mei, & Celsitudinis prædictæ D. ELISABETHÆ Infantæ, humiliter supplicatur S. V. vt per suum Breue, aut motum proprium Apostolicum, in quo de verbo ad verbum inseri petitur hoc memoriale, dignetur declarare & decernere, nec esse, nec fuisse vmquam mentem aut intentionem S. V. præiudicare in aliquo iuribus, actionibus & prætensionibus quibuscumque competentibus & competituris CATHOLICÆ MAIESTATI in Regno Nauarræ, & qualibet eius parte; nec iuribus, actionibus, prætensionibus quibuscumque competentibus & competituris Serenissimæ Dominæ INFANTÆ in Regno Franciæ, & Ducatu Britanniæ, & qualibet eorum parte, & in alijs locis, & statibus particularibus, tam in petitorio, quàm in possessorio: atque ita supplicatur pro parte eiusdem PHILIPPI Hispaniarum Regis Catholici filij sui obedientissimi D. Ant. de Cardona & Corduba, Dux Suessæ, & Orator suæ Catholicæ Maiestatis.] *Nos igitur, qui Dei benignitate in Throno Iustitiæ sedemus, & communis Catholicorum Principum Patris Personam gerimus, & nullius iura imminuere, sed potiùs, quantum cum Domino licet, conseruare intendimus, ne de voluntate & intentione nostrâ vllo vmquam tempore dubitari possit, motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, per has nostras litteras declaramus & decernimus; non esse nec fuisse mentis & intentionis nostræ, ex supradictâ obedientiâ Regis Francorum nobis præstandâ, & postquam præstita fuerit, etiam cum Regis Nauarræ denominatione, & eiusdem Regni nomine, iuribus, actionibus & prætensionibus cuiusquam præiudicare, & præsertim Sedis Apostolicæ, eiusdem* REGIS CATHOLICI; *neque* INFANTÆ *præfatæ, super Regno Nauarræ, & qualibet eius parte, & super Regno Franciæ, & Ducatu Britanniæ, & qualibet eorum parte, respectiuè: & vice versâ, declaramus & decernimus, quòd eodem modo non intendimus in vllo præiudicare iuribus, actionibus, & prætensionibus prædicti* HENRICI *Regis Franciæ, & Nauarræ etiam nuncupati, super dicto Regno Nauarræ, & qualibet eius parte, & alijs quibuscumque iuribus, super dicto Regno Franciæ, & Ducatu Britanniæ; sed omnia & singula iura & prætensiones amborum Regum, & ipsius Infantæ,*
 qualia-

qualiacumque sunt, in suo statu relinquimus, in quo erant ante obedientiam præstandam & præstitam: ita vt ex obedientiæ actu, & ex hac nostrâ declaratione, nihil cuiquam iuris addatur, nihil diminuatur, nec Sedi Apostolicæ, nec PHILIPPO, *&* HENRICO *Regibus, neque* ELISABETHÆ *Infantæ, neque eorum hæredibus, & successoribus, neque in possessorio, neque in petitorio, neque in aliquauis ratione; sed omnia eodem loco, statu, iure, conditione sint & habeantur, prout anteà erant. Et ita declaramus, & decernimus, contrarijs non obstantibus, quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die* XV. *Aprilis* M. D. XCVIII. *Pontificatus nostri anno sexto.*

Obserues velim, Dominice, Pontificem Maximum istis Codicillis PHILIPPVM II. Regem HENRICO IV. præposuisse; quod aliàs mihi proderit aduersus aliqualem tuam de prærogatiuâ Regum obiectionem.

LVMEN X.

Historia mirabilis de Francorum Rege suppositio; qui fuit primus effectus Salicæ Legis in Occidentali Franciâ obiectæ pro successione Regni.



EX adductis firmatisque exemplis satis superque constat, Gregorium Turonensem & Aimoinum Monachum, antiquissimos rerum Francicarum Scriptores, qui Regum antiquiorum successiones & sublimationes magnâ curâ tradidêre, ne verbo quidem meminisse Salicæ Legis; aliosque eiusdem ætatis, qui eius Legis mentionem fecerunt, ad Regum successiones illam non extendisse: quæ certè si ab initio *columen ac fundamentum Regni* fuisset, vt volunt Scriptores nouitij, illam vetustiores celebrare non omisissent.

Constat prætereà, Salicam Legem in Franciâ Occidentali minimè allegatam pro Coronæ successione ante Philippi Longi tempora, hoc est, nouenis pænè sæculis postquam condita fuerat. Vnde Franciscus Belleforestius Philippi Longi Regis Historiam orditur hocce titulo: *Ce qui aduint en France pour le faict de la Royaulté, & premiere praticque de la Loy Salique.* Hallianus quoque in hunc modum locutus est: *Quelques vns disent, que ce fut lors que fut premierement mise en euidence la Loy Salique pour le faict de la Couronne de France; & qu'auparauant on n'en auoit oüy parler: & que Philippe le Long la fit approuuer par tous les Seigneurs du Royaume, ayant gaigné les vns par promesses, &* les

Tomo 2. lib.4.c.54.

In Lud. Hutino fi.

les autres par force & par menaces. Atqua hinc est quòd Dionysius Petauius, Scriptor solertissimus, Salicæ Legis in Occiduâ Franciâ pro Coronæ successione obseruatæ non meminerit ante Philippum Longum Regem. Lib. 9. Ration. c. 6.

Huic verò Principi, vt Salicæ Legis recens adinuentæ vi regnaret, obstabat Ludouicus Hutinus Rex frater eius; qui statim veneno sublatus est, vti testatur Chronicum vetus Flandriæ, quod seruatur Bruxellæ in Bibliothecâ Regiâ: *Ce Roy ne regna que vn an: & fut* EMPOISONNE': *& la Reyne Clemence demoura enceinte d'vn filz: & Philippe le frere du Roy demoura Regent du Royaume. Apres ce que la Royne de France fut accouchée, l'enfant fut appellé au baptesme* IEAN; *& ne vesquit que dix iours, Apres fut Roy de France Philippe, qui estoit Regent.* Quia porrò posthumus ille Philippum Longum etiam à Regno excludebat, de illo perimendo consilium initum; sicque res nefariè gesta est.

Anno M. CCC. XVI. *versabatur Parisijs* SPINELLVS TOLOMMEVS, *nobilis Senensis, mercaturam pari cum laude & emolumento exercens: habebat sibi adiunctum nepotem pariter nobilem Senensem,* GVCCIVM DE MINO BAGLIONI. *Hic vice auunculi dabat ad cambium aut censum cuidam Castello nomine* NESLES: *quo in loco familiaritatem cum quibusdam coætaneis iuuenibus iniit, filijs Equitis Picardi, Domini de* CRESSY, *parum distantis à* NESLES. *Tantum inualuit hæc eorum consuetudo, vt* GVCCIVS *plus solito detentus ab amicis in Cressiaco, Dominam* MARIAM *ipsorum sororem adamauerit, & hæc vicissim: nec ita multò pòst, subsecuto mutui amoris actu fauente cubiculariâ, grauidam reliquerit. Adducta in eum statum, vt secretum seruari non posset, Dominæ matri* ELIABELLAE *rem totam aperuit, non patri, qui iam obierat. Peruenit notitia ad aures fratrum* MARIAE, *Petri & Ioanneti; (qui facti fuerunt Equites per manus* PHILIPPI *Valesij in clade Cressiacensi;) & ideò cum exilio mortem* GVCCIO *machinabantur. Verùm hic insidiarum non ignarus, peregrini habitu Lutetiam repetens, Spinelli monitis Senas abijt. Postmodum, cognito sororem legitimè desponsatam, eoque fratribus demonstrato, reconciliationem quidem obtinuit, sed non commercium; vitæ securitatem, non vsum vxoris; reuersusque est deinceps Senis Parisios. Interim, ad vitandum dedecus,* MARIA *grauida in Monasterium deducta Parisijs filium peperit; cui nomen impositum* IOANNOTVS; *& consignatus est nutrici nomine Abaloth, educandus prope ciuitatem.*

Eodem tempore Regina CLEMENTIA *(filia* CAROLI *Martelli, ex Regalibus Apuliæ, vidua relicta* LVDOVICI *Regis, Philippi Pulchri filij, mortui mense Iunio anni* M. CCC. XVI.) *peperit filium; cui ad satisfactionem*

Lib. 13. *est, & opibus auctus*. Quod prætereà Polydorus Vergilius apertè declarat; postquam enim dixit, in Philippi Longi promotione plus potuisse vim quàm ius; sic de Odone Duce loquitur: *Magnoperè reclamauit, cùm Philippus Longus est Rex creatus; nec priùs à negotio destitit, quàm Longus, locatâ illi filiarum maximâ, & Comitatu Burgundiæ nomine dotis dato, in suas traxerit partes*. Hæc verò omnia conueniunt cum facti expositione à Belleforestio & Halliano relatâ, quam dum *miseram illorum Laciniam* vocas, leonibus mortuis barbam vellis. Neque ita aggredi ausus es, quos laudaui San-marthanos fratres, qui disertè

Lib. 14. c. 2. scribunt, *Ducem Burgundiæ pro se & nepte suâ cessisse Regi ius omne, quod illa habere poterat ad Regna Franciæ & Nauarræ, pactis conuentis super id editis Mayo mense anni* M. CCC. XVII. Certè, si Ioanna virgo ad Regnum Franciæ nullum ius habuisset, illa cessio & pactio necessaria non fuisset: ex quâ etiam manifestum est, Officialem Corbeiensem, & Nangij continuatorem Dionysianum Cœnobitam, partim vera partim falsa ex pòst facto retulisse; & ex posteriori (quem citat

Lib. 3. Annal. Massonus) *Ordines quidem Philippi coronationem approbasse; sed Magistros Uniuersitatis Parisiensis, etsi assentientes, id iuramento firmare noluisse*: adeoque Salicæ Legis auctoritatem ab istis Legum peritis mi-

Lib. 15. c. 15. nimè vindicatam. Mariana denique, quem æstimas, scribit, *Ioannam puellam fraternâ hereditate exclusam fuisse* LEGE SALICA, *seu verò, seu in gratiam potentioris recèns confictâ extensâque*.

PRO XIV. EXEMPLO.

DE IOANNA PHILIPPI LONGI FRANCORVM REGIS FILIA, ODONIS IV. BVRGVNDIÆ DVCIS VXORE.

OMNES scilicet hallucinantur, qui aduersus Dominicum aciem struunt Scriptores Franci; ipseque adeò Andreas *Chesneus* forsitan deceptus, qui & sententiæ suæ auctorem habuit Petrum Saniulia-

Antiq. Cabilon. p. 393. num disertis verbis affirmantem, *Odonem Burgundiæ Ducem causâ vxoris suæ Ioannæ, Philippi Longi Regis primogenitæ, controuersiam mouisse pro Coronâ Franciæ*. E viuis excesserat Philippus Longus Ianuarij sextâ die anni M. CCC. XXII. Pro successione Regni litem illicò commouit Odo Dux ex parte vxoris suæ, vtque ille placaretur, sex mille libratas terræ obtinuit in Comitatu Campaniæ decreto Senatus Parisiensis XXII. eiusdem anni & mensis. Vnde Carolus Comes Marchiæ, Philippi Regis defuncti frater, sine vllâ ampliùs controuersiâ Rèmis

inau-

inauguratus fuit XXII. insequentis Februarij. Lex ergo Salica imbecillis redimi debuit iterùm nouis Odonis Ducis incrementis.

PRO XV. EXEMPLO.

DE EDVARDO III. FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGE.

SIT ita, iudicio Parium Philippo Valesio, Caroli Pulchri Regis patrueli, Regiam dignitatem collatam fuisse. At *iudicio illo* (inquit Papyrius Massonus) *iniuriam sibi tunc annis minori factam queritur Eduardus suis ad Benedictum Papam litteris:* quibus quippe affirmat, *Pares non iudicum functos esse partibus, sed prædonum.* Et quamuis eadem epistolâ declaret Eduardus, *Feminas Regni Francici capaces non esse per ius in eodem Regno antiquitus seruatum:* ius illud Francicum quale fuerit explicat, vbi addit: *Ius illud Regni in viam causæ finalis attendisse, ne Regnum sub fragili femininâ gubernatione laberetur; & propter hoc personam mulieris exclusisse, non masculi per exclusam feminam descendentis.* Lib. 4. Walsing. in Ed. 3.

Iam audiamus Æmilium, cuius me malâ fide mentem deflexisse ais, nullâ mihi ratione suffragantem; ad hunc ipsum reuertor, quem non intellexisti, vbi Francos pro iure Philippi Valesij loquentes introduxit: *Dicebant illi, secundùm magnum Clodoueum, parentem Francicæ pietatis, semel atque iterùm orbem rerum Francicarum circumactum: Primùm, cùm ad Pipinum Caroli Magni patrem arbitria rerum translata sint: deinde cùm ad Roberti Andium Ducis (qui* ODONIS, *alteriusque* ROBERTI *pater, idem* HVGONIS *Regis proauus fuerat) sobolem Regium apud Francos nomen deuenerit. Vtriusque tempestatis inclinatione passos Francos cætera potiùs iura diuina humanaque dissimulari silereque, quàm Legem Salicam abrogari: cùm essent nobilissimi fortissimique Proceres, qui per matres, per auias, in Francos Reges origines suas referrent.* Lib. 8.

Turbatum esse illum Æmilij locum culpâ transscribentium non aduertisti: vt enim sensus constet, post illa verba, *Regium apud Francos nomen deuenerit,* sequi debet: *Cùm essent nobilissimi fortissimique Proceres, qui per matres, per auias, in Reges Francos origines suas referrent. Vtriusque tempestatis inclinatione,* &c. Itaque ex mente Æmilij res sic gesta est: Cùm Angli contenderent, vt Regnum Franciæ Eduardo, per matrem à Regibus oriundo, deferretur, produxerunt exempla Pipini parui & Hugonis Capeti; qui etsi per feminas (& posterior obliquè dumtaxat) ex Regali prosapiâ ortum duxissent, in Reges sublimati fuerant. Ad quæ Franci palàm fassi sunt, *post tempora Clodouei*

douei Magni Regis, orbem rerum Francicarum bis fuisse circumactum; hoc est, *Regnum in alienam familiam bis transiuisse.* Verùm id factum tunc fuisse propter Pipini & Capeti magnam nobilitatem fortitudinemque; & *quòd per matres & auias in Francos Reges origines suas referrent.* Ab eorum verò tempore, siue, vt loquitur Æmilius, *vtriusque tempestatis inclinatione*, non passos Francos Legem Salicam abrogari. Quod postremum tamen haud vero consentaneum erat. Vide iam vt verè dicas asseruisse Æmilium Legem Salicam in illis duobus, Pipino & Capeto, minimè violatam; cùm restitutus eius locus planè contrarium euincat. Audi etiam Polydorum Vergilium in eodem argumento

Lib. 13. versantem: *At Franci, qui iniuriam filiæ Ludouici Hutini Regis paucis antè annis factam pro iure habebant, prædicantes iam inde à principio suorum Regum* LEGE *exceptum fuisse, ne Regnum Franciæ vllo vmquam tempore femineo sexui deberetur*, PHILIPPVM VALESIVM, *filium Caroli Valesij, qui Philippi Pulchri frater fuerat, Regem fecerunt; quem memoriæ proditum est, Flandros, finitimos populos, illudentes*, REGEM REPERTVM *extra iocum appellasse, tamquam non iure creatum. Hinc colligere licet, nullam fuisse ab initio* LEGEM *apud Francos, quâ vetitum esset Regni hæreditatem mulieribus venire.* Adfert deinde exemplum Odonis Burgundiæ Ducis iam à nobis memoratum; tum subiungit: *Atque ita recens commentum fuisse videtur, quo* EDVARDVS *Regno Franciæ est priuatus: quod quemadmodum ille tam iure sibi, quàm qui optimo, repetebat; ita nunc Angliæ Reges non iniuriâ repetere videntur.*

Alij quos adducis Auctores non iustitiam adferunt, sed iudicium;

Æmilius lib. cit. contra quod Eduardus dicebat, *se anteà immaturâ improuidâque ætate falli circumscribique potuisse; nunc florentem iam annis, & vsu rerum bellorumque edoctum, persecuturum ius suum.*

Testimonium Caroli IV. Cæsaris ideò suspectum habeo, quòd ille Philippi Valesij sororem Blancham matrimonio sibi copulasset. Neque Arteuellius solus *Edwardo* persuasit, *vt Regem Angliæ & Franciæ*

Lib. cit. & in Ypodigmate. *se scriberet, & signis liliatis vteretur.* Cùm enim Eduardus *in Brabantiâ moram traheret* (inquit Walsinghamus) *consilio Brabantinorum & Flandrensium arma Franciæ suis armis immiscuit.*

Lib. cit. Denique, *Hic Lectores admonendi videntur* (ait laudatus Massonus) *nullam Salicæ Legis in illâ controuersiâ mentionem factam, neque à Baldo fieri, sed consuetudinis Francorum, nomine illo nondum satis cognito, quo postmodum recentiores Iurisconsulti & Historici multum vsi, cùm in capita Legis Salicæ incidissent.* Et tu Baldum *iuris Salici peritissimum* vocas, quod eo loco quem adducis ne nominat quidem.

PRO

PRO XVI. EXEMPLO.

DE CAROLO REGE NAVARRÆ.

NAVARRO verba non affinxi; Auctores meos laudaui: & Æmilius tuus scribit, *eò Nauarrum processisse, vt negaret se à iure* DIADEMATIS *esse alienum; significaretque se etiam Legibus propiorem esse nonnullis, qui iure controuerso armis de Regno decertarent.* Quo exemplo mihi satis fuerit ostendisse, Salicam Legem per id tempus à duobus Regibus verbis & armis acriter impugnatam. Lib. 9.

PRO XVII. EXEMPLO.

DE HENRICO V. FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGE.

PERSPECTVM satis habueram, futuram obiectionem de Caroli VI. Regis aduersâ valetudine, quæ nullitatis causâ à Dominico nunc obtruditur; sed eam abundè (meâ quidem sententiâ) diluit Regni Procerum consensus, qui pactis matrimonialibus Henrici & Catharinæ eâ demum conditione acquieuerunt, vt Regni administratio eorum consilio subijceretur. hoc est enim in tabulis caput: *Item pro eo quòd præfatus Serenissimus suus Franciæ tenetur* VT PLVRIMVM (non ergo semper) *aduersâ valetudine, sic quod non potest commodè vacare disponendis Regni negotijs; idcircò ad vitam eiusdem consanguinei sui Franciæ, facultas disponendi Remp. Regni prædicti & exercitium (cum consilio Nobilium & prudentum eiusdem Regni, eidem Serenissimo consanguineo obedientium, qui quidem & honorem ipsius Regni dilexerint) penes ipsum Dominum* HENRICVM *Regem sint, & maneant; ita vt ipsum per seipsum, & item per alios, quos cum consilio præfatorum Nobilium ad hoc duxerit deputandos, regere possit & gubernare secundùm exigentiam iustitiæ & æquitatis.* Adde, quòd à Caroli Regis obitu publicis actis, quæ retuli, omnia Henrico confirmata sunt. Walsingham in Henr. V.

Præterea Carolus VI. pactis conuentis Regnum Franciæ non dedit Henrico Regi Angliæ vt tali, sed vt genero suo, causâ filiæ, quam in vxorem duxerat. Vnde litteræ Caroli Regis nomine in omnes Regni partes missæ continebant: *Non esse commodiorem viam, quàm vt per* CATHARINAM, *Regis filiam,* PAX *cum Anglo fiat, sitque* PER EAM MVLIEREM *in Regnum successurus post socerum, reiectâ omni gente Capeticâ, exhæredatoque atrocissimæ perfidiæ homine* CAROLO *Pontacensi, qui se Delphinum adhuc, patratâ tantâ infidelitate, auderet falsissimè nominare:* Meyerus lib. 16. an. 1419.

nare: nam qui fidem suam periurijs tantis amisit; qui nomen nobilitatis taliter perdidit; qui partem paradisi cælestis, qui spem æternæ salutis suæ ausus est abnegare & reijcere, is numquam vllam partem hæreditatis habere potest, nullâ successione dignus censeri debet. Iustior sanè fuit illa Delphini exhæredationis causa quàm Childerici primi, Veneri addicti Regis; cui expulso Ægidius Romanus à Proceribus subrogatus est: quàm Childerici III. quantumuis insensati: quo attonso, & in Monasterium detruso, Pipinus à Primatibus propter femineum longâ serie genus Coronam adeptus est: denique quàm Caroli, fratris Lotharij Regis, cui, ob leue inconstantiæ (non defectionis) crimen impositum, à quibusdam exhæredato suffectus est Hugo Capetus, qui

——— *obliquo maculauit sanguine Regnum.*

Iuuenalis Vrsini fides ideò suspecta est, quòd ipse Delphini partes sequeretur. P. Æmilium argumenti sui commentarios à Francis habuisse omnes sciunt. Veriùs Italus alter Polydorus Vergilius narrat: Lib. 22. *Acto Trecis Francorum Principum conuentu, ictum fœdus, nouaque affinitate corroboratum, collocatâ Catharinâ, Caroli filiâ, Regi Henrico.* Deinde, *in verba Regis Henrici, Franciæ Regentis nuncupati, Principes, qui aderant frequentes, vltrò iurasse;* quos Rex sic allocutus sit: *Mecum state, qui successurus sum Carolo socero in vestrum Regnum, meis primò maioribus, & deinde mihi iure hæreditario debitum.*

PRO XVIII. EXEMPLO.

DE HENRICO VI. FRANCIÆ ET ANGLIÆ REGE.

Walsing. loc. cit. OMNES pænè Franci, *qui Henrici V. Regis æquum & discretum regimen, post tam turbulentam & improbam aliorum tyrannidem, experti fuerant, auditâ eius morte planctu maximo condolebant; præcipuè Parisienses & Rhotomagenses:* libenter scilicet populi permanebant in Polyd. Vergil. lib. 21. Anglorum fide, *scientes præ iugo Francorum longè leuissimum Anglorum esse; quòd aliàs experti essent illos grauissimis vectigalibus atque exactionibus solere suos ciues miseramque plebem diuexare.*

Itaque Henrico V. in vtriusque Regni iure successit filius eius Henricus VI. cuius inaugurationem Parisijs solemni more factam retulimus. Sed ventum posteà ad Arrebatense fœdus; de quo cùm Lib. 23. ageretur, *petebant Angli vt Carolus declararetur Henrici beneficiarius: contrà Franci alterius factionis, Carolo Imperium liberum, non precarium esse volebant.* Propositas à Nicolao Cardinali Pacis leges ambo respuerunt; *eaque res fecit, vt Burgundiones & Franci cœperint deinde ad*

pactiones

pactiones venire. Francus Philippo Bono Burgundiæ Duci nihil denegauit, vt præpotentem Principem ab Anglo dissociaret. Hac arte Carolus VII. Regnum Franciæ, quo à parentibus iustis de causis priuatus fuerat, recuperauit. *Rebus cunctis vices agnatæ sunt: sed præcipuè circa alta & magna Fortuna ludit; & cùm potentiam indulget, minari incipit; in ipso fastigio lubrica, & mox preceps.* Anno 1435. Puteanus lib. 1. Hist. Insub.

PRO XIX. EXEMPLO.

DE PHILIPPO II. REGE CATHOLICO, ET ELISABETHA EIVS FILIA.

QVO te ptoripis Dominicæ? cur me puderet ea referre quæ reuerà sic gesta sunt? quæ Auctores vestri referunt, parentes vestri oculis conspecta memoriæ consignarunt. Ardebat Francia bellis intestinis; Caluiniani veræ Religionis cultum à Regno eliminate conabantur. Orthodoxi, & inter illos præcipui Parisienses, quibus illibata Patrum fides cordi semper fuit, hæretico Regi colla subdere nolebant; vnde PHILIPPVM II. REGEM CATHOLICVM, qui ab antiquis Francorum Regibus iustiori tramite quàm Hugo Capetus prosapiam ducebat, *velut Patrem ac defensorem Fidei, scutum Religionis, hæreticorum flagellum, totiusque Ecclesiæ protectorem* vocarunt, vti se Regni gubernaculis admoueri pateretur. Et hæc sancta illorum consilia, horrenda exempla vocas? Rex optimus, vt deiectis Catholicis auxilio esset; nullis sumptibus pepercit, numerosos exercitus in Franciam misit; quorum vi & metu vera Religio, quæ vacillabat, firmata; quæ exulauerat, postliminiò reuocata; sedati tumultus, & parta quies Regno. At inquis, ex Lutetianis illis quidam furcæ addicti. Sit ita, bellum ideò nec iniustum erat, nec iniqua Regis Catholici vocatio, qui labantem in Franciâ vestrâ fidem erexerit, vt pacatam tranquillamque Religionem vobis relinqueret, quam dudum à perditissimis hominibus impeti, & sursum atque deorsum ferri patimini.

A viris fide dignis accepi, de Regni moderatorum sententiâ habitum Lutetiæ conuenticulum in ædibus D. Hospitalij, Franciæ Marescalli, vt litterati quidam selectiores de tuis & Boucheti in me Commentarijs iudicium ferrent: hos inter eminebat Minister Caluinista Blondellus, *doctus soluere vincla quæstionum*: & cuius in arbitrio fuit,

—— seu te iuuenescere cedro;
Seu iubeat duris vermibus esse cibum.

Sed minimè dubitandum, quin eretâ notauerit tuam eiusmodi ad

huius exempli mei responsionem, intereà dum Bouchetus & Faber super Ansberti & Blitildis Stemmate verbis inter se digladiabantur.

Ceterùm, de Isabellæ Hispaniarum Infantis iure in Regnum Franciæ, & Ducatum Britanniæ, ex eo quòd stirpis Valesiæ legitima hæres esset, præclarum superest monumentum in diplomate Pontificio, quod ad me Româ misit Eminentissimus D. Alphonsus Cardinalis de la Cüeuâ. sic autem habet:.

CLEMENS PP. VIII.

AD futuram rei memoriam. Nuper dilectus filius, nobilis vir Antonius de Cardona & Corduba, Dux Suessæ, charissimi in Christo filij nostri PHILIPPI *Hispaniarum Regis Catholici apud Nos & Sedem Apostolicam Ordinarius Orator, cùm audiuisset aduenisse ad Vrbem nobilem virum Franciscum Luxemburgium, Ducem Pignei, charissimi in Christo filij nostri* HENRICI *Christianissimi Francorum & Nauarræ Regis Oratorem, ad Nos & Sedem Apostolicam missum, vt Nobis, de more, eiusdem Regis nomine obedientiam præstaret, & Nos eumdem Franciæ Oratorem in Palatio nostro Apostolico, & aulâ, quæ dicitur Regum, in publico consistorio, vt mos est, recepturos; volensque idem Antonius Dux & Orator praecauere, ne fortè ex huiusmodi obedientiæ actu* REGI SVO CATHOLICO, *& dilectissimæ in Christo filiæ nobili Mulieri* ELISABETHÆ *Hispaniarum Infantæ præiudicium aliquod inferatur, nomine eorumdem Regis & Infantæ memoriale obtulit manu suâ subscriptum; cuius tenor de verbo ad verbum sequitur, & talis est:* [Beatissime Pater, Cùm die XVI. Septembris M. D. XCV. innotuisset ex gerendis in actu absolutionis, quam die mox sequenti S. V. HENRICO Borbonio impendere decreuerat, ex eo potissimùm quòd eadem S. V. admittebat illum ad Regnum Franciæ, & eumdem in eodem actu, & Breuibus desuper conficiendis, Regem erat appellatura, multùm præiudicari iuribus, actionibus & prætensionibus quibuscumque competentibus, & competituris Serenissimæ ELISABETHÆ Hispaniæ Infantæ, Philippi Regis Catholici Domini mei filiæ, super dicto Regno Franciæ, Ducatu Britanniæ, & qualibet illorum parte, & super alijs locis & statibus particularibus, super quibus S. V.æ verbo & scripto sæpè fuit informatum; & propterea ad euitandum dictum præiudicium; & præseruandum tam dicta iura, actiones & prætensiones prædictæ Dominæ Infantæ competentia & competitura, quàm ad euitandum quodlibet præiudicium eidem PHILIPPO Domino meo Regi super Regno Nauarræ & qualibet eius parte, ad præseruandum iura sibi in toto illo Regno & qualibet eius parte competentia &

compe-

competitura, pro parte Catholicæ Maiestaris S. V. humiliter exponererur; quod volebar protestari, & S. V. tunc sibi protestari permiserit, eamdemque protestationem benignè admiserit. Nunc autem in actu obedientiæ, quam nomine eiusdem HENRICI Orator illius infra paucos dies exhibiturus dicitur, & S. V. suo & Apostolicæ Sedis nomine receptura, eidem Catholicæ Maiestati, & Dominæ ELISABETHÆ, respectiuè idem præiudicium inferendum timeatur: Ideò pro parte CATHOLICÆ MAIESTATIS eiusdem PHILIPPI Regis D. mei, & Celsitudinis prædictæ D. ELISABETHÆ Infantæ, humiliter supplicatur S. V. vt per suum Breue, aut motum proprium Apostolicum, in quo de verbo ad verbum inseri petitur hoc memoriale, dignetur declarare & decernere, nec esse, nec fuisse vnquam mentem aut intentionem S. V. præiudicare in aliquo iuribus, actionibus & prætensionibus quibuscumque competentibus & competituris CATHOLICÆ MAIESTATI in Regno Nauarræ, & qualibet eius parte; nec iuribus, actionibus, prætensionibus quibuscumque competentibus & competituris Serenissimæ Dominæ INFANTÆ in Regno Franciæ, & Ducatu Britanniæ, & qualibet eorum parte, & in alijs locis, & statibus particularibus, tam in peritorio, quàm in possessorio: atque ita supplicatur pro parte eiusdem PHILIPPI Hispaniarum Regis Catholici filij sui obedientissimi D. Ant. de Cardona & Corduba, Dux Suessæ, & Orator suæ Catholicæ Maiestatis.] *Nos igitur, qui Dei benignitate in Throno Iustitiæ sedemus, & communis Catholicorum Principum Patris Personam gerimus, & nullius iura imminuere, sed potiùs, quantum cum Domino licet, conseruare intendimus, ne de voluntate & intentione nostrâ vllo vmquam tempore dubitari possit, motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, per has nostras litteras declaramus & decernimus; non esse nec fuisse mentis & intentionis nostræ, ex supradictâ obedientiâ Regis Francorum nobis præstandâ, & postquam præstita fuerit, etiam cum Regis Nauarræ denominatione, & eiusdem Regni nomine, iuribus, actionibus & prætensionibus cuiusquam præiudicare, & præsertim Sedis Apostolicæ, eiusdem* REGIS CATHOLICI; *neque* INFANTÆ *præfatæ, super Regno Nauarræ, & qualibet eius parte, & super Regno Franciæ, & Ducatu Britanniæ, & qualibet eorum parte, respectiuè: & vice versâ, declaramus & decernimus, quòd eodem modo non intendimus in vllo præiudicare iuribus, actionibus, & prætensionibus prædicti* HENRICI *Regis Franciæ, & Nauarræ etiam nuncupati, super dicto Regno Nauarræ, & qualibet eius parte, & alijs quibuscumque iuribus, super dicto Regno Franciæ, & Ducatu Britanniæ; sed omnia & singula iura & prætensiones amborum Regum, & ipsius Infantæ, qualia-*

qualiacumque sunt, in suo statu relinquimus, in quo erant ante obedientiam præstandam & præstitam: ita vt ex obedientiæ actu, & ex hac nostrâ declaratione, nihil cuiquam iuris addatur, nihil diminuatur, nec Sedi Apostolicæ, nec PHILIPPO, *&* HENRICO *Regibus, neque* ELISABETHÆ *Infantæ, neque eorum hæredibus, & successoribus, neque in possessorio, neque in petitorio, neque in aliquauis ratione; sed omnia eodem loco, statu, iure, conditione sint & habeantur, prout anteà erant. Et ita declaramus, & decernimus, contrarijs non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die* XV. *Aprilis* M. D. XCVIII. *Pontificatus nostri anno sexto.*

Obserues velim, Dominice, Pontificem Maximum istis Codicillis PHILIPPVM II. Regem HENRICO IV. præposuisse; quod aliàs mihi proderit aduersus aliqualem tuam de prærogatiuâ Regum obiectionem.

LVMEN X.

Historia mirabilis de Francorum Rege suppositilio; qui fuit primus effectus Salicæ Legis in Occidentali Franciâ obiectæ pro successione Regni.

EX adductis firmatisque exemplis satis superque constat, Gregorium Turonensem & Aimoinum Monachum, antiquissimos rerum Francicarum Scriptores, qui Regum antiquiorum successiones & sublimationes magnâ curâ tradidêre, ne verbo quidem meminisse Salicæ Legis; aliosque eiusdem ætatis, qui eius Legis mentionem fecerunt, ad Regum successiones illam non extendisse: quæ certè si ab initio *columen ac fundamentum Regni* fuisset, vt volunt Scriptores nouitij, illam vetustiores celebrare non omisissent.

Constat prætereà, Salicam Legem in Franciâ Occidentali minimè allegatam pro Coronæ successione ante Philippi Longi tempora, hoc est, nouenis pænè sæculis postquam condita fuerat. Vnde Franciscus Belleforestius Philippi Longi Regis Historiam orditur hocce titulo: *Ce qui aduint en France pour le faict de la Royaulté, & premiere praticque de la Loy Salique.* Hallianus quoque in hunc modum locutus est: *Quelques vns disent, que ce fut lors que fut premierement mise en euidence la Loy Salique pour le faict de la Couronne de France; & qu'auparauant on n'en auoit oüy parler: & que Philippe le Long la fit approuuer par tous les Seigneurs du Royaume, ayant gaigné les vns par promesses, & les*

Tomo 2. lib. 4. c. 54.

In Lud. Hutino fi.

les autres par force & par menaces. Atqua hinc est quòd Dionysius Petauius, Scriptor solertissimus, Salicæ Legis in Occiduâ Franciâ pro Coronæ successione obseruatæ non meminerit ante Philippum Longum Regem. Lib. 9. Ration. c. 6.

Huic verò Principi, vt Salicæ Legis recèns adinuentæ vi regnaret, obstabat Ludouicus Hutinus Rex frater eius; qui statim veneno sublatus est, vti testatur Chronicum vetus Flandriæ, quod seruatur Bruxellæ in Bibliothecâ Regiâ: *Ce Roy ne regna que vn an: & fut* EMPOISONNE': *& la Reyne Clemence demoura enceinte d'vn filz: & Philippe le frere du Roy demoura Regent du Royaume. Apres ce que la Royne de France fut accouchée, l'enfant fut appellé au baptesme* IEAN; *& ne vesquit que dix iours. Apres fut Roy de France Philippe, qui estoit Regent.* Quia porrò posthumus ille Philippum Longum etiam à Regno excludebat, de illo perimendo consilium initum; sicque res nefariè gesta est.

Anno M. CCC. XVI. *versabatur Parisijs* SPINELLVS TOLOMMEVS, *nobilis Senensis, mercaturam pari cum laude & emolumento exercens: habebat sibi adiunctum nepotem pariter nobilem Senensem,* GVCCIVM DE MINO BAGLIONI. *Hic vice auunculi dabat ad cambium aut censum cuidam Castello nomine* NESLES: *quo in loco familiaritatem cum quibusdam coætaneis iuuenibus iniit, filijs Equitis Picardi, Domini de* CRESSY, *parum distantis à* NESLES. *Tantum inualuit hæc eorum consuetudo, vt* GVCCIVS *plus solito detentus ab amicis in Cressiaco, Dominam* MARIAM *ipsorum sororem adamauerit, & hæc vicissim: nec ita multò pòst, subsecuto mutui amoris actu fauente cubiculariâ, grauidam reliquerit. Adducta in eum statum, vt secretum seruari non posset, Dominæ matri* ELIABELLAE *rem totam aperuit, non patri, qui iam obierat. Peruenit notitia ad aures fratrum* MARIAE, *Petri & Ioanneti, (qui facti fuerunt Equites per manus* PHILIPPI *Valesij in clade Cressiacensi;) & ideò cum exilio mortem* GVCCIO *machinabantur. Verùm hic insidiarum non ignarus, peregrini habitu Lutetiam repetens, Spinelli monitis Senas abiit. Postmodum, cognito sororem legitimè desponsatam, eoque fratribus demonstrato, reconciliationem quidem obtinuit, sed non commercium; vitæ securitatem, non vsum vxoris; reuersusque est deinceps Senis Parisios. Interim, ad vitandum dedecus,* MARIA *grauida in Monasterium deducta Parisijs filium peperit; cui nomen impositum* IOANNOTVS; *& consignatus est nutrici nomine Abaloth, educandus prope ciuitatem.*

Eodem tempore Regina CLEMENTIA *(filia* CAROLI *Martelli, ex Regalibus Apuliæ, vidua relicta* LVDOVICI *Regis, Philippi Pulchri filij, mortui mense Iunio anni* M. CCC. XVI.*) peperit filium; cui ad satisfactionem*

nem voti IOANNIS *nomen impositum; & mansit sub iure* PHILIPPI *Longi, fratris carnalis sui patris (ita statutum erat à* LVDOVICO) *& Vicarij Coronæ Franciæ. Nato iam puerulo, illi quibus erat cura commissa acceptâ notitiâ,* MARIAM, *de quâ suprà, esse in quodam Monasterio cum suâ prole & nutrice, eam adierunt; fuitque iuxta Regiam consuetudinem, adhibito Medicorum & feminarum consilio, electa in nutricem Regis, & cum proprio filiolo eiusque nutrice secretò deducta in ædes Regias, eique Rex puer traditus.*

MATHILDIS *Comitissa Artesiæ conceptâ inuidiâ iam ex quo Regina* CLEMENTIA *gestabat vterum, vt quæ optaret absolutam Coronæ auctoritatem* PHILIPPO *Longo, genero suo, rumorem sparsit (vixdum nato Rege) non esse viuacem & durabilem; quo magis accensi sunt Principes & Barones cupiditate eum videndi: sed Proceres deputati custodiæ pueri Regij, animaduerso odio Comitissæ, cùm honestè non possent petitionem specie iustam recusare, Regali diademate Regijsque insignibus ornarunt* IOANNOTVM *à* GVCCIO BAGLIONI *Senensi; eumque Regis loco Comitissæ brachijs in omnium conspectu commiserunt. Hæc arbitrata se manibus Regem tenere, id effecit, vt sequenti die moreretur. Sunt qui dicant, violenter strinxisse tempora; alij acutissima acu transfixisse; alij lentiore veneno interemisse. Regem vniuersa Curia Regnumque lugebat: sola* MARIA *inconsolabiliter deplorabat filium; eoque magis, quo plus cæteris ab auctoribus commutationis silentio adstringitur: videt tandem sepultum natum, & erectam illi statuam prope simulacrum* LVDOVICI *Regis.*

His peractis, coronatus est Rex PHILIPPVS *Longus, qui desijt prolis hæredis expers: successit* CAROLVS; *cuius etiam linea extincta est: postmodum* PHILIPPVS *Valesius, filius Caroli sine terrâ, quem subsecutus* IOANNES.

MARIA *cum suo Regio puerulo, existimato proprio filio, in Monasterium redijt; inde Cressiacum; vbi post aliquot annos venit ad mortem. Peruenerat iam Cressiaci ad ætatis annum decimum* REX *habitus pro* IOANNOTO *Baglioni, cùm* GVCCIVS *multa damna perpessus eum ab vxore impetrauit, Lutetiam adduci curauit; inde anno* M. CCC. XXVI. *Senas misit ad paternam domum. Senis semper fuit studio mercaturæ occupatus; & initio vixit tenui fortunâ; eò quòd Minus factus abiectior, deficiente societate Tolommeorum, anteà toto Orbe Christiano clarissimâ, coactus fuerit à priore loco & splendore secedere. Nihilominùs breui post tempore propriâ industriâ non modicas pecuniæ summas lucratus est. Fuit Thesaurarius generalis Reipublicæ: fuit Rector domus Misericordiæ: semper laudatus, & rebus vsus ad gloriæ augmentum.*

Anno Iubilæi M. CCC. L. *visitauit Romam; omni lucro abstinuit: duas habuit*

habuit vxores; nempe IOANNAM *Nicolai* VICCOLI, *anno* M.CCC.XLII; *&* NECCAM *Vanni* AGAZZA, *anno* M. CCC. XLVIII. *susceptis ex vtraque prolibus. Intereà temporis auctoribus permutationis mors superuenit, deductâ priùs amplâ rei totius narratione in eorum testamentis, directis partim ad Episcopum, partim ad S. Dionysium. Infirmata etiam ad mortem* MARIA, *factum omne reuelauit Fratri* IORDANO *Hispano, Ordinis Eremitarum S. Augustini, ei imponendo manifestationem tantæ rei apud* PAPAM, *vt posset hoc adminiculo dignitati & iuri suo restitui, qui tam iniustè fuerat priuatus.*

Statuit Frater IORDANVS *(quidquid in contrarium sibi euenire posſit) totum manifestare: ex quo etiam ea de re sermo esset in Italiâ, ortus à quibusdam Baronibus Francis, qui occasione anni Sancti Romæ publicauerant negotium, & necdum reperiri Regem. Verùm Frater* IORDANVS, *vtpote senex, spem abijcit: eâ causâ Fratri* ANTONIO *socio scripta consignat: hic ad portum Veneris pertingit, vbi in lethalem morbum incidit; ideoque resoluit scripta transmittere ad* COLAVM *de Renzo, Tribunum Romanum, regressum (vti ferebatur) in dominium illius Ciuitatis, vt à tanto mundi capite* REX *profugus subleuaretur. Anno* M. CCC. LIV. *exequitur suam resolutionem: accipit Tribunus litteras: recuperat Frater* ANTONIVS *sanitatem; & recreatus Tribuni responsis, lætus cum his nouis redit in Franciam.*

Tribunus se ad designatum opus accingit; varia per Hetruriam monita expedit; dat mandatis vigorem tum auctoritate, tum signaturis. Isti illum conueniunt: non adhibttur eis fides: Romam reuertuntur. Verùm adiungit Tribunus multas litteras, quibus stimulatus IOANNOTVS, *inscius natalium suorum Regiorum, secretò militari habitu Romam se transfert. Equitat anno* M. CCC. LIV. *in campo Floræ: ad Tribunum pergit adgeniculari, eidem litteras offert: Tribunus ei obuiàm procedit, deducit in cubicula restaurandis ab itinere viribus; & post breuem cum illo sermocinationem, tympanis ac tubis salutari iubet.*

Paulò post Tribunus distentus cogitatione mortis sibi machinatæ per Columnesianos, iubet REGEM *ad Montem Flasconem se conferre, vbi erat Cardinalis Hispaniæ, tum Legatus Italiæ.* IOANNOTVS *agnitus à quodam milite excitatur ad discedendum Româ: venit itaque ad Cardinalem; offert fasciculum litterarum: & cùm Cardinalis se mouet ad vtriusque protectionem, spargitur vox de morte illatâ Tribuno.*

IOANNOTVS, *abiectâ spe, Senas repetit; vbi communicatâ re cum certis Religiosis subsistit, donec* IOANNES *Valesius acceptâ clade à Principe VValliæ, filio* EDVARDI *Regis Angliæ, dedit cum suis tumultibus aliquam spem aduersus sua infortunia: & tum decreuit diffusè omnino,*

& propalàm secretum manifestare. Res ita diuulgata, principio fuit varijs affectuum demonstrationibus agitata per Rempublicam. Postmodum, consideratis mercatorum Senensium, commercia cum Francis habentium, querelis, quòd eapropter malè exciperentur, defectus est IOANNOTUS *auxilio, clientelâ & consilio.*

Nihilominùs IOANNOTVS *anno* M. CCC. LVII. *paucis comitibus statuit Senis discedere : progreditur Viennam & Budam ; inde Godram, iterumque Budam repetit. Reuertitur in Longobardiam & Hetruriam; & planè à suis dimissus nauigat Auenionem. Transit in Prouinciam; & commoratur modò in Vrgonâ, modò in S. Remigio, modò in Silone. In culmine suarum expectationum carcere detinetur in S. Stephano in Prouinciâ; transportatur Massiliam, vbi corruptis custodibus, se per muros demittit: pergit ad mare, neminem reperit, qui naui excipiat : confugit ad Ecclesias, non est qui recipiat : redit ad domos, vbi denunciatur Iudici, & denuò carceri mancipatur ; impositâque infami calumniâ, damnatur ad mortem à Ioanne Caramarico.*

In tot aduersis euentibus Deus, lucem gratiæ suæ numquam denegans, IOANNOTO *patientiam inuictam conferebat : non moritur in Massiliâ, eò quòd ministri moniti, meliùs consideratâ & perspectâ veritate, executionem suspenderint, & iudicem iniquum suo officio priuauerint : illi anno* M. CCC. LXI. *innocentem reum triremi Ioannis Burgundi, Prouincialis Tolonei, transmittunt Neapolim ad Regem* LVDOVICVM *. *Ad conspectum adeò horribilem excitata est pietas extraordinaria in* LVDOVICO, *qui auditâ narratione Tragœdiæ illius, eum Officialibus consignauit; à quibus nouis calumnijs & vexationibus fuit agitatus. Detentus in custodiâ etsi visitabatur, & compatiebantur plerique; nullus tamen fructus sequebatur. Inde mansit* MAGNVS *hic incarceratus in custodijs Reginæ* IOANNAE, *eiusque supplicatione deductus est in Castellum loci, vbi* IOANNOTVS *(quem etiam* IOANNINVM *Chronista Senenses nominant) sanctè & infeliciter vitæ dies terminauit.*

* Tarentinum, qui obijt an. 1362.

Hactenus è Vitâ dicti Regis Ioannini, scriptâ per Thomam Agazzanum, & Salomonem Picolomineum ; existente in Bibliothecâ Barberinâ : ex altero textu eiusdem Vitæ per eosdem scriptæ, existente apud D. Iulium Picolomineum : ex varijs scripturis originalibus in pergameno, apud eumdem : ex Chronicis Sigismundi Titij, priùs existentibus in Reformationibus Senensibus, nunc in domo Guillelmiorum : ex Libris mortuorum S. Dominici; in quo Conuentu adhuc extat sepulchrum dicti Baglionij, &, vt dicebant, *Regalium Franciæ :* & alijs locis.

Cauete matres à cædibus filiorum ; vos autem Principes à fœtibus

bus ſuppoſititijs. Vtrumque periculum exemplo memorabili Salica Lex minatur.

LVMEN XI.

Burgundia Ducatus Salica Terra numquam fuit, adeoq; à Francis iniquè vſurpatus.


SSERVI, Burgundiæ Ducatum Salicum numquam fuiſſe; & probaui, in illo octingentis abhinc annis *feminis æquè ac viris paternæ hæreditatis ceſſiſſe auctoritatem, iuxta morem* (ex Othone Friſingenſi) *in Burgundiâ & in omnibus penè alijs Galliæ Prouincijs ſeruatum.* Vindic. Hiſp. c. 8.

Verùm opponit Dominicus; Primò, maiora feuda ſeu beneficia ab initio temporaria, & ad libitum reuocara fuiſſe; inclinante demum ſecundâ Regum ſtirpe in patrimonia euaſiſſe: ſed cùm primùm ea beneficia ad priorem rediere naturam, & fiſco annexa Salicæ Terræ portiones deuenêre, feminis deinceps fuiſſe interdicta. Atqui ego torâ hac diſputatione oſtendi, Regnum Franciæ Occidentalis Salicum non fuiſſe; vnde ſequitur, nec beneficia illi annexa Salica eſſe potuiſſe. Deinde Burgundiæ Ducatus ab initio beneficium non fuit, ſed portio paternæ hæreditatis Hugoni I. Abbati aſſignata à Ludouico Pio eius fratre: quam diſtractionem vt ipſe effugere poſſet, *fratres ſuos* (verba ſunt Thegani) *Drugonem*, HVGONEM, *& Theodoricum*, AD DISCORDIAM MITIGANDAM, *tonſurari iuſſit.* Sed cùm Hugo ætate prouectior, mutato vitæ ſtatu, connubio ſe illigaſſet; Ducatus Burgundiæ, tamquam hæreditatis paternæ portio, ei collatus eſt; qui poſtmodum eodem iure ad eius poſteros tam mares quàm feminas continuò tranſiuit, vt clarè probant Auctores quos adduxi, qui paſſim *hæredis* vocabulo in Hugonis poſteritate vtuntur. p. 126. 127. De Geſtis Lud. Pij.

Obijcit deinde Dominicus, Robertum II. Regem in beneficia à fiſco deriuata manum inieciſſe, vt maſculis adſcriberet propinquioribus: quod probare intendit exemplo Hugonis, filij Lamberti Comitis Cabillonenſis, cui, non obſtante ſacerdotio, Robertus Rex paternum Comitatum contulit. *Fuit Hugo Epiſcopus Autiſſiodorenſis*, inquit Glaber, *regenſque Comitatum patris ex imperio Regis; quoniam præter eum pater non habuit ſobolem ſexus maſculini*. Ex quibus non conſtat, Robertum Regem Hugoni contuliſſe paternum Comitatum, ſed iuſſiſſe dumtaxat, vt, dum viueret, frueretur paternâ hæreditate; Pag. 128. Lib. 3. c. 2.

Chesne in Comit. Burg. l. 3. & in Ducibus, c. 17. quam non fuisse Salicam ex eo clarum est, quòd, Hugone Episcopo & Comite mortuo, in eius sororem *Theobaldo* nuptam Comitatus deuolutus sit; eodemque iure, metè allodiali Guillelmo Comiti in eadem Cabillonensi hæreditate successerit *Beatrix*, Stephani Comitis Aussonnæ vxor; quemadmodum & istis coniugibus eorum filia *Mathildis*, quæ virum suum *Ioannem* Burgundum Cabillonis Comitem effecit. Vides, Dominice, vt exempla tua te iugulent, motemque in Burgundiâ vsitatum firment; & quàm egregius sis Assertor, Pag. 129. qui posteà fateri cogeris, Ludouicum Regem iuniorem feminas feudorum capaces denunciasse epistolâ ad Ermengardim Vice-comitissam Narbonensem, quam scripsit tempore belli Tolosani anno M. C. LVIII.

Pag. 132. Obijcit Tertiò, aliam esse legem Familiæ, aliam Regionis; Familiam Ducum Burgundiæ, ex quo ab Hugone Capeto in Regiam delapsa est, Regiæ familiæ institutis vixisse: sed quia ostendimus, Hugonem Capetum Regnum Franciæ Salicâ Lege adeptum non fuisse, inde sequitur Salicum institutum ad Regiam eius familiam non attinuisse, quin potiùs (etiamsi ante illum quodpiam fuisset) ab ipsomet abolitum.

Sed adducit Dominicus exemplum Roberti, cui Henricus I. eius frater Burgundiam Occidentalem titulo Ducatus regendam commisit; vt est (ait) in chartâ tabulari S. Germani à Pratis. Verùm, vt malè *Henricum* Assertor adduxit pro *Roberto* Rege; ita etiam chartæ Chesne in Burg. Duc. Probat. p. 9. an. 1054. sensum iniquè detorsit. sic enim habet: *Ego* ROBERTVS, *superni Arbitri cuncta regente ac disponente potentiâ, post obitum patris mei* ROBERTI *Regis Francorum*, BVRGVNDIAE REGNVM *eius destinatione* DVCIS *auctoritate adeptus*. Eodem intellectu Hugo, Roberti Ducis iam dicti ex Henrico filio nepos, chartam pro Ecclesiâ S. Benigni Diuionensis sic orditur: *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego* HVGO *cùm, ipsius fauente clementiâ, post decessum* ROBERTI *Ducis, patris* HENRICI *genitoris nostri*, CVLMEN DVCATVS *fuissem adeptus*. Probat. p. 20. anno 1075. Quæ loquendi formulæ cùm supremæ ac regiæ potestatis & commissi à solo Deo culminis speciem præferant, longè absunt à fictitio appanagio, & sustentatione, quam Dominicus ab anno CM. LIV. introductam falsò pronunciat.

Aliud argumentum desumit Dominicus ab *Tolende*, filiâ Odonis Comitis Niuernensis (non Carrolesij, vt malè Assertor) quæ cùm (ait) post mortem Hugonis IV. Burgundiæ Ducis de Ducatus successione controuersiam mouisset, eumque vindicaret ex personâ patris Odonis, qui Roberto fratre maior natu erat; iudicio Philippi III.

pi III. Regis, arbitri renunciati, causâ cecidit, Roberto Ducatu adiudicato anno M. CC. LXXII.

Ad quod respondeo, verum quidem esse, *Alizim* sorori suæ *Yolendi* mouisse controuersiam coram Philippo III. Rege anno M. CC. LXXIII. pro Comitatu Niuernensi, Autissiodorensi & Tomodorensi; sed *Yolendim* aduersus Robertum fratrem obtendisse Burgundiæ Ducatum, nego vllis constare monumentis. Robertus enim constitutus fuit Dux testamento patris; cuius hæc sunt verba formalia: *Ego* HVGO *Dux Burgundiæ per Dei gratiam compos mentis, licet æger corpore, meum testamentum nuncupatiuum, seu meam vltimam voluntatem ordino in hunc modum, potestate mihi datâ tam à iure, quàm à* VOLVNTATE PROPRIA LIBERORVM MEORVM, *videlicet* [prolium] ODONIS *primogeniti mei*, QVONDAM *Domini Niuernensis*, IOANNIS *quondam Domini Borbonensis, & * ROBERTI *filij mei. In primis instituo hæredem meum dictum* ROBERTVM *filium meum; & volo quòd idem Robertus, qui mihi superest* VIVVS MASCVLVS, *de primâ vxore meâ procreatus, habeat & possideat in perpetuum pro portione sibi competente tam in rebus meis hæreditarijs, quàm à me acquisitis, hæc quæ inferiùs nominantur*, &c. *Insuper instituo eumdem* ROBERTVM HAEREDEM MEVM IN DVCATV BVRGVNDIAE; *& volo quòd habeat* IN PERPETVVM *Ducatum cum feodis & iuribus ad dictum Ducatum pertinentibus*, &c. *Si verò* FILIAE *prædicti* ODONIS, *vel ipsarum aliqua, honorem Ducatus à dicto* ROBERTO *euincerent (quod non credo esse iuris vel rationis, sed de contrario credo firmiter esse certus) in illo casu instituô hæredem meum dictum* ROBERTVM *filium meum in rebus inferiùs nominatis*, &c. *Acta sunt prædicta apud Vilanas en Dunois die Lunæ ante festum S. Michaëlis, anno Domini* M. CC. LXXII. Caussam ergo suæ voluntatis reddit HVGO Dux, *Quia solus filius ei supererat viuus Robertus* : quam tamdem adfert Balduinus de Auennis Auctor coætaneus: *Yolendis* [Drocensis] *nupsit Duci Burgundiæ* HVGONI, *qui ex eâ tres genuit filios, & vnam filiam. Nomen primogeniti* ODO, *qui fuit Comes Niuernensis : nomen secundi* IOANNES : *tertius verò* ROBERTVS *nomine patri successit in Ducatu, eò quòd alij duo fratres decesserunt viuente patre*. Notandum porrò Stemmatis Couciaci Auctorem, etiam coætaneum, asserere illud factum *contra Burgundiæ consuetudinem*. hæc sunt eius verba: *Le tiers filz le Duc* HVGON *de Bourgoingne, & la Duchesse* YOLAND, *ot nom* ROBERT, *si comme dict auons. Cil ot à femme la maisnée fille du Roy S. Louys, qui mourut à Thunes; & fut Duc de Bourgongne apres son pere* CONTRE LA COVSTVME DV PAYS : *les enfans de son aisné frere le deussent estre*. Verùm

Probat. p. 88.

Prob. p. 78.

In Geneal. MS.

Le lignage de Coucy MS.

quia HVGO Dux testamento id constituerat, & in id consenserant liberi eius, hoc est, aliorum filiorum iam defunctorum proles, adeóque ipsa Yolendis, in executione paternæ voluntatis nulla orta est difficultas; neque ex Lege Salicâ ab Hugone quidquam actum vel cogitatum; quam in Burgundiâ vsu receptam non fuisse indicant verba iam laudati Auctoris; *Contre la coustume du pays:* quæ conueniunt cum more ab Othone Frisingensi memorato, quem Assertor more suo temerè improbat. Contigit pænè similis casus in Ducatu Barrensi: ROBERTVS enim Dux Barri primus cùm videret sublatum è viuis HENRICVM filium suum primo loco genitum, qui ROBERTVM puerum ex Mariâ Couciacâ reliquerat, prætermisso repræsentationis iure, EDVARDVM filium superstitem in Barrensi Ducatu successorem & hæredem instituit, propinquorum & amicorum Roberti nepotis & suorum consensu priùs habito. Edidit Andreas Chesneus pacta & partitiones inter Roberti Ducis liberos, cum approbatione Principum agnatorum factas & constitutas, annis M. CD. VIII. & IX. Agitat quæstionem Lipsius, an patruus fratris filio in successione præferatur. *Qui patruum præferunt*, inquit, *rationem proximi sanguinis adspiciunt à patre; nam patruus nepotem toto gradu antecedit*. Exempla deinde profert Ludouici Pij, Roberti Regis Neapolitani, Numidarum, Vandalorum, Moscouitarum. Quæ postrema etsi parum faciunt ad vsum nostrum, certè Stephanus Pasquierus disertè affirmat, *in Galliâ, ex antiquo iure, repræsentationem locum non habere; nepotem ex filio excludi à filio; patruum similiter præferri ex fratre nepoti in successione collaterali.* Vnde Philippo Artesio, Roberti II. Artesiæ Comitis filio, ante patrem mortuo, anno M.CC.XCVIII. filius Philippi Robertus decreto Senatus Parisiensis à Comitatu Artesiæ exclusus fuit; Robertoque Comiti apud Curtracum cæso anno M. CCC. II. successit Mathildis eius filia superstes. Perperàm igitur Dominicus ad imaginaria regiæ familiæ instituta illud adduxit, quod totum ex patris testamento, & eorum quotum intererat assensu, peractum est.

In Histor. Barrensi prob. p. 57.

Monitorum Politic. c. 4.

Lib. 4. c. 20.

Chopinus l. 3. de Domanio, tit. 3. nu. 2.

Accu-

Accuratius Stemma mediorum Burgundiæ Ducum.

1. HVGO IV. Dux Burgundiæ: vxor Yolendis Drocensis.

2. Odo iunctus Mathildi filiæ Archambaldi Borbonij, obijt ante patrem.

2. IOANNES iunctus Agneti Borboniæ, decessit ante patrem.

2. Robertus II. Dux Burgundiæ ex patris testamento, iunctus AGNETI filiæ S. Ludouici, sorori Philippi III. Regum, pactis initis anno 1272.

3. YOLENOIS nupta Roberto Comiti Flandriæ.

3. Alix nupta Ioanni Cabilonensi.

3. ODO IV. Dux Burgundiæ: vxor Ioanna Philippi Longi filia.

3. MARGARETA nupta Ludouico Hutino Nauarræ Regi.

3. IOANNA vxor Philippi Valesij.

3. MARIA nupta Eduardo, Comiti Barrensi.

4. Philippus Burgundus: vxor Ioanna Boloniensis, decessit ante patrem.

4. IOANNA nupta Philippo Comiti Ebroicensi.

4. Ioannes Rex Franciæ: vxor Bona Luxemburgensis.

4. Philippus Dux Aurelianensis.

4. Henricus IV. Comes Barri: vxor Yolendis Flandrica.

5. Philippus Roboretanus, Dux Burgundiæ, sponsus Margaretæ Flandricæ, ἄπαις.

5. Carolus Rex Nauarræ: vxor Ioanna filia Ioannis Regis Franciæ.

5. Philippus Audax, Dux Burgundiæ patris donatione: vxor Margareta Flandrica: à quibus alij Duces.

5. Robertus Dux Barri: vxor Maria, filia Ioannis Regis Franciæ.

Tabellam hanc à Dominico malè ordinatam auctiorem dedi & correctiorem, vt lucem faceret alijs de Burgundiæ Ducatu quæstionibus; quas exsoluam, si priùs protulero Diplomata Ioannis II. & Caroli V. Regum.



LVMEN

LVMEN XII.

Diplomata Joannis II. & Caroli V. Franciæ Regum, quæ Ducatum Burgundiæ ſpectant, ex Archiuo Regio deprompta.

DIPLOMA PRIMVM, VNIONIS.

IOANNES *Dei gratiâ Francorum Rex. Licet ſceptri Regalis imperioſa Maieſtas, in apicem celſitudinis ſurſum eleuata, ſuorum ſubditorum reique publicæ iugiter inuigilet commoditatibus, quia & ſubditorum commoditate Principis locupletatur potentia: tamen non ob hoc minimè curioſè ſuæ Coronæ iura tuens regalia, ad eiuſdem exaltationem magnificum glorioſumque decorem aſpirans, ſuæ conſiderationis perſpicaciſſimos oculos debet erigere. Iſtorum etenim alterum alterius auxilio ſemper eguit, vt in ſubditorum proſperitatibus gaudeat ſe felicem, & in ſui diadematis exaltatione ſuum ſtabiliatur Imperium. Sanè Nos, Diuinâ fauente clementiâ, ſuper cathedram Regalis præeminentiæ ſublimati, præſidentiæ glorioſæ Francorum Coronæ, quam felicibus prædeceſſorum noſtrorum nuntijs inclytis, inter cæteras huius Orbis dominationes & regias poteſtates ipſe, per quem Reges regnant, Rex gloriæ ſuis exaltauit ſcientiarum, & aliorum bonorum communiuit beneficijs, victorioſiſque tribuit gloriari triumphis; donec noſtris nouiſſimis temporibus idem Rex regum & Dominus, poſt tam proſpera, in ſignum dilectionis comprobandæ, nobis ſubminiſtrauit aduerſa, quòd hoſtium noſtrorum impietas, exigentibus hominum peccatis, aduerſus nos hoſtiliter inſurrexit; quòd poſt illata in Regni noſtri diuerſa climata manifeſta & non modica diſpendia, idem Dominus omnium, Coronæ noſtræ gloriam ſugillans per eum ſic exaltantem, in perſonâ noſtrâ humiliari, & perſonam noſtram hoſtium noſtrorum concludi & captiuari manibus voluit, & permiſit. Tandem illo procurante, qui eſt auctor pacis, & amator libertatis; non modicum noſtra Corona in ſui alienatione patrimonij per nos factâ paſſa eſt detrimentum. Quod ſic fieri nobis & Reipublicæ credidimus expedire, vt quod bellorum calamitas introduxit, huius præſentis Pacis lenitate ſopiatur. Quapropter ad noſtræ Coronæ exaltationem, decorem & magnificentiam noſtræ prouidentiæ figentes intuitum, eidem prouidere cupientes, Notum facimus per præſentes tam præſentibus quàm futuris; quòd cùm nuper per mortem cariſſimi filij noſtri* PHILIPPI DVCIS BVRGVNDIÆ, *dictus* DVCATVS BVRGVNDIÆ, *cum iuribus & pertinentijs vniuerſis, nobis in ſolidum* IVRE PROXIMITATIS,

TIS, NON RATIONE CORONAE NOSTRAE *debitus, ad Nos fuerit deuolutus, & in Nos iure successorio translatus, ac à Nobis tanquam noster acceptatus, ipsum eumdem Ducatum Burgundiæ, ac Comitatum Campaniæ, necnon Comitatum Tolosæ, ad Nos pleno iure spectantes, cum ipsorum singulorum iuribus & pertinentijs vniuersis nostræ felici Coronæ Francorum de nostrâ certâ scientiâ & auctoritate regiâ donamus, vnimus, coniungimus, & inseparabiliter solidamus; iuribus dictæ Coronæ nostræ dictos Ducatum Burgundiæ, Comitatus Campaniæ & Tolosæ ex nunc applicantes, appropriantes, & inter ea iura numerantes; & sic solidatos in perpetuum dictæ Coronæ per præsentes volumus & decernimus, & vnitos, quoscumque alios successores in eisdem Ducatu & Comitatibus, præter futuros Reges Francorum, in perpetuum excludentes. Insuper dictæ Coronæ nostræ augentes Insignia, Ducatum Normanniæ volumus in modum qui sequitur nostræ Coronæ sociari: nam cùm de præsenti dictus Ducatus Normanniæ sine cuiusque iniuriâ nostræ Coronæ vniri nequiret, seu consolidari, cùm eodem Ducatu Carissimus noster primogenitus* CAROLVS *Delphinus Viennensis, ex dono regio per nos sibi facto, iam pluribus temporibus fuerit, & sit inuestitus, & eidem ius reale quæsitum, quem legitimum possidentem, sicut nec alium quemcumque spoliari non intendimus; ipsum tamen Ducatum Normanniæ tunc nostræ dictæ Coronæ vniendum & consolidandum volumus & disponimus altero duorum casuum subsequentium euentu; videlicet quando Nobis præsenti vitâ functis, dictus primogenitus noster in Regno successor extiterit: ad quod tunc consolidandum iubemus, & ad hoc ipsum quantum possumus obligamus, cùm insignia coronationis suscipiet, præstans tunc iuramentum, quòd numquam per ipsum inter tam sic vnita & coniuncta aliqua generabitur diuisio seu schisma. Pro quibus omnibus & singulis adimplendis taliter & complendis, dictum carissimum primogenitum nostrum iuramento volumus adstringi, & super hoc per ipsum de præsenti solemne præstari corporaliter iuramentum; vel si (quod absit) ordine mortalitatis turbato, Nobis adhuc vitâ fungentibus, dictus noster primogenitus diem suum clauderet extremum, dictum Ducatum Normanniæ tunc vniemus, consolidabimus, & vniri seu consolidari tunc promittemus, prout in dictis Ducatu Burgundiæ ac Comitatibus Campaniæ & Tolosæ superiùs est expressum. Promittentes sub fidelitatis iuramento, quo eidem Coronæ nostræ sumus obligati, contra huiusmodi dispositionem & ordinationem prædictas, seu contra aliqua præmissorum aliquâ viâ directè vel exquisito colore per obliquum & indirectè non venire, vel in contrarium attemptare. Quæ sic fieri & adimpleri iam ad supradicta Dei Euangelia manibus sursum eleuatis iurauimus solemniter obseruari; & ad quæ perficienda & obseruanda perpetuò Nos & futuros successores nostros Reges Francorum obli-*

gamus, & volumus esse adstrictos; ac, dum insignia coronationis recipient, ad prædicta iuramenta renouanda per eosdem, modo & formâ prædictis ipsos teneri volumus, ac decernimus per præsentes. Ad quorum omnium plenissimam confirmationem, nostrum præsentibus litteris fecimus apponi sigillum. Datum in castro nostro de Lupard prope Parisius anno Domini M. CCC. LXI. *mense Nouembri.* Sic signatum super plicam: *Per Regem. Mellou.*

Primum hoc diploma Vnionis imperfectum edidit Andreas Chesneus in Probationibus historicis Ducum Burgundiæ: nos ex Regio tabulario integrum exhibere voluimus. Cur autem abrogata fuerit illa Vnio, causas adfert Ioannes Rex in sequenti Donationis instrumento. Cap. 15.

DIPLOMA SECVNDVM, DONATIONIS.

IOANNES *Dei gratiâ Francorum Rex. Ad subditorum quietem & pacem curam gerentes sollicitam, facti didicimus experientiâ non modicum prodesse, fideles & strenuos habere vassallos: ipsorum enim meritis, propulsis inuidis & æmulis pacis, tranquillitas acquiritur, & iustitia, omnium Regnorum fundamentum, pacificè administratur ad regnantium gloriam & honorem; vnde feruor oritur dilectionis ad Dominum; cuius etiam crescit vigor subiectionis in eisdem. Nouimus insuper Coronam stabiliri Regiæ Maiestatis, dum personæ præclari generis, moribus vtique & honestate vernantes, dignitatibus inclytis præferuntur: ipsorum igitur assistentiâ laterali non minus Sceptra coruscant regnantium, quàm gemmis corona. Laudabilia igitur prædecessorum nostrorum Regum, qui solitâ munificentiâ dignis consueuerint digna rependere, sequentes vestigia, etsi singulos iuxta suorum exigentiam meritorum desideremus prosequi fauoribus gratiosis, digniores tamen censemus debere dignioribus insigniri; attendentes, quòd etsi naturaliter nostris teneamur liberis assignare, vnde statum iuxta suæ perspicuitatem prosapiæ honorificè contineant; ad hoc tamen impendendum eò liberaliùs inducimur, quò instantiùs eorum continuata merita id exposcunt. Et desiderantes effectuosiùs grauamina & oppressiones ab irruentibus hostibus illatas subditis nostris* DVCATVS BVRGVNDIÆ, *qui ex successione bonæ memoriæ* PHILIPPI *vltimi Ducis eiusdem,* IN NOS, VT PROPINQVIOREM IN GENERE, *nouiter est delatus, amputare, & ipsorum prouidere quieti; & ad memoriam reducentes grata & laude digna seruitia, quæ charissimus* PHILIPPVS *filius noster quartogenitus, qui sponte expositus mortis periculo, nobiscum imperterritus & impauidus stetit in*

acie prope Pictauos, vulneratus, captus, & detentus in hostium potestate; ibi, & post liberationem nostram hactenus exhibuit, indefesso & vero amore filiali ductus; ex quibus suam meritò cupientes honorare personam, PERPETVOQVE PREMIO *fulcire, sibi paterno correspondentes amore, spem & fiduciam gerentes in Domino, quòd ipsius crescente prouidentiâ, dicti nostri subditi Ducatus eiusdem à suis oppressionibus releuentur. Notum itaque facimus vniuersis præsentibus pariter & futuris, quòd Nos ijs & alijs iustis considerationibus excitati, &* AD HVMILEM SVPPLICATIONEM SVBDITORVM *ipsorum dicti Ducatus, prædictum* DVCATVM BVRGVNDIÆ *in pariatu, & quidquid iuris, possessionis & proprietatis habemus & habere possumus, & debemus in eodem, necnon & in Comitatu Burgundiæ, & in quacumque parte ipsius, ex successione prædictâ, cum vniuersis & singulis honoribus, iuribus, redditibus, & prouentibus, hominibus, homagijs, feudis, retrofeudis, iurisdictionibus altis, medijs & bassis;* MERO ET MIXTO IMPERIO, *ciuitatibus, villis, castris & castellanijs, domibus, manerijs, stagnis, fluuijs seu riparijs, nemoribus, forestis, vineis, terris, pratis, censibus, & alijs possessionibus quibuscumque dicti Ducatus, & iuris, quod habere possumus ex causâ prædictâ in Comitatu prædicto, quocumque nomine nuncupentur, & cuiuscumque valoris existant, dicto filio nostro concessimus, donamus, & concedimus tenore præsentium de nostris speciali gratiâ, certâ scientiâ, auctoritate Regiâ, & nostræ Regiæ potestatis plenitudine; præmissáque in eum transferimus, tenenda & possidenda* PER. EVM, ET HAEREDES SVOS, *in legitimo matrimonio ex proprio corpore procreandos,* PERPETVÒ HAEREDITARIÈ, *pacificè, & quietè; ponentes ex nunc dictum Ducatum Burgundiæ, & ius, quod ex successione prædictâ habemus in Comitatu prædicto, cum suis prædictis pertinentijs, extra nostrum dominium, & separantes omninò; cui siquidem domanio præmissa duxeramus adiungenda, non obstante, si voluerimus, & ordinauerimus, sub quibuscumque modo, obligatione, submissione, promissione & formâ verborum, vel quòd huiusmodi ordinatio præcesserit, vel si habitatoribus dictorum Ducatus & Comitatus, seu communitatibus villarum, castrorum, vel locorum aliorum eorumdem, vel personis singularibus concesserimus præmissa in toto, vel in parte, à nostro & Coronæ nostræ domanio nullatenus ex tunc in anteà separari: quorum dictum filium nostrum Ducem, primumque Parem Franciæ facimus & creamus, volentes & concedentes eidem, vt ipse,* SVIQVE HAEREDES *ex proprio corpore in legitimo, vt prædicitur, matrimonio procreandi, qui ei succedent in Ducatu prædicto, vtantur & fruantur* PERPETVÒ *& pacificè vniuersis & singulis priuilegijs, franchisijs, iuribus, libertatibus, & prærogatiuis, quibus vsi sunt hactenus, & vtuntur cæteri Pares Franciæ, omni modo & formâ,*

quibus tenebant dictum Ducatum, & dictis priuilegijs vsi fuerunt hactenus Duces Burgundiæ, & vtebatur dictus defunctus vltimus DVX PHILIPPVS *dum viuebat: saluis tamen donationibus, & concessionibus, si quas fecimus, postquam dictus Ducatus deuenit ad manum nostram (vt prædicitur) quas nolumus effectu frustrari; saluis insuper, & retentis Nobis & successoribus nostris Franciæ Regibus, superioritate & ressorto dictorum donatorum; fide etiam ac homagio Ducis præstandis Nobis & successoribus nostris prædictis, modo debito & consueto fieri, & præstari per Duces Burgundiæ temporibus anteactis; regalibusque & iuribus alijs regijs ad Nos pertinentibus ad causam nostræ Coronæ, & quæ habebamus viuente dicto vltimo defuncto Duce in Ducatu prædicto. Pro quibus donationibus supradictis dictus filius noster fecit Nobis homagium tanquam Dux & primus Par Franciæ prædictus, & eo modo quo defuncti Duces Burgundiæ tenebantur, & consueuerunt facere Nobis & nostris prædecessoribus: ad quod homagium admisimus eumdem, quem per hoc emancipauimus, & extra potestatem nostram paternam posuimus & ponimus per præsentes: Saluo insuper & retento, quòd si dictus filius noster, vel sua posteritas, vt prædicitur, procreanda decesserint (quod absit)* ABSQVE HÆREDE *ex proprio corpore succedenti in dicto Ducatu, præmissa vniuersa, & singula hic donata pleno iure integraliter reuertentur ad Nos & successores nostros Reges, qui pro tempore fuerint, nostræ Coronæ domanio applicanda. Per hanc tamen concessionem nostram præsentem & donum, Ducatum Turoniæ, quem cum suis pertinentijs dicto filio nostro aliàs donauimus, ad manum nostram ponimus, & retinemus, ordinaturi de eodem ad nostra beneplacitum voluntatis. Quapropter damus præsentibus in mandatis vniuersis Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis ac vniuersis Ducibus, Comitibus, Baronibus, & alijs nobilibus, alijsque Clericis & laicis, ad quos pertinuerit, quatenus homagia & deueria, honores, seruitia & obedientias, in quibus nobis tenebantur ante donationem præsentem ratione Ducatus & aliorum donatorum prædictorum, præstent, & faciant indilatè, & de cætero, dicto filio nostro,* SVISQVE HÆREDIBVS *antedictis de legitimo matrimonio procreandis, modo & formâ quibus ipsi fecerunt, & facere debuerunt dicto vltimo defuncto Duci. Per quorum præstationem Nos inde absoluimus penitus & quittamus eosdem, volumusque obediant dicto filio nostro tanquam Duci dicti Ducatus, & Pari Franciæ primo, plenariè, & absque difficultate quacumque; mandamus insuper dilectis & fidelibus Consiliarijs nostris præsentibus, & alijs gentibus nostris Parlamenti nostri Parisiensis; vniuersis insuper Iustitiarijs & Officiarijs nostri Regni, præsentibus & futuris, quatenus dictum filium nostrum, &* HAEREDES SVOS *prædictos Duces Burgundiæ, & Pares Franciæ, in omnibus casibus atque locis, in iudicio & extra,*

extra, vt Duces & primos Pares Franciæ recipiant & admittant, ipsósque faciant & permittant vti & gaudere pacificè prærogatiuis, franchisijs, libertatibus, honoribus & iuribus Ducatus & Pariatus, & nostram præsentem ordinationem teneri perpetuò, & inuiolabiliter obseruari, nihil facientes & attemptantes in contrarium quoquo modo; non obstantibus consuetudinibus, statutis, vsibus & priuilegijs contrarijs quibuscumque, donisque & gratijs dicto filio nostro factis aliàs, & quæ in præsentibus non fuerunt expressa. Quod vt firmum & stabile permaneat in futurum, nostrum præsentibus litteris fecimus apponi sigillum, saluo in alijs iure nostro, & in omnibus alieno. Datum Germigniaci supra Maternam die sextâ Septembris anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo tertio. Sic signatum super plicam: *Per Regem. Tuo.*

Ne intactum quidquam relinquamus, notandus est hoc loco Andreas Fauinus, qui in Theatro suo attulit hoc diploma Ioannis Regis, sed mutilum & corruptum: vbi enim in autographo (ex quo bonâ fide illud edidit Papyrius Massonus) legitur, *per eum & heredes suos*, Fauinus damnandâ audaciâ adiecit *masculos*. Et inferiùs, vbi legitur simpliciter, *absque herede*, immutauit Fauinus, & falsò scripsit, *absque prole masculâ*. Vt autem eius Auctoris fides omnibus innotescat, promo litteras V. C. Fabricij Peireskij ad Emin. Ioannem Franciscum, ex Comitibus Guidijs, Cardinalem à Balneo, datas Belgenserij XXXI. Ianuarij anni M. DC. XXXI: *Del Fauino chi volesse notar gli errori, bisognarebbe scancellare il tutto, non hauendo egli scritto con discretione, authoritá di Scrittori degni di fede, ne con veritá; anzi ha posto mille imposture falsissime, come se fossero ben constanti; credendo egli che poco importasse di scriuere cose vere o false, come egli disse altre volte, con stupore de chi l'intese: di manera che non occorre faruj fundamento soprá.* Item eiusdem Peireskij ad meipsum, XXX. Ian. anni prænotati: *Il faut que ie vous dise, que le pauure Fauin estoit vn bon petit homme, qui se laissoit persuader tout ce qu'on luy disoit, lors mesme qu'on badinoit, & qu'on se mocquoit de luy, & qu'on forgeoit des chimeres pour le mettre en resuerie. C'est pourquoy si vous le suiuez, vous suiurez vn tres-mauuais Autheur, qui ne sçauoit rendre raison de rien du tout de ce qu'il redigeoit par escript; comme ie l'ay autrefois esprouué en bonne compagnie. Et ne faut que voir les Funerailles qu'il a descrittes du feu Roy, où il a fourré vne infinité de choses supposées, ausquelles il ne fut iamais pensé. Que si vous estimez estre obligé de l'alleguer, ne monstrez pas au moins prendre son dire pour authorité capable de vous faire mettre en ligne de compte ce qu'il a escript de son chef, sans qu'il s'en trouue de confirmation d'ailleurs. Pour ses colliers des Ordres Militaires, il les a tellement forgé à plaisir*

Lib. 4. c. 4.

Lib. 4. Annal.

plaisir selon ses caprices, qu'il n'y en a la plusspart rien de veritable, ny bien souuent compatible. auec ce qu'on en a de vray d'ailleurs.

Talis ergo fuit Andreas Fauinus, qui Ioannis Regis donationem malitiosè corrupit: talis, qui PHILIPPVM BONVM, Burgundiæ Ducem, Caroli parentem, crudelitatis improbè insimulauit. Qui certè Dux PHILIPPVS sapientum omnium calculis BONI cognomentum Lib. 1. num. 18. prometitus est; *quòd in eo* (verba sunt Fr. Belcarij Episcopi Metensis) *antiquorum Regum, qui non quod liceret, sed quod se deceret, quodque sui officij esset spectantes, Regna sua Iustitiâ & Æquitate moderabantur, expressam imaginem cerneres*. De illo sic etiam San-marthani Fratres: Lib. 12. c. 3. *Iustitiam subditosque suos tantoperè dilexit, comis adeò & humanus fuit, vt inde BONI titulum meritò retulerit.*

DIPLOMA TERTIVM, CONSENSVS ET LAVDATIONIS.

CHARLES *Aisné filz du Roy de France, Duc de Normandie, & Daulphin de Viennois;* SÇAVOIR FAISONS *à tous presens & aduenir, que comme nostre tres-cher Seigneur & Pere pour le bien, aduancement & honneur de nostre tres-cher & tres-amé frere Messire* PHILIPPE *de France ayt donné, octroyé, cedé, delaissé, & transporté à nostredit frere perpetuellement, & à tousiours, pour luy &* SES HOIRS *descendans de son corps de droicte ligne, & procreez en loyal mariage,* LE DVCHE' DE BOVRGONGNE, *aduenu & escheu à nostredit Seig' par la succession ou escheutte de feu Messire* PHILIPPE, *iadis Duc de Bourgongne dernier trespassé, à tenir, auoir, perceuoir, & posseder par nostredit frere,* ET SES HOIRS *(comme dict est) iceluy Duché, auec tous les honneurs, hommages, fiefz, arrierefiefz, rentes, reuenuz, & quelconques autres droictz & appartenances d'iceluy Duché, perpetuellement, hereditablement, à tousiours; & tout en la forme & maniere que le tenoit ledit feu Messire* PHILIPPE, *dernier Duc d'iceluy Duché, au temps qu'il viuoit. Nous pour le bien, honneur & aduancement de nostredit frere, luy voulans demonstrer par effect l'amour fraternel, que tousiours auons eü, & auons à luy, aux don, octroy, cession, delaissement & transport faict dudit Duché, & de tous ses appartenances par nostredit Seigneur à nostredit frere (comme dict est) de nostre bonne volonté, & de nostre certaine science, nous sommes consentus, & par ces presentes nous consentons, & iceux don & octroy, cession, delaissement & transport, en la maniere qu'ils sont faicts par nostre Seigneur: ayans agreables, iceux loüons, aggreons, ratiffions, & appreuuons, & par la teneur de ces presentes confermons; voulans & octroyans que nostredit frere,*

frere, & SES HOIRS, *descendans de son corps de droicte ligne, & procreés en loyal mariage (comme dict est) puissent tenir, & tiennent ledit Duché, auec tous ses appartenances (comme dict est) hereditablement, perpetuellement, & à tousiours, en la forme & maniere dessusdicte, sans que iamais nous, ou nos hoirs, ou successeurs y reclamions, ou puissions ne doibgions reclamer aucun droict, quel qu'il soit, excepté en cas de succession; au cas que nostredit frere trespasseroit* SANS HOIRS *legitimes de son corps; & sans ce, que oires, ou au temps aduenir, nous, en quelque estat que nous soyons, puissions impugner le don dessusdit faict par nostredit Seigneur à nostredit frere dudit Duché (comme dessus est dit) & dire que ces choses nous auons faict par doubte, ou contre nostre volonté. Promettans en bonne foy, que iamais à nul iour, ou temps, nous, en quelque estat que nous soyons, ne viendrons, ny venir ferons, en quelque maniere que ce soit, contre ledit don, octroy, cession & transport, ny enpescherons nostredit frere, qu'il ne iouisse paisiblement dudit Duché, en la maniere que donné luy est par nostredit Seigneur (comme dit est.) Renonceans expressement à toutes choses, quelles qu'elles soyent, que nous pourroint valoir, ou ayder à venir contre ces presentes lettres au temps aduenir; ne contre les don & octroy dessusdit, en quelque maniere que ce soit. Et pour ce que ce soit chose ferme & stable à tousiours, Nous auons faict mettre nostre seel à ces presentes, saulf en autre chose nostre droict, & l'autruy en toutes. Ce fut faict & donné à Amiens l'an de Grace* M. CCC. LXIII. *au mois de Decembre. Ainsi signé sur le reply:* Par Monseigneur le Duc. Gonthier.

Quod Ioannes Rex Latinè dixit *Hæredes suos*, Carolus V. eius filius Gallicè vertit, *Ses hoirs:* quibus verbis apud Gallos, liberi ac descendentes, & hæredes sanguinis tam mares quàm feminæ, propriè significantur.

DIPLOMA QVARTVM, CONFIRMATIONIS.

CAROLVS *Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus vniuersis præsentibus, pariter & futuris, nos vidisse litteras claræ memoriæ Domini genitoris nostri, formam quæ sequitur continentes:* Ioannes Dei gratiâ Francorum Rex, &c. *Nos igitur memores, quòd ipso Domino genitore nostro adhuc superstite, attentis causis & considerationibus, quibus ipse Dominus genitor noster in donatione dicti Ducatus Burgundiæ carissimo fratri nostro* PHILIPPO, *de quo in eisdem litteris fit mentio, ducebatur; quas veras & efficaces fuisse & esse cognouimus; amore insuper speciali, quem ad ipsum fratrem nostrum semper habuimus, & adhuc gerimus*

Vt suprà.

mus & habemus, dictam donationem, & cætera contenta in litteris suprà scriptis, grata habuimus, ex tunc pro futuris temporibus bonâ fide promittentes in contrarium non venire, quouis exquisito colore & occasione, ad quemcumque statum nos venire vel ascendere contingeret. Et super hoc nostras sibi litteras recolimus concessisse; ipsas litteras, donationem, & cætera in eis contenta, rata habentes & grata, eas volumus, laudamus, approbamus, & de speciali gratiâ, auctoritate nostrâ Regiâ, & certâ scientiâ, tenore præsentium confirmamus: Volentes & concedentes, vt ipse frater noster dicto Ducatu, & alijs sibi donatis prædictis, SVIQVE HAEREDES, *ex suo corpore, in rectâ lineâ, & legitimo matrimonio procreandi gaudeant & vtantur, iuxta præscriptarum seriem litterarum. Et ex abundanti, ipsius & suorum securitati prouidere volentes, dictum Ducatum, & alia sibi præscriptarum serie litterarum donata, tenenda & possidenda modo & formâ, quibus in eisdem continetur litteris, eidem fratri nostro donamus & concedimus, de nostris, gratiâ, scientiâ & auctoritate prædictis, de quibus ipse frater noster vt Dux & Par Franciæ prædictus fecit Nobis homagium sub formâ in præscriptis insertâ litteris: ad quod ipsum admisimus, saluis & retentis eis, quæ dictus Dominus genitor noster decreuit per præscriptas litteras sibi & suis successoribus retineri. Quapropter damus præsentibus in mandatis vniuersis & singulis Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & alijs Nobilibus, cæterisque Clericis & laicis, ad quos pertinebit, quatenus homagia, fidelitates, honores, seruitia & deueria, quibus Duci dicti Ducatus tenentur, & teneri possunt & debent, præstent & faciant indilatè, & de cætero, dicto fratri nostro, &* SVIS HAEREDIBVS *in legitimo matrimonio procreandis, modo & formâ in suprascriptis litteris expressatis. Per quorum præstationem Nos inde absoluimus penitus, & quitamus eosdem, eidemque obediant tanquam Duci. Quem siquidem fratrem nostrum in Parlamento nostro Parisiensi, & vbique in Regno nostro, in iudicio & extrà, &* SVOS HAEREDES, *prædictos Duces Burgundiæ, & primos Pares Franciæ admitti, recipi & tractari, ac vti & gaudere priuilegijs, iuribus & honoribus Ducatus & Pariatus perpetuò, pacificè & quietè. Et vlteriùs, donum, & gratiam dicti Domini genitoris nostri prædictam & nostram præsentem ampliantes, domum Burgundiæ, sitam in monte S. Genouefæ Parisius, quæ à longis temporibus citrà fuit Ducum Burgundiæ, eidem fratri nostro pro se &* SVIS HAEREDIBVS *prædictis donamus, de gratiâ & auctoritate prædictis, tenendam eum suis pertinentijs eo modo & formâ, quibus dictus vltimus Dux Burgundiæ eam tenuit quoad vixit. Non obstantibus eis, quæ dictus Dominus noster voluit in suis præscriptis litteris non obstare, & donis per ipsum vel Nos dicto fratri nostro aliàs factis, quæ pro expressis in præsentibus*

tibus haberi volumus & censeri. Quod vt firmum & stabile perpetuò perseueret, nostrum, quo ante susceptum Regni nostri regimen vtebamur, præsentibus litteris fecimus apponi sigillum: saluo in alijs iure nostro, & in omnibus alieno. Datum in Luparâ prope Parisius die secundâ Iunij, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto.

DIPLOMA QVINTVM, ETIAM CONFIRMATIONIS.

CAROLVS *Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus vniuersis præsentibus & futuris, quòd cùm claræ memoriæ Dominus genitor noster, dum viueret, carissimo fratri nostro* PHILIPPO, *nuper Duci Turoniæ,* DVCATVM BVRGVNDIAE, *cum suis pertinentijs vniuersis donauerit, & concesserit,* PRO SE ET SVIS HAEREDIBVS, *de suo corpore in legitimo matrimonio procreandis,* PERPETVÒ, *certis ad hoc considerationibus excitatus; retento tamen & reseruato Domino genitori nostro pro se & suis successoribus, Franciæ Regibus, Ducatu Turoniæ, cum suis pertinentijs, quem ex ratione voluit & decreuit in suis manibus remanere, ordinaturus ad eius beneplacitum voluntatis, prout hæc & alia in litteris dicti Domini genitoris nostri super hoc confectis vidimus latiùs contineri; quas nos, adepto Regni nostri regimine, per nostras litteras duximus confirmandas. Cùmque* REX NAVARRAE *ex parte vnâ, & carissimi & fideles,* DVX AVRELIANENSIS *auunculus noster ex alterâ, &* DVX BARRI *consanguineus noster ex aliâ, prætendant in eodem Ducatu Burgundiæ ius habere in toto vel in parte: quod siquidem ius quilibet eorum sibi requisiuerit viuente dicto Domino genitore nostro cum magnâ instantiâ liberari: Nos securitati, & in quantum possùmus indemnitati dicti fratris nostri prouidere desiderabiliter affectantes, concedimus eidem* PRO SE ET SVIS HAEREDIBVS *suprà dictis de nostrâ auctoritate Regiâ, certâ scientiâ & gratiâ speciali, quòd in casu quo dictus Ducatus Burgundiæ per dictos Regem Nauarræ, & Duces Aurelianensem, & Barri, aut successores eorum, vel ipsorum alterum, in toto, vel vsque ad duas partes ipsius Ducatus, vel citra, ratione & iustitiâ medijs, ipsoque fratre nostro vocato, & audito, euinceretur à dicto fratre nostro, vel prædictis suis hæredibus; Nos, & successores nostri qui tunc erunt, tenebimur indilatè sibi aut suis hæredibus reddere & restituere dictum Ducatum Turoniæ integrum, nobis & nostris successoribus, vt præmittitur, applicatum, vel aliam terram ad valorem ipsius Ducatus Turoniæ, in honore, & vtilitate, & nobilitatibus, & priuilegijs, & Ducatus & Pariatus nomine insignitum, cum illâ parte de prædicto Ducatu Burgundiæ, quæ euicta non fuerit, & remanebit eidem.*

Et hoc dicto fratri nostro pro se & SVIS prædictis HAEREDIBVS; *promittimus pro nobis & nostris successoribus, permaneat in futurum; nostrum sigillum, quo ante Regni nostri regimen vtebamur, præsentibus litteris duximus apponendum, nostro in aliis & quolibet alieno in omnibus iure saluo. Datum apud Luparam prope Parisius secundâ die mensis Iunij, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto*. Signatum super plicam: *Per Regem. Tuo.*

Et in inferiori parte ipsius plicæ erat scriptum hoc quod sequitur: *Consimilis littera duplicata retenta fuit in Camerâ Computorum Parisiensi, ponenda in thesauro Capellæ Regalis Parisiensis cum aliis cartis. Ioannes.*

LVMEN XIII.

Quo titulo ad Ioannem Regem Ducatus Burgundiæ peruenerit; & quâ illum conditione in Philippum filium transmiserit.



VAERITVR Primò, quo iure Ioannes Rex Ducatum Burgundiæ fuerit adeptus. Clarè respondet ipse, vbi ait in primo diplomate Vnionis de Burgundiæ Ducatu: *Cùm nuper per mortem carissimi filij nostri* PHILIPPI *Ducis Burgundiæ, cum iuribus & pertinentiis vniuersis, nobis in solidum* IVRE PROXIMITATIS, NON RATIONE CORONAE NOSTRAE *debitus, ad Nos fuerit deuolutus, & iure successorio translatus*. Tum in secundo Donationis: *Ducatus Burgundiæ, qui ex successione bonæ memoriæ* PHILIPPI *vltimi Ducis eiusdem* IN NOS VT PROPINQVIOREM IN GENERE *noniter est translatus*. Ab obitu Philippi Ducis, cognomento Roboretani, sine liberis, Principes omnes, qui à Roberto II. Duce feminino tramite oriebantur, iuxta Burgundiæ consuetudinem, ad Ducatus possessore vacui ius vindicandum animum adiecerunt hoc ordine: CAROLVS *Rex Nauarræ*; IOANNES *Rex Franciæ*; PHILIPPVS *Dux Aureliani*; ROBERTVS *Dux Barri*. Sed quia Rex Ioannes Philippo Duci defuncto cognatione propinquior in viuis supererat, vicit in causâ; prætermisso scilicet iure repræsentationis, cuius prærogatiuâ Nauarrus Ioannem Regem præcessisset. Quod idem quia iam aliàs velut præiudicio factum fuerat, omissâ scilicet *Tolende*, Odonis Comitis Niuernensis filiâ; in assignando Ioanni Regi Ducatu contra Burgundiæ legem ab Othone Frisingensi laudatam nequicquam commissum est; cùm Ioannes materno iure Ducatum sit adeptus.

Quamuis

Quamuis enim lege illâ *seniori fratri, eiusque liberis, seu maribus, seu feminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas.* Verbis illis disertè non admittitur repræsentatio, neque excluduntur nominatim agnatione propinquiores fauore repræsentationis, quam in Galliâ ex antiquo more locum non habuisse, ex Pasquiero suprà ostendimus. Quia ergo Rex Ioannes tabulis suis Vnionis perspicuè declarat, *Ducatum Burgundiæ non ratione Coronæ suæ, sed iure proximitatis sibi obuenisse,* Regalis feudi legem cum iure sanguinis & naturalis successionis non commiscuit, vt imponit ei Dominicus; cùm Ducatus ille merè liber & allodialis esset, quem ex Burgundiæ consuetudine mares & feminæ ex hæreditate æquè adipiscebantur. Verùm lepidus est Assertor, vbi statuit, *Quamuis Ducatus Burgundiæ à feminis olim possessus fuerit, non abrogatum idcircò ius Salicum, sed sopitum.* Alium certè tantæ durationis veternum in rerum naturâ non inueniet, quippe qui in Ducatu illo ad sena sæcula protractus sit. Extinctum ius Salicum melius dixisset, quod incantante calamo suscitare intenderit, vt Mercurium Poëtæ fabulantur pallentes mortuorum vmbras virgâ suâ ab orco reuocasse. P. 129. 130.

Quæritur Secundò, quibus conditionibus Ioannes Rex Philippo filio suo Ducatus Burgundiæ iura concesserit. Respondetur, illas in donationis tabulis sic exprimi: *Possidenda per eum,* & HAEREDES SVOS *in legitimo matrimonio procreandos,* PERPETVÒ, HAEREDITARIE' & *quietè.* Deinde: VT SVI HAEREDES, *qui ei succedent in Ducatu prædicto, vtantur, fruantur perpetuò & pacificè vniuersis & singulis priuilegijs, franchisijs,* IVRIBVS, LIBERTATIBVS & PRAEROGATIVIS, *quibus vsi sunt hactenus,* & *vtuntur cæteri Pares Franciæ* OMNI MODO & FORMA, *quibus tenebant dictum Ducatum,* & *dictis priuilegijs vsi fuerunt hactenus Duces Burgundiæ, vt vtebatur dictus defunctus vltimus Dux* PHILIPPVS *dum viuebat.* Attende seriò ad illa verba, Dominice, & fatere, velis nolis, in Franciâ feminas quandoque in Principatum successisse, qui Pariatus dignitate esset decoratus: quod Chopinus firmat varijs exemplis; & in primis MATHILDIS *Atrebatum Comitis, quæ assedit supremo capitali iudicio in Robertum Flandriæ Comitem, atque ordine rogata sententiam dixit, sedentibus Comparibus, Præside Rege, mense Iunio anni* M. CCC. XV. *Etenim Philippus Pulcher Patriciatus insignibus Atrebates exornarat in personam Roberti II. Comitis & successorum* XII. *Cal. Martij, anno* M. CC. XCIII. Cur vis ergo Burgundiæ Patiatum peioris esse conditionis quàm Attrebatensem, cùm in vtriusque inuestituræ Diplomate *hæredes* genericè nominentur, feminis non exclusis? Sed obloqueris, in illis tabulis non Lib. 3. Doman. c. 3.

 expressum

expressim esse masculorum defectum, quia esset superuacuum, cùm
In Introductione. iure constituto subintelligatur. Audi, si lubet, Oliuarium à Marcâ, Burgundicæ Domus familiarem: *Iournée fut prinse & tenue pour le mariage du Filz de France; & pour y paruenir, fut offert au Comte* LOVYS *de Flandres, par traitté solemnel auecq les Pairs de France, que l'on donneroit à* PHILIPPE LE HARDY LA DVCHE' DE BOVRGONGNE *(que le Roy auoit eu nouuellement par succession) soubz tiltre & condition d'Appanage. Ce que le Comte Louys refusa, si ledit Philippe ne l'auoit pour tenir pour luy,* SES HOIRS ET POSTERITEZ QVELCONQVES; *& en telle maniere & condition, que la tenoit le Duc* EVDES *&* ROBERT, *renonceant le Roy audit Appanage: & ainsi fut faict & solemnellement passé, & en appert par chartes & tiltres authentiques*. Atqui Robertus & Odo Duces Burgundiam possederant hæreditario iure, etiam in feminas transituram; quandoquidem deficiente masculâ eorum prole Ioannes Rex materno iure Ducatum est adeptus.

Duplex porrò fuit apud Francos Appanagij modus: primo modo tradebatur Principi Dynastia ac hæredibus suis, sexu & qualitate non
Lib. 2. tit. 3. præfinitâ. *In hanc speciem* (inquit Chopinus) *Atrebatensis ager Roberto datus mense Iunio anni* M. CC. XXV. *Marchia Carolo Pulchro;* BVRGVNDIA PHILIPPO *Audaci; Nemorensis Ducatus Carolo II. Nauarro; Claromontana ditio Roberto, D. Ludouici filio. Posterior autem formula Panagij successionem certis limitibus conclusit, & constrinxit*. Hac autem formâ postremâ IOANNES Rex Ludouicum filium suum Andegauensi & Cœnomanensi Comitatu donauit, vt hæc eius verba ostendunt: *Damus, & concedimus per præsentes, donatione purâ & simplici inter viuos in perpetuum valiturâ,* LVDOVICO *secundogenito nostro ad hæreditatem perpetuam, pro se & suis hæredibus, & liberis* MASCVLIS, *ex carne suâ & libero matrimonio procreatis, & etiam nascituris, Comitatum Andegauiæ & Cœnomaniæ, saluis & retentis iuribus nostræ Regaliæ, exceptionibus Ecclesiæ, fide & homagio. Datæ Calesij anno* M. CCC. LX. Rex idem Ioannes conditione eâdem Ioanni suo tertiogenito Bituricensem & Aruernensem Ducatum concessit hacce
Massonus lib. 3. Annal.
Chop. l. 3. tit. 7. formulâ: *Et cum huiusmodi Ducalis dignitatis nomine, honorem superaddentes honori, Parem Franciæ ipsum fecimus, statuentes auctoritate prædictâ, vt ipse quamdiu vixerit in humanis, & dicti eius* HAEREDES MASCVLI, *de matrimonio legitimo procreati, post eius obitum, Duces Bituricenses & Aluerniæ, ac Pares Franciæ nominentur; omnique Ducatus & Pariatus honore, cum nomine, iure & quacumque aliâ prærogatiuâ lætentur. Actum mense Octobri anno* M. CCC. LX.

Mens quoque fuerat Ioanni Regi eâdem lege Philippo Audaci filio

filio suo quarto ordine genito Ducatum Burgundiæ impertiri causâ nuptiarum cum Margaretâ Flandricâ contrahendarum, teste Oliuario Marcano: sed quia Ludouicus Malanus Flandriæ Comes illam Appanagij pro solis masculis conditionem absolutè recusauit; mutauit consilium Rex Ioannes, concessitque tandem Philippo Ducatum *pro se & heredibus suis*; hoc est tam masculis quàm feminis, iuxta morem hæredandi in Burgundiâ priùs seruatum. Si enim Rex Ioannes perstitisset in dando Ducatu Philippo filio, exclusis feminis; & Ludouicus Comes, Margaretæ, sponsæ Philippi futuræ parens illud admisisset, procul dubio insertum donationi fuisset *pro heredibus suis masculis*, vti fuerat in Appanagijs Ludouici & Ioannis filiorum natu maiorum Ioannis Regis superiùs memoratis.

Plura ad hoc idem Burgundiæ Ducatus argumentum congessit eruditissimus Zypæus; & inter alia, magni momenti rationem è statutis Ordinis Velleris Aurei petitam obiter attigit, quam ego, quia Ordinis archiua excussi, planiùs explicabo. Philippus Bonus Burgundiæ Dux, conscius iuris quo Burgundiæ Ducatum à Maioribus acceperat, in statutis Ordinis Aurei Velleris à se instituti, publicatis anno M. CD. XXXI. capite primo sic edixit: *In primis volumus atque constituimus, vt Ordo hic constet triginta & vno viris Equestris dignitatis, qui nomine pariter & familiæ insignibus Nobiles, & quidem citra omnem legitimam reprehensionem censeantur. Quorum in numero nos ipsi, quoad viuimus, futuri sumus huius ipsius Ordinis videlicet atque societatis Supremus atque Princeps; postque decessum nostrum, successores nostri* BVRGVNDIAE DVCES. Sic deinde statuit capite LXV: *Ceterùm, si ipso Supremo vitâ functo, heres eius atque successor* FILIVS *minor annis fuerit, ideoque agendis huius Ordinis rebus impar; volumus, atque constituimus, Fratres atque consocios huius ipsius Ordinis vnum in locum conuenire, ibique, collatis expensisque singulorum sententijs & suffragijs, ex maiori potiorique vocum numero deligere vnum aliquem atque constituere, & quidem ex ipsis, qui Minoris nomine, eiusque impendijs, & donec ille ad ætatem rebus gerendis idoneam processerit, atque etiam Equestris nominis decus acceperit, in hoc ipso Ordine præsideat, eiusdemque Ordinis rebus omnibus atque negotijs tractandis exequendisque cum auctoritate atque imperio præsit. At si* FILIAM *ille* HAEREDEM *& quidem* INNVPTAM *reliquerit; volumus atque constituimus simili planè modo de Confratribus aliquem deligi, rebusque Ordinis præponi,* QVOAD EA VIRO NVPSERIT, *& quidem* EQVITI, *& eâ ætate, vt tractare & exequi res Ordinis ipse per se* SVPREMIQVE MVNVS *implere iam possit, ac super eâ re iusiurandum dederit.* Huius vigore constitutionis, MAXIMILIANVS Austria- In hiard Cassani obstructo lib. 1. cap. vlt.

 cus,

cus, ductâ in vxorem MARIA Burgundiæ Ducissâ, vnicâ Ducis Caroli hærede, declaratus fuit Brugis anno M. CD. LXXVIII. ab Ordinis Fratribus ac socijs *Caput & Supremus Princeps Ordinis Velleris aurei*; eoque nomine solemne iuramentum præstitit. Quo facto Ioannes de Lannoy, eorum qui aderant senior Eques, collo eius Torquem Ordinis Aureum circumposuit, prolatis hisce verbis: *Domine mi, Ordo Velleris Aurei vos recipit in Caput suum & Supremum; & in signum eius vobis præsentat istud collare: det Deus quàm diu portare, dictoque Ordini præesse possitis, ad laudem suam & seruitium, ad exaltationem Ecclesiæ suæ sanctæ, ad augmentationem & honorem dicti Ordinis, meritorumque vestrorum & bonæ famæ. In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus sancti †. Amen.*

Ex actis Ordinis.

Cùm deinde Franciscus I. Franciæ Rex in Fratrem ac socium Ordinis Velleris Aurei electus fuisset in Comitijs Bruxellæ celebratis anno M. D. XVI. quibus præsidebat Carolus Rex Catholicus, postmodum Imperator eius nominis Quintus; Torques Ordinis Francisco Regi missus est per Fridericum Croyum, Rôdij Toparcham: cumque moris sit, ante traditionem Torquis, vt nouus Eques in statutorum Ordinis obseruationem iuret; statuta ipsa per Philibertum Naturellum, Ordinis Cancellarium, Regi oblata sunt, rogatumque vt videret, num ex aliquo eorum capite vellet dispensari; cui Rex disertis verbis respondit; *Qu'il les auoit veu, & bien entendu, & qu'il les vouloit tous iurer sans aucune dispense: mesmes que s'il y en auoit dauantage, il les voudroit aussi iurer & obseruer, desirant d'auoir le Roy Catholique, Chef & Souuerain dudit Ordre, en honneur, reuerence & estime, & en amour, comme son filz.* Itaque cùm in statuta omnia à se visa & lecta iurarit Franciscus I. Rex; caput quoque sexagesimum quintum, quo à Philippo Bono, Ordinis Institutore, feminæ Ducatus Burgundiæ capaces & hæredes insinuantur, se obseruaturum promisit: in quod etiam caput, quotquot in Aurei Velleris militiam sub Philippo Bono & Carolo Bellicoso assumpti fuerant Franciæ Principes & Magnates, præstito iuramento palàm se obligauerant: scilicet Carolus Dux Aureliani; Ioannes Dux Britanniæ; Ioannes Dux Alenzonij; Ioannes Comes Stampensis; Iacobus frater Ducis Borbonij, & multi alij: sic vt publicâ notitiâ illud de Ducatus Burgundiæ femineitate confessum & manifestum esset, & à nemine in dubitationem vocaretur.

Ex actis Ordinis.

Chopinus lib. 2. tit. 3.

Postremus obtusi teli iactus, quem in me torquet Assertor, lex est de Appanagijs à Carolo V. Rege lata, quâ statuit, ditiones à Coronâ deriuatas, masculis deficientibus, ad Coronam reuerti. Sed ea lex in futurum

futurum edita est mense Octobri anni M. CCC. LXXIV. toto decennio postquam Philippo Audaci eius fratri Ducatus Burgundiæ pactis melioribus fuerat attributus: quæ & ipse Carolus V. Rex sólemnibus tabulis tertiò stabiliuerat, nullo verbo adducto restrictionis masculinæ: vnde Dux Philippus Audax aduersus nouam Caroli V. fratris constitutionem nequicquam habebat quod reclamaret; quippe quæ nec ipsum nec eius posteros vllo modo respiciebat. Cùm ergo Carolus Bellicosus, Philippi Audacis pronepos, masculâ prole non relictâ extinctus est, malè dixit Vignerius, *eum decessisse nullo relicto hærede, qui haberet legitimam prouinciæ Franciæ & Salicæ capionem.* Ducatus enim Burgundiæ reuerà Salicus non erat; quem ideireò Ludouicus XI. iniquè occupauit, qui ad Mariam, Caroli Ducis filiam & hæredem vnicam, eiusque posteros legitimè attinebat.

Ceterùm etsi ex serijs istis, quæ ad vana Dominici argumenta respondi, & ex alijs magni ponderis & momenti, quæ attuli in Vindicijs Hispanicis, sat superque demonstrarim, Ducatum Burgundiæ Salicum non fuisse, nec abdicato feminarum hæreditario iure Principibus nostris attributum; postremum hoc edulium deprauato Dominici palato lubens & gratis offero. Franciæ Domus Principes, quibus Reges vsufructuarium fundum exclusis ab eo feminis assignarunt, in scuto militari numquam prætulêre tesseram Prouinciæ lege illâ fiduciariâ ipsis attributæ; sed liliatum dumtaxat regiæ familiæ symbolum, segmentis quibusdam à regio distinctum. Contrà, medij Burgundiæ Duces, etsi ab Hugone Capeto Rege oriundi, parmam gentiliriam lilijs impressam numquam gestarunt; sed antiquam solummodò Burgundiæ Ducatus perpetuò hæreditarij tesseram, *areâ scilicet scuti, senis ex auro & cyano tænijs obliquè dextrorsus exaratâ, margine coccineo.* Quin & postremi quatuor Duces, stirpe Valesij, vetus illud Burgundiæ Occidentalis symbolum in scuti militaris descriptione numquam prætermiserunt, certissimo indicio, ditionem illam non Salico iure, sed Burgundico & feminino in perpetuum ab ipsis possessam fuisse.



LVMEN

LVMEN XIV.

Bonnense Pactum duplex fuit. Occidua Francia eadem cum Romanâ. Carolo Magno & Ludouico Pio suspecta fuit Francorum Occidentalium fides.

Pag. 138. & 263. POSTQVAM fassus est Dominicus, Occiduam Franciam Scaldi & Mosâ terminatam fuisse, immemor sui ad Rhenum vsque illam perduxit, ex Pacto Bonnensi, in quo quàm parum scienter versetur, ipsemet intelliget ex ijs quæ iam subiungam, altiusculè petitâ Pacti inuestigatione, quod non vnicum, sed duplex fuit, & ipsi Dominico ignotum.

Ludouico III. Imp. & Lotharingiæ Regi, è stirpe Caroli Magni masculinâ apud Germanos posttemo, è viuis excedenti anno DCCCC. XI. substitutus est Conradus Franconiæ Dux. Hermannus In Chron. Contractus illo anno: LVDOVICVS *Rex adolescens moritur, & Ratisbonæ sepelitur: post quem, deficiente nostris in partibus stemmate Regio,* CONRADVS, *filius Conradi, Rex electus & vnctus, regnauit annis septem*. Otho Frisingensis: Lib. 6. c. 16. CONRADVS, *Conradi, quem Adalbertus occiderat, filius, consensu omnium* ORIENTALIS FRANCIÆ. *Rex creatur.* Cap. 11. Ortiuæ autem Franciæ terminos sic Frisingensis anteà docuerat: *Arnulfus totam Orientalem Franciam (quæ modò Teutonicum Regnum vocatur) id est, Baioariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam,* LOTHARINGIAM, *rexit.*

Conrado deinde mortuo anno CM. XVIII. Orientale Regnum Dinterus lib. 2. c. 26. suffragijs Principum adeptus est HENRICVS I. gente Saxo; *ad quem cùm Legati vt Regnum reciperet venissent, inuenerunt ante horreum suum sedentem, & retia quibus aues caperet perficientem; vnde posteà vocatus est Auceps.*

Statim verò ab excessu Ludouici III. Imp. & Lotharingiæ Regis, Carolus Simplex eius consanguineus, Occidentalis Franciæ Rex, contra Conradum Imp. insurrexit, & Lothariensis Regni partem vi occupauit. Vnde in chartâ Gorziensi, de Cipponis villâ, anni eius in Chartul. p. 125. 126. isto Regno numerari incipiunt ab anno CM. XII: *Actum in Scarponnâ, in mallo publicè, anno ab incarn. Dom.* CM. XII. *indict.* XV. *Epactâ nullâ, conc.* III. *anno primo, regnante* CAROLO *Rege, filio Regis Ludouici.* Item in aliâ, de monte Vitonis: *Actum Virduno, in mallo publico, coram* RICOINO *Comite, anno ab incar. Dom.* CM. XIV. *indict.* II. *Ep.* XXII. *conc.* V. *anno tertio, regnante* KAROLO *Rege in Regno Lotharij quondam Regis feliciter.*

Post-

Postmodum Carolus Simplex *in Regnum Lotharij abijt, receptisque per vim quibusdam* RICVINI *infidelis sui præsidijs, & FACTA PACTIONE vsque ad Missam S. Martini, cum* HENRICO *Principe Transrhenensi reuertitur ad montem Lauduni.* Ita Flodoardus ad annum CM. XXI. qui addit in fine eiusdem anni: KAROLVS *iterùm* PACEM *cum* HENRICO *firmat.* Hoc est Pactum Bonnense primum, quod edidit Sirmondus; initum quippe super Rhenum flumen ad BONNAM castrum VII. die Nouembris anni CM. XXI. instante Missâ seu Festo S. Martini, prioris pactionis à Flodoardo memoratæ termino. Illo autem priori ad Bonnam Pacto *Reges societatem amicitiæ fecerunt, seu conuenientiam inter se ob statum Pacis*; mansitque quoad Lotharingiam vterque in suo iure. Carolus namque ibi scribitur *Rex Occidentalium Francorum*; Henricus *Orientalium.* Henrico adsistebant *Herigerus Archiepiscopus Moguntiacorum & Richawdus Episcopus VVangionum*, seu Wormatiæ: qui ambo citra Rhenum suas habebant Metropoles, adeoque in Lothariensi Regno sitas. Itaque nullum ius in Lotharingiam lucrabatur Carolus titulo Regni *Orientalis, quod Mosâ & Scaldi fluuijs terminabatur; manebat in iure suo Henricus cum dignitate Regni Orientalis, quod Lotharingiam comprehendebat. In Chron. * *lege Occidentalis.*

Intereà Franci Occidui ab CAROLO Rege desciscunt (quòd Haganonem quemdam, mediæ sortis hominem, aulæ interioribus adhiberet) & ROBERTVM, Odonis quondam Regis fratrem germanum, *in Regem eligunt, eique sese committunt*, anno CM. XXII. Qui Robertus anni proximè insequentis initio *in Regnum Lothariense proficiscitur locuturus cum Henrico, qui ei obuiàm venit in pagum Ribuarium super fluuium Ruram: vbi se inuicem pauerunt, & pactâ amicitiâ, datisque ab alterutro muneribus, discesserunt.* Robertus deinde, die Iunij XV. eiusdem anni CM. XXIII. contra Carolum Simplicem pugnans in Suessionibus; occubuit: in cuius locum, quasi vacuâ Regni possessione, RODVLFVS, Richardi Burgundionum Ducis filius, à Francis substitutus est. Flodoard. anno 922. 923.

His aduersantis fortunæ procellis iactatus Carolus, ad Henricum I. Imp. secundò pergit, & cum eo fœdus paciscitur; de quo sic Sigebertus anno CM. XXIII: *Reges* HENRICVS *&* KAROLVS *apud* BONNAM *confœderantur; &* KAROLVS *reddit* HENRICO *Regnum Lotharingiæ, Episcopis & Comitibus vtrimque iurando rem confirmantibus.* Otho Frisingensis: *Dum Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgicâ cum Karolo disceptaret; ex voluntate amborum, ad huius litis scrupulum decidendum, die* BONNÆ *constitutâ, Belgica Henrico cessit, & Carolo Celtica tantùm & Aquitania.* Continuator Reginonis vno anno seriùs, In Chron. Lib. 6. c. 18.

sed per errorem : *Carolus & Henricus Reges apud* BONNAM *castellum conueniunt, & Pacem inter se facientes fœdus ineunt: & Carolus numquam sibi ampliùs Lotharienſe Regnum vſurpaturum promittens, regreditur. Eodem anno ab Heriberto Comite comprehenſus in custodiam mittitur* : in

p. 137. quâ obijt anno CM. XXIX. Hoc est Pactum Bonnenſe alterum, anni nempe CM. XXIII. quod quia Dominicus non intellexit, Sigeberti Manes mendacij impudenter arguit, dignus ipse plagis, & crassæ ignorantiæ notâ.

p. 140. Aſſertor deinde aduersum me contendit, Franciam nouam, siue Neustriam, à Franciâ Romanâ distinctam fuiſſe; *quia*, inquit, *Narbonenſes & Aquitani dicebantur Romani.* Aquitani tui, Dominice, dicti sint *Romani*, vel *Romanenſes*, vt loquitur Tertullianus; vel *Romulei*, vt Sidonius; non rectè inde infertur, *Aquitaniam* fuiſſe *Franciam Romanam* : etenim in Gallijs omnibus habitarunt Romani : sed Franciæ nouæ specialiter remansit appellatio *Romana* & *Latinæ*; quia illam Romani postremò incoluerant. Dum Clodio Crinitus Cameracum

Lib.2.c.9. adprehendit, & ibi Romanos proriuit, *ad meridionalem plagam habitabant Romani vſque Ligerim fluuium* (inquit Gregorius Turonensis:) *vltra Ligerim verò Gothi dominabantur*. Vnde Luitprandus scitè de

Lib.1.c.6. Widone Rege: *Cùm Burgundionum Regna transiens*, FRANCIAM, *quam* ROMANAM *dicunt, ingredi vellet, Francorum nuntij ei occurrunt.* Wip-

In Vitâ Conradi Salici. po etiam anno M. XXX. de Ernesto, Ducatu Alemanniæ priuato: *Perrexit in* FRANCIAM LATINAM *ad Odonem Comitem propinquum suum*. Odonem illum Wippo alio loco vocat *Comitem Francigenam*; super quem IN GALLIAS FRANCORVM venit cum exercitu Conradus Salicus Imperator, eiusque prædia ac beneficia deuastauit; nempe in Comitatu Campaniæ citra Mosam, & sic *in Franciâ Latinâ* seu *Romanâ*. Reginonis Continuator ad annum CM. XXXIX: *Interim* LVDOVICVS REX GALLIÆ ROMANÆ, *filius Caroli, consilio inimicorum Regis* [Othonis] *sub obtentu requirendi Lotharienſis Regni, Alsatiam inuasit*. Erat ille Ludouicus Caroli Simplicis filius, Rex Franciæ Occiduæ, quam Chronographus *Galliam Romanam* nuncupat. Vnde Otho Frisingensis de Godefrido Bullonio, Inferioris Lotharingiæ

Lib.3.c.5. Duce: *Hic inter* FRANCOS ROMANOS *&* TEVTONICOS, *tamquam in termino vtriuſque gentis* NVTRITVS, *vtriuſque linguæ ſcius medium ſe interpoſuit.* His verbis (quæ *Francos Romanos* distinguunt à *Francis Teutonicis*) vt lucem facerem, adieci, Godefridum Ducem enutritum fuiſſe in Baseio, Brabantiæ Romanæ siue Wallonicæ vico: & illicò

p. 142. Aſſertor, velut inter agrestes educatus; exclamat, *me Othonem Friſingenſem peſſimè interpretatum eſſe; Godefridum Bullonium Boloniæ ad oram Britan-*

Britannici maris educatum fuisse, vt rectè existimauit Petrus Casanouas quia eius loci Eustachius, Godefridi pater, Comes erat. Quàm malè autem id à Casanouâ obseruatum fuerit, & quàm iniquè Dominicus me obiurgarit, dicent Auctores Brabanti. Niuellensis Auctor Antiquæ genealogiæ Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ de Eustachio Comite Boloniensi *Genuit ex sanctâ* IDA *Eustacium Comitem Boloniensem,* GODEFRIDVM *Ducem Lotharingiæ, & Balduinum. Isti Reges fuerunt in Hierusalem, Christianorum primi, & virtutibus excellentissimi, qui* NATI *&* NVTRITI *fuerunt in Brabantiâ, scilicet apud* BAISIN, *iuxta Genapiam, castrum Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ.* Auctor Vitæ sanctæ IDÆ viduæ, Boloniensis Comitissæ, matris Godefridi Bullonij: *Dehinc remeans ex Angliâ* [sancta Ida] *apud Bruxellam, Ciuitatem Brabantiæ nobilissimam, vel circa eam magnâ ex parte vitæ suæ mansionem fecit, & iuxta* GENEPIAM, *cum filijs honestissimè conuersans, habitauit. Monstratur illic vsque hodie fons sacri Baptisterij, in quo* GODEFRIDVS, *eius primogenitus, fertur fuisse initiatus.* Auctor magni Chronici Belgici, Canonicus regularis Ordinis S. Augustini prope Nussiam, de Godefrido Barbato, Lotharingiæ & Tusciæ Duce: *Genuit Godefridum Gibbosum Ducem, & sanctam* IDAM, *matrem* GODEFRIDI, *Eustachij & Balduini fratrum Boloniensium, qui adepti sunt Principatum Boloniensem & Lotharingensem post mortem Godefridi Gibbosi eorum auunculi. Nati sunt in Brabantiâ apud* BAISIN *iuxta Genapium castrum; quorum auia ex vnâ parte Methildis fuit, filia Henrici senioris, Comitis Louaniensis & Bruxellensis, & soror Lamberti iunioris. Iste igitur est Godefridus Bullonus, qui maternum genus duxerat à Ducibus Lotharingiæ.* Huius Chronici auctoritate vtitur Cantetellus Faber, affirmatque ex illo, tres Eustachij filios in castro Basció natos fuisse. Sequitur Petrus Diuæus, qui sic libro primo rerum Brabanticarum: *Inter Gemblacum & Niuigellam arx visitur vetus Genappæ, quam* IDÆ *matri* GODEFRIDI *Bononiensis, magni quondam Ducis Lotharingiæ, ac Hierosolymorum expugnatoris, dotalem ac habitaculo fuisse tradunt: Godefridum* BASIACI *(quòd eius tractus vicus est Castello olim insignis) natum adfirmant & enutritum.* Denique Aubertus Miræus in Notitiâ Ecclesiarum Belgij: *Godefridus Bullonius Cellam S. Petri, in municipio Bullonensi sitam, prouentibus amplioribus anno* M. XCIV. *dotauit, Basiensi Ecclesiâ ipsis traditâ. Est autem* BASEIVM, *vulgò* BASY, *vicus Gallo-Brabantiæ ad fluuium Tiliam, haud procul à Villarsensi Monachorum Cisterciensium Abbatiâ: in quo vico* NATVS *&* ENVTRITVS *fuit* GODEFRIDVS BVLLONIVS, *vt in MS. Niuellensi Genealogiâ Ducum Brabantiæ legitur; vtque* TRADITIONE *velut per manus acceptâ illius loci incolæ*

MS. in Biblioth. Regiâ.

Ex Hagiologio Rubeç Vallis, part. 1. 13. Aprilis.

Lib. 2. Confid. p. 285. Cap. 6.

Cap. 116.

incolæ narrant. En tibi, Dominice, auctoritates acceptæ maiorum traditioni iunctas, quæ præceps consilium & impetum tuum sedare possint.


p. 155. Sed rursus bilem moues, vbi dico ex Adreualdo, Francorum fidem Carolo Magno suspectam fuisse; quod de Orientalibus intelligi debere censes, non de Occidentalibus. Certè cùm ob illam suspicionem, *Aurelianis, Biturigibus, alijsque locis*, Comites externos præfecerit Carolus Magnus, *quibus curam Regni tradidit*; non est quod Adreualdi verba ad Francos Ortiuos detorqueas, qui à locis illis longè sepositi erant. Præterea causam diffidentiæ Adreualdus fuisse notat, quòd Carolus fluxam Francorum fidem bis iam expertus fuisset; Primò dum bellum inchoaretur Saxonicum anno DCC. LXXII. deinde anno DCC. XCII. in coniuratione Pipini naturalis filij: de quo sic

In Vitâ Car. M. Eginarthus: *Is, cùm pater bello contra Hunnos suscepto in Baioariâ hyemaret, ægritudine simulatâ, cum quibusdam* E PRIMORIBVS FRANCORVM, *qui sibi nouâ promissione Regni illuserant, aduersus patrem coniurauit*. Iusta ergo erat causa suspicionis Caroli Magni, quemadmo-

Anno 829. Chesne Tomo 2. p. 307. Fragm. Histor. Aquit. dum & posteà Ludouici Pij eius filij. de quo sic Anonymus: *Imperator clanculum obnitebatur, diffidens Francis, magisque se credens Germanis*. Et numquid etiam Franci Occidui *coniurantes contra* CAROLVM *Iuniorem eiecerunt eum de Regno, &* ODONEM *Ducem Aquitaniæ eleuarunt*? Numquid *iteratò conspirati*, CAROLVM *Regno pellentes, Robertum Ducem sibi pro eo Regem constituerunt*? Et si antiquiora tempo-

In Proculo. ra inspiciamus, nónne *Francis familiare esse*, tradit Vopiscus, *ridendo fidem frangere*? nónne *gentem Francorum infidelem* nuncupat vester

Lib. 4. & 5. de Prou. Saluianus? Sed hæc in præsentiarum leuioris sunt momenti: ad grauiora transeamus.



AD

AD VINDICIAS
HISPANICAS
LVMINA NOVA
PRÆROGATIVA.

INDEX LVMINVM PRÆROGATIVORVM.

LVMEN

APPENDIX AD LVMINA NOVA.

AD

AD VINDICIAS HISPANICAS LVMINA NOVA PRÆROGATIVA.

LVMEN I.

Confirmatur prima prærogatiua Catholici Regis, ab Origine. Antiquum decus & splendor proprius Habsburgi Principum enunciatur.



DVM à Genealogicis & Salicis ad Iura prærogatiuæ se confert Assertor, Augustissimam potentissimamque Gentem Austriacam, *non origine suâ, sed alieno concursu felicem dumtaxat esse iactat; puriorum syderum æmulam, cum ipsis de splendore decertare; Francorum Regum natales sibi arrogare, vt illos gradu anteuertat: in hac tamen audaciâ non deesse aliquam sui cognitionem, dum se ex proprio capite illustrem negat, emendicatis, ob feminarum coniunctiones, Clodouei & Caroli Magni natalibus; nec alios agnoscere meliores; quàm qui à primis Francorum Regibus peti possunt.* Hæc duri oris homo: cui respondeo, audaciam non esse proferre veritatem; mendicato non quæri, nec arrogari, quod asseritur proprium. Agebatur de prærogatiuâ inter Reges: Franci decus omne suum à Caroli Magni prosapiâ repetebant, proprij splendoris haud satis conscij. sic enim de Hugone Capeto illorum progenitore Papyrius Massonus, Regius Annalium Francicorum Scriptor: HVGO *maternum genus ad* OTHONEM *Cæsarem referebat, sorore ipsius genitus, patre natus* HVGONE, *auo* ROBERTO; *cuius Maiores recensere ne Glaber quidem Historicus potuit.* p. 165. Lib. 3.

Nihilominùs ætate nostrâ Iacobus Cassanus confidenter asseruit, Franciæ Regibus ius esse in omnes ditiones quæ Carolo Magno olim subditæ fuerant; quòd ab illo suam repeterent originem. Itaque ostendi in Vindicijs Hispanicis, decus omne à Carolo Magno in posteros dimanatum, ad Austriacos Hispaniæ Reges iure natalium pertinere, vtroque, ni fallor, exsoluto nodo, cùm prærogatiuæ, tum iuris ad hæreditatem. Sed quia Carolinis originibus in quæstionem vocatis, totus in ipsis hæsi; inde intulit Vitilitigator, Augustissimam

Gentem Austriacam minimè ex proprio capire illustrem esse: cuius adeò, quod mei muneris esse reor, plenam gloriam & maiestatem, alienæ non indigam, breuiter & modestè vindicabò.

Pontus Heuterus in Præf. Originum Habsburg.

Ex publicis, iisque vetustissimis tabulis, ac receptis Auctoribus constat, *diu ante tempora* RVDOLPHI *Comitis Habsburgij, Cæsarisque huius stirpis ac nominis primi, fuisse illius prosapiæ Principes non solùm in Germaniâ illustres, sed præpotentes: quod magno numero ædificata ditataque ab iis virorum feminarumque testantur Monasteria, arces atque oppida; quorum nomina apud Nauclerum, Onuphrium, Lazium, aliosque complures veteres recentesque Auctores constanter enumerantur*. Placet itaque Gentis præclarissimæ Stemma à millenis propè annis (antiquiorum enim nomina obliuione sepulta sunt) semotis fabulis, hîc adscribere, & vsque ad Philippum IV. Regem Catholicum masculinâ serie, eâque perpetuâ, deducere.

Masculinum Stemma PHILIPPI IV. REGIS CATHOLICI *ab antiquissimis & nobilissimis Principibus, Vindonissæ, Altenburgi & Habsburgi Comitibus; à quibus virili serie orti sunt XIII. Romanorum Imperatores, & quamplurimi Reges.*

1. OTTOBERTVS Vindonissæ & Altenburgi Comes, ab anno 654. ad an. 667.

2. BABO Vindonissæ & Altenburgi Comes.

3. ROTBERTVS Vindonissæ & Altenburgi Comes.

4. HETTOBERTVS Vindonissæ & Altenburgi Comes, anno 766.

5. RAMBERTVS Vindonissæ & Altenburgi Comes.

6. GVNTRANNVS I. Vindonissæ & Altenburgi Comes.

7. LVITHAROVS Vindonissæ & Altenburgi Comes.

8. LVITFRIOVS Vindonissæ & Altenburgi Comes, anno 899.

9. HVNIFRIDVS Vindonissæ & Altenburgi Comes.

10. GVNTRANNVS II. Diues, Vindonissæ & Altenburgi Comes.

11. LANDZELINVS Vindonissæ & Altenburgi Comes.

12. RA-

12. RADEBOTO Comes Vindonissæ & Altenburgi: vxor * ITA, filia Gerardi Alsatiæ & Lotharingiæ Ducis, soror Theodorici.

12. WERNHERVS Episcopus Argentinensis; qui Habspurgum castrum condidit, non procul Altenburgo: ob. an. 1029.

* Hac ITA per matrem à Carolo Magno prosapiam ducebat. Vide infrà Lumen 5.

13. WERNHERVS I. Habspurgi Comes: obijt anno 1096. vxor REGELINDA Comitissa.

14. OTTO Comes Habspurgi, occisus an. 1110. vxor HILLA, Comitissa de Pfiert.

14. ADELBERTVS Habspurgensis, anno 1130.

14. ITA vxor Rudolphi Comitis de Thierstein.

15. WERNHERVS II. Comes Habspurgi, an. 1130. vxor ITA, Comitissa de Homberg.

15. WERNHERVS Comes de Thierstein: ob. an. 1130.

16. WERNHERVS III. Comes Habspurgi, an. 1144. ob. 1153. vxor N. Domina de Scarkenberg.

16. FRIDERICVS Comes de Thierstein, anno 1130.

17. ADELBERTVS Comes Habspurgi, 1163. ob. 1199. vxor ITA, Comitissa de Pfullendorf.

17. GOTSCALCVS Comes de Thierstein, anno 1159.

18. RVDOLPHVS Comes Habspurgi, & Alsatiæ Lantgrauius: ob. 1232. vxor AGNES, Comitissa de Stauffen.

18. LANDFRIDVS Comes à Thierstein, 1183. & multi alij, vsque ad an. 1476.

19. ALBERTVS Comes Habspurgi, & Alsatiæ Lantgrauius: ob. 1240. vxor HELWIGIS, Comitissa Kiburgi.

20. RVODLPHVS I. Romanorum Imperator, an. 1273. ob. 1291. vxor ANNA, filia Alberti Comitis de Hohenberg.

21. ALBERTVS I. Imperator, 1299. ob. 1308. vxor ELIZABETHA, Meinhardi Ducis Carinthiæ & Comitis Tyrolensis filia.

22. FRIDERICVS III. Imperator, 1314. ob. 1330. vxor ELISABETHA, Iacobi Aragonum Regis filia, sine liberis.

22. ALBERTVS Archidux Austriæ: ob. an. 1358. vxor IOANNA, Vlrici Phyrretarum Comitis filia.

23. ALBERTVS Archidux Austriæ: ob. an. 1389. vxor BEATRIX, Friderici Burgrauij Norimbergensis filia.

23. LEOPOLDVS Archidux Austriæ: ob. 1404. vxor VIRIDIS, Barnabonis Insubrium Ducis filia.

24. ALBERTVS Archidux Austriæ: ob. an. 1404. vxor IOANNA BAVARA, Alberti Comitis Hannoniæ & Hollandiæ filia.

24. ERNESTVS Ferreus Archidux Austriæ: ob. 1435. vxor COMBVRGIS, Vitoldi Lituaniæ Ducis filia.

25. ALBERTVS II. Imperator: ob. 1439. vxor ELISABETHA, Sigismundi Imperatoris filia.

25. FRIDERICVS IV. Imperator, 1440. ob. 1493. vxor LEONORA, Eduardi Lusitaniæ Regis filia.

26. MAXIMILIANVS I. Imperator: obijt 1518. vxor MARIA, Caroli Ducis Burgundiæ filia, & hæres vnica.

27. PHILIPPVS I. Archidux Austriæ, per vxorem Ioannam Rex Hispaniæ: obijt anno 1506.

28. CAROLVS V. Imperator, 1519. ob. an. 1558. vxor ISABELLA, Regis Lusitaniæ filia.

28. FERDINANDVS I. Imperator: ob. 1564. vxor ANNA, Ladislai Hung. & Bohemiæ Regis filia.

29. PHILIPPVS II. Rex Catholicus: ob. 1598. vxor ANNA, Maximiliani II. Imperatoris filia.

29. MAXIMILIANVS II. Imperator: ob. 1576. vxor MARIA, Caroli V. Imperatoris filia.

29. CAROLVS Archidux Austriæ: vxor MARIA, filia Alberti Ducis Bauariæ.

30. PHILIPPVS III. Rex Catholicus: ob. an. 1621. vxor MARGARETA, soror Ferdinandi II. Imperatoris.

30. RVDOLPHVS II. Imperator: ob. 1612. vxore non ductâ.

30. MATTHIAS Imperator: ob. 1619. ἄπαις.

30. FERDINANDVS II. Imperator: ob. 1637. vxor MARIA-ANNA, Bauariæ Ducissa.

31. PHILIPPVS IV. Rex Catholicus: vxor ELISABETHA, Henrici IV. Franciæ Regis filia.

31. FERDINANDVS III. Imperator: vxor MARIA, Philippi III. Regis Catholici filia.

31. LEOPOLDVS GVILIELMVS Archidux Austriæ, &c. Belgij & Burgundię Prorex, 1647.

32. FERDINANDVS Rex Hungariæ & Bohemiæ.

In Dedic. Habsburg. Rudolphum II. Imperatorem Franciscus Guillimannus sic aliquando allocutus est: *Comites Habsburgienses Maiores Tui, clari profectò, & inter Germaniæ Proceres* SEMPER *facilè* PRIMI. *Quid enim*

enim (addit post nonnulla) HABSBVRGIENSIBVS VERNERIS *religiosius aut magnificentius?* ADELBERTIS *constantius aut bellacius? verbo dicam: Profectò nulla in Germaniâ viguit familia eorum omnium clarior exemplis, vt per hos veluti gradus ad supremum in terris fastigium meritò peruenisse credatur.* Præterea RVDOLPHVM I. Habsburgensem in Comitijs Electoralibus sic commendauit Vernerus Moguntiaci Antistes: *In eo hæc insunt omnia,* GENVS CLARVM ET ANTIQVVM; *opes haud contemnendæ; ætas annis matura; belli pacisque prudentia ingens & gloria; domi modestia, foris magnificentia; ante omnia recti verique constans ac perpetuus amor & tenor. Magnus ad hæc in manu exercitus, &* NOBILITAS *penè totius Germaniæ Superioris obnoxia. Quòd si ad colligendos animos nexu sanguinis & affinitatibus nihil est apud mortales efficacius, ei quoque* FILIÆ SEX *formâ & indole eximiæ, & cuiusuis* MAGNÆ FORTVNÆ *pares, ampla conciliandis Imperij* PRIMORIBVS *materia. Sunt etiam iuuenes* FILII TRES *paternæ virtutis æmuli, & coniugij expertes,* FIRMA STABILIMENTA REGNI. Ita etiam generatim Pontus Heuterus: *Quidquid sit,* ANTIQVISSIMA & NOBILISSIMA STIRPE *ortos* HABSBVRGICOS, *è Maiorum* CLARITATE & *opibus, qui multis ante hæc tempora sæculis inter* GERMANIAE PRINCIPES *fuere* MAGNI ET ILLVSTRES, *perspicuè liquet.*

Guillim. lib. 6. c. 4.

Loc. cit.

Et sic de Austriacis suâ ætate Pius II. Papa: AVSTRIALIS *Familia apud Germanos* NOBILISSIMA *est, atque latissimè dominatur.* Iustus Lipsius denique ad ALBERTVM Austriæ Archiducem, S. R. E. Cardinalem, sic aliàs verè scripsit: *Res certa, & inter* ADMIRANDAS *est, ex vnâ* AVSTRIA, *verè aureâ, stirpe vestrâ,* DECEM IMPERATORES *intra hos trecentos circiter annos Orbi Christiano affulsisse; atque id sanguinis & natalium serie sine vllo fulcro adoptionis. Quid in omni retrò Principum classe simile? Duo, tres in vnâ domo, & vix fuerunt: In primâ ipsâ* IVLII *nec vltra sextum etiam adoptio prorogauit. Iterum dico* MIRABILE. *Et quid nisi* A DEO *tacita vox & testimonium, datam hanc Familiam & demissam è cælo in terras esse ad* IMPERIA *Terrarum?*

Lib. 1. Comm.

Præfat. in Admirãd. an. 1598.

Nunc age, Dominice, si potes, oculos mihi in hæc sydera sigillatim defigito, quæ proprio lumine, non alieno effulgentia plures produxêre Soles, qui Christiano Orbi perpetuò prælucerent, Austriacos, Hispanicos. Dum enim Sol æthereus Francis quotidie occidit, Hispanis in Orbe nouo præfulget; dum Francis exoritur, non occidit Hispanis, quibus perpetuò lucet; quia perenni Maie-

ſtatis & Poteſtatis ſplendore mundum complent. Atque huius tantæ magnitudinis celeberrima cauſa, Religio erga Auguſtiſſimum omnium Sacramentum, quam ſcriptis, oraculis atque imaginibus per manus & ætates traditam accepimus. Franciſcus enim Guilli-
Lib.6.c 4. an. 1261. mannus iam laudatus ſic de Rudolpho I. Cæſare: *Bello Regenſbergenſi confecto, compoſitis Tiguri vtrimque rebus, Pace paratâ, inde ad pontem Arulæ & Habſburgum* RVDOLFVS *conceſſit; paucisque diebus per requiem ſumptis, otij impatiens, ſeu potiùs* DIVINO NVTV, *venatum cum aliquot nobilibus iuit. Eâ in venatione, alijs aliò ſparſis, dum & ipſe prædam quærit, aut premit, tintinnabuli ſonitus ad aures accidit, qualis deferendâ ſacroſanctâ Synaxi eſſe ſolet. Cognoſcendæ auidus rei, flexo equo quò ſonus ferebat, eò iter ſubitò vertit, breuique torrentis in ripâ Sacerdotem exuentem ſe offendit: ex quo percontatus, Quid ita & ijs locis eſſet? Cogit me, inquit, ex proximo amici valetudo compendia ſectari, ne morbo ſuperante, ſacris deſtituto, & vitæ mortiſque arbitro, ſecùs de ſalute ſi eueniat, in me culpa inhæreat. Huc cùm adpuli, pontem auulſum reperi, eò ad tranſuadandum veſtem pono. Quæ vbi Comes intellexit, repentè ab equo in genua procidit, liberatoriſque ſui præſentis pacem & gratiam precatus; Imò verò, ait, hunc à me equum accipe, & quod officium neceſſitaſque monet feſtinantiùs obi. Reuerſo pòſt diuinæ rei miniſtro, & equum multâ cum gratiâ, religioniſque & humanitatis laude reſtituente; Abſit ego, inquit, illum equum conſcendam, aut meorum alius, quem Dominum & conditorem meum geſtaſſe certum habeo: quòd ſi adeò præter opinionem, aut tua merita, hæc tibi à me veniſſe cenſes, teque adeò munere indignum, pios in vſus adhibe: illi nempe ego dedi, & dicaui, à quo mihi honores & opes, vita & anima. Poſtero die contulit ſe* RVDOLFVS *ad Monaſterium* FARE, *quod intèr Tigurum & Aquas ſitum Lindemago adiacet,* SANCTIMONIALEM *propinquam & ætate grandem inuiſurus: quæ vbi eum accepit, vultu ſereniore, voce contentâ, & de futuris ſecura; At tibi ego, inquit, heſternâ luce Superos placatos & beneuolos denuncio; proque* PIETATIS & LIBERALITATIS *officio,* RERVM TIBI POSTERISQVE SVMMVM ET SVPREMVM IN TERRIS HONOREM ET OPVLENTIAE FASTIGIVM *affirmo; læta, fauſta, incredibilia promitto: Perge, age vti incepiſti, viam porrò inſequere. Sacerdos verò is, de quo diximus, Archiepiſcopi Maguntiacenſis à Secretis & officijs pòſt factus, crebros de* RVDOLFO *Habſburgienſi ſermones miſcuit, non ſolùm apud Maguntiacenſem, ſed alios quoque Principes eius virtutes extulit; illi per ea tempora paucos pares, neminem ſuperiorem. Indeque* RVDOLFI *ſuper alios toto Imperio*

rio fama & gloria, donec Imperator concordantibus suffragijs pronunciaretur. Hæc, *quæ retulimus,* IN ANTIQVIS ET PROBIS MANVSCRIPTIS *reperta obticere consilium non fuit, rei raritate, & Vaticinij euentu; simul vt benefactorum pretia ostenderem, & quibus artibus* MAGNA *sæpè* IMPERIA *parentur, retineanturque. Acta sunt hæc anno* D. N. M. CC. LXI.

Chronica Sueuiæ MS. Tomo 1. Chronic. Tigurinum MS.

Idipsum Iustus Lipsius solutâ oratione retulit in Monitis Politicis; vbi *in Deum & diuina consulta inquirere non esse* ait, *quæ in aperto sunt memorare.* Sed & illam RVDOLPHI I. pietatem, & secutum vaticinium, aliàs expresserat isto carmine:

Monito 3. exéplo 4.

Comes fuit RVDOLPHVS *olim* HABSBVRGICVS,
Cui rure (iuxta riuulum qui excreuerat)
Ferens ad ægrum quempiam EVCHARISTIAM
Parochus fit obuius: COMES *mox in pedes*
Salit, suoque collocat MYSTAM *loco.*
Eunt simul, simul domos ægri petunt,
Intrantque triste limen: ac istinc iter
Aliud legunt. Sed hîc equum vult reddere
PAROCHVS; *negat* COMES: *quin impium scelus*
Nefasque ducit. Ipse scilicet premam
Ephippion, quo vectus est COELI DEVS?
Ait: pedesque conficit cœptam viam.
Fides inaudita! En Sibyllinâ fata
De stirpe Vates INCLYTO *Comiti canit*
ÆTERNVM HONOREM. *Hoc præmium* PIETAS *habet.*

Apud Miræum in Laudat. fun. Rudolphi II. Imp.

Incompti versus, vt sæculum ferebat, eo ipso tempore vulgati, quo RVDOLPHVS I. in Regem Romanorum electus est, Vaticinij Sibyllini meminêre; adeoque hoc loco minimè prætermittendi:

COMES *in* HABSBVRG, *& in Kiburg, Lantgrauiusque*
Alsatiæ, merito tituli pollens vtriusque,
Franckenfurt, festo MICHAELIS, *stemmate septus*
Magnatum, REGNI ROMANI *culmen adeptus.*

Apud Guillim. loc. cit.

Hectora

Hectora pugnando, Tito bona dando, Catonem
Moribus exsuperans, regit omnia sub ratione.
Ecce coronatur, LEO *surgit, ad alta leuatur;*
Regno ditatur, ceu DIVA SIBYLLA PROFATVR:
Anno 1273. *Bis sexcentos septuaginta tres nota* CHRISTI
Annos, quando REX *factus* RVDOLFE *fuisti:*
TE REGEM *Procerum fecit* DEVS *ipse procerum,*
Cordeque sincerum, nunc mitem, nuncque seuerum:
TEque *coronat eâ Procerum collectio luce,*
Quando dies MARTIS *est post solemnia* LVCAE.
Papa sedet decimus GREGORIVS: *hic quoque primus*
RVDOLFVS REX *est, si gesta notare velimus.*

Anno 1594. Cæterùm, quæ Guillimannus ex antiquis & fide dignis manuscriptis retulit, expressa erant in vetustis aquarij pigmenti tabulis, quas ERNESTVS Archidux Austriæ, Belgij pro Philippo II. Rege Gubernator, subactu oleario per Othonem Vænium, æui sui Apellem, pingi, & in Bruxellensi Palatio collocari iussit: ex quibus has minores fecimus delineari.





LVMEN II.

Habsburgenses Principes virili serie perpetuâ dimanant à fonte proprio limpidißimo, non alieno Thiersteinorum Comitum.

p. 164. BIICIT nobis Assertor, Habsburgenses Principes manasse à Thierstenijs Comitibus per ITAM, Rudolpho Comiti à Thierstein nuptam; & quia HABSBVRGENSIVM Nomen ILLVSTRIVS erat, germano familię Thierstenię nomine deposito, Habsburgensium titulum vsurpasse. Fatetur ergo in primis Dominicus, Habsburgense Nomen ILLVSTRE fuisse; quod alias negabat: in reliquis eodem vehitur nauigio quo Theodorus Gorhofredus; cuius errorem confutabo, postquam ab illo edita Habsburgicæ gentis bina Stemmata hîc subiecero.

In Geneal. Austriacâ editâ an. 1624.

Genealogia Familiæ Habsburgicæ ex Originibus Murensis Monasterij in Heluetiâ, editis Spirenbergij anno M. DC. XVIII.

ISTA *est genealogia nostrorum Principum*: THEODRICVS *Dux Lotharingorum, &* CHVONO *Comes de Rinfelden, fratres fuerunt: horum soror fuit* ITA, *Comitissa de Habspurg, reparatrix huius* MVRENSIS *Cœnobij. Genuit autem* THEODRICVS GERHARDVM *Ducem: ille verò genuit* GERHARDVM *de Egisheim, patrem* VDALRICI *&* STEPHANI.

CHVONO, *Comes de Rinfelden, genuit* RVODOLFVM *Regem; & ille genuit* AGNETEM, *matrem* CONRADI *Ducis.*

III. ITA *de Habspurg genuit* WERNHERVM *Comitem, & Richensam sororem eius de Lentzburg.*

IV. WERNHERVS *genuit* OTTONEM, & ITAM *de Thierstein.*

V. OTTO *genuit* WERNHERVM, *& Adelheidem de Huneburg.*

RICHENZA *de Lentzburg genuit Arnoldum; Chuono Comitem VVernherum de Baden. Ruodolfus genuit Humbertum, Vdalricum, Ruodolfum, & sorores eorum. Arnoldus etiam de Baden, filius Richenzæ de Lentzburg, genuit Richensam de Kiburg.*

VI. ITA *de Thierstein, siue Homberg, genuit* WERNHERVM *&* RVODOLPHVM *de Habspurg.*

VII. *Idem* WERNHERVS *genuit Adelbertum, Gertrudem de Mumpelgard, Richensam de Fierrito.*

ALBER-

Albertvs per Itam *Comitissam de Pfullendorf, filiam sororis Ducis* Welph, *genuit* Rvodolfvm, *& Comitissam de Linigen.* VIII.

Rvodolfvs *per Agnesam, filiam Gottfridi de Stouffen, quod est inter VVormatiam & Spiream, genuit Albertum, Ruodolfum, VVernherum, Heluuigam, Gertrudem, uxores Hermanni & Luduuici fratrum, Comitum de Froburg.* IX.

Albertvs *per Heiluuigam, filiam Vlrici Comitis de Chiburg, genuit. Albertum, Hartmannum.* X.

Rvodolfvs, *frater dicti Alberti, per filiam Lutholdi de Regensperg genuit Gottfridum, VVernherum, & alios quàm plures.*

Alia Genealogia Habspurgicæ domus ex veteribus membranis eiusdem Murensis Monasterij.

Gvntrannvs, *Comes de Altenburg, cognomine Diues, genuit* Landzelinvm *Comitem de Altenburg.* I.

Landzelinvs *genuit Rudolphum,* Radebotonem, *VVernherum Episcopum Argentinensem, & Landzelinum iuniorem. VVernherus verò Episcopus Cœnobium nostrum* Mvrense *construxit anno Domini* M. XVIII. *Fuit etiam fundator Castri* Habespvrg. *Is à Conrado Imperatore anno Domini* M. XXVII. *Constantinopolim missus, ibidem anno* M. XXIX. *diem clausit extremum.* II.

Radeboto *verò, frater VVernheri Episcopi, duxit uxorem* Itam, Theodorici *Ducis Lotharingiæ germanam, &* Cvnonis *Comitis de Rhinsfelden uterinam sororem. Genuit autem Dux Theodoricus* Gerhardvm *Ducem: ille verò genuit* Gerardvm *Comitem de Egisheim, patrem Vdalrici & Stephani.* Chvno *Comes de Rhinfelden genuit* Rodolphvm *Regem; & ille genuit* Agnetem *matrem* Chvnradi *Ducis de Zeringen.* III.

Radeboto *verò, Comes de Altenburg, genuit ex* Ita *Ducissâ coniuge* Ottonem, *Adalbertum &* Wernhervm, *iam Comites de* Habesbvrg *nuncupatos; & Richenzam uxorem Comitis Vdalrici de Lentzburg.* Otto *verò Comes prædictus occiditur ab Erinliebo milite; & sepelitur Argentinæ ante altare sancti Laurentij. Adelbertus frater eius obijt anno Domini* M. LXXV. *sepultus in Monasterio nostro* Mvrensi: *ambo sine liberis decedentes. Kal. Augusti obijt* Ita *Comitissa, uxor Comitis* Radebotonis *de Vindonissâ.*

Wernhervs *verò, alter frater illorum, duxit Regelindam Comitissam uxorem. Is Basilicam nostram* Mvrensem *consecrare fecit anno Domini* M.LXIV. *Obijt verò* III. *Idus Nouembris anno Domini* M.XCVI. IV.

Sepultus in cœnobio. Reliquit filios OTTONEM, *&* *Adalbertum*; *&* ITAM, *vxorem Comitis* RVDOLPHI *de Thierstein. Adelbertus, cuius vxor Iudenta, non genuit filios.*

V. OTTO *verò genuit ex* HYLLA, *Comitissâ de Pfyrt*, WERNHERVM *Comitem*, *&* *Adelheidam vxorem Comitis de Houuenburg*, *&* *Fricca. Præfatus Comes* OTTO *occiditur* VI. *Idus Nouembris ab Hesone nobili de Vsemberg anno Domini* M. C. X.

VI. WERNHERVS *Comes, Ottonis & Hyllæ filius, genuit* WERNHERVM *& Rudolphum ex* ITA *Comitissâ de Homberg coniuge; quorum Rudolphus obijt anno* M. C. XLVII. *sine prole.*

VII. WERNHERVS *de Habspurg Comes, ex* ITA *de Homberg genitus, genuit ex Dominâ de Starckenberg vxore* ADELBERTVM, *&* *Richensam, coniugem Comitis de Fierrito, & Gertrudem, Comiti de Montpelgard nuptam. Obijt* WERNHERVS *anno Domini* M. C. LIX. *Sepultus in Monasterio nostro.*

VIII. ADELBERTVS, *Comes de Habspurg, VVernheri filius, genuit ex* ITA, *Comitissâ de Pfullendorf*, RVDOLPHVM *Landtgrauium Alsatiæ, & Itam Comitissam de Liningen.*

IX. RVDOLPHVS *Landtgrauius, Adelberti & Itæ filius, genuit ex Agnesâ, filiâ Gotefridi Comitis de Stouffen, quod est inter VVormatiam & Spiram*, ALBERTVM *Landtgrauium*, *&* RVDOLPHVM *Comitem de Habspurg, & Heluuigam, vxorem Hermanni Comitis de Froburg, & Gertrudem, vxorem Comitis Ludouici, Comitis de Froburg, fratris Hermanni; &* WERNHERVM *Comitem de Habspurg: qui sine liberis decessit.*

X. ALBERTVS *Landtgrauius Alsatiæ genuit ex Heluuigâ, Comitissâ de*
XI. *Kiburg*, RVDOLPHVM ROMANORVM REGEM, *Albertum Canonicum Basiliensem & Strasburgensem, & Hartmannum: qui sine liberis decessit.*

RVDOLPHVS *verò Comes de Habspurg, & Dominus in Louffenberg & Cletgoeuue, frater prædicti Alberti Landtgrauij, genuit ex Gertrudâ nobili de Regensberg Gotfridum, VVernherum, Ottonem, Eberhardum, & Rudolphum Episcopum Constantiensem.*

Priorem genealogiam Gothofredus veram & germanam esse censet, posteriorem corruptam & adulteratam. Ego contrà sentio, & posteriorem sinceram & accuratam, priorem imperfectam & mutilam existimò, & sequentibus argumentis ostendo.

Primò, Genealogista prior barbarus, varius & indiligens, prætermissâ ab initio virili stirpe Principum Habspurgicorum, orditur ab ITA Lotharingâ; cuius virum RADEBOTONEM Comitem ne nominat quidem. Posterior incipit à GVNTRANNO Diuite, Radebotonis

nis auo; cuius virilem progeniem ordinatè prosequitur vsque ad RVDOLPHVM I. Imperatorem.

II. Prior ITAM Lotharingam vocat *Comitissam de Habspurg*; cuius virum Radebotonem Habspurgi Comitem fuisse nullibi apparet; quinimò constat, filium eius Wernherum I. Habspurgi Comitis nomen primùm assumpsisse, ab exstructo per patruum Wernherum Episcopum Habspurgi Castro. Posterior ITÆ virum *Radebotonem* scitè vocat *Comitem de Altenburg*, & *Comitem de Vindonissâ*.

III. Prior Itam Lotharingam, quam malè iterùm *Comitissam de Habspurg* nuncupat, nudè scribit fuisse *sororem Theodorici Ducis Lotharingorum*, *& Chunonis Comitis de Rinfelden*. Posterior fraternitatem accuratè distinguit, vbi affirmat ITAM *fuisse Theodorici Ducis germanam*, *Chunonis verò vterinam sororem*: vnde patet illos etiam fuisse vterinos fratres, non, vt prior ait, absolutè *fratres*.

IV. Prior in explicatione prolium Chunonis Comitis de Rinfelden ab eo deducit *Agnetem, matrem Conradi Ducis*. Posterior distinctiùs *Agnetem* vocat *matrem Conradi Ducis de Zeringen*.

V. Prior, postquam iterùm malè dixit, *Itam Habspurgensem* (pro Lotharingâ vel Altenburgicâ) genuisse Wernherum I. Comitem, prætermisso rursus viro eius Radebotone, addit, *VVernherum genuisse Ottonem, & Itam de Thierstein*: quam posterior explicatè nuncupat *vxorem Comitis Rudolphi de Thierstein*, vti etiam Elias Reusnerus. In Genealogijs.

VI. Postquam prior Genealogus asseruit *Ottonem genuisse VVernherum II.* ortibus quibusdam interiectis, pergit ad Wernheri II. proles, nomine patris eorum suppresso; matrem verò nuncupat *Itam de Thierstein siue Homberg*, errore manifesto; cùm *Itam de Homberg* nudè debuisset scripsisse (vt legitur in Chronico Constantiensi) quam posterior Genealogus rectè vocat *Itam Comitissam de Homberg, VVernheri II. coniugem, matrem tertij*. *Ita* enim *de Thierstein*, Wernheri I. Comitis filia, ideò *Thierstenica* dici poterat, quia nupserat *Rudolpho Comiti de Thierstein*, vt iam ostensum: cui pepetit *VVernherum Comitem de Thierstein*; qui vnà cum Adelberto Habspurgensi, auunculo suo, interfuit Comitijs Basileæ celebratis anno M. C. XXX. *VVernherus* deinde Comes Thierstenienfis, Itæ filius, genuit *Fridericum*; qui *Gotzcalcum*, qui *Landfridum*, ordine Comites Thierstenienses, quos recenset Henninges. Vnde manifestè colligitur, *VVernherum* illum Comitem de Thierstein, Itæ Habsburgensis filium, alium fuisse ab Habsburgiensi Comite Wernhero III. qui Wernheri II. ex *Itâ Comitißâ de Homberg* filius erat. Proptereaque Rudolphus Taciturnus Habsburgi Comes, Rudolphi I. Imperatoris auus, memor proauiæ Chronic. Basileense l. 2. c. 15. Guillim. l. 2. c. 8. l. 5. c. 3.

 suæ

suæ Itæ *Hombergensis* nobilissimæ, Wernheri II. Comitis Habsburgi vxoris, Wernheri III. matris, galeâ duplici scutum suum exornauit: *Dextræ in leuam conuersæ eminebat erumpens Leo Habsburgicus scutario similis; sinistræ in dextram flexæ, olorum colla & capita duo, singulos annulos rostro præferentia:* quo posteriori apice Hombergensis familia galeam exornabat, scuto argenteo impositam; quod *furuis aquilis geminis* impressum erat. Thierstenica autem familia à Wernhero Comite Thierstenico, Itæ Habsburgiensis filio, continuata (quæ plures ab illo annos durauit) pro militari symbolo *ceruum coccineum in aureâ parmâ* præferebat; & pro galeæ acrostolio, *Hermam muliebrem inter binos rosarum ramales:* quo apice Comites Habsburgienses nusquam vsi, sicut Hombergensi; vt nempe ortum suum ab isthac perillustri stirpe parefacerent.

Sibmakerus Tomo 2. pag. 19. 20.


HOMBERG.


HABSBVRG.


THIERSTHEIN.

Erroris autem ab inculto Genealogistâ commissi causam Guillimannus (qui eius Stemma inspexerat) inde ortam censet, quòd licet *Thierstein* & *Homberg* familiæ diuersæ fuerint, & vtraque Comitalis dignitatis; in eadem tamen Valle Friccæ arces *Thierstein, Homberg* & *Rinsfelde* antiquitus steterint, connexique adeò fuerint hi tres Comitatus, *Thierstein, Homberg* & *Rinsfelde*, vt apud limitaneum lapidem in prato, cui nomen *Efezmar*, Comites conuenientes, conuersis inter se tergis, quisque in suum dominium respicere potuerit: vnde mirum non est, bardum Genealogistam, ob illam dirionum vicinitatem, *Thierstein* & *Homberg* familias oscitanter confudisse; quas alter peritior scienter & optimè distinxit.

Lib. 4. c. 4.

VII. Prior

VII. Prior Genealogus, Alberti Habſpurgenſis & Helwigis Kiburgenſis proles enumerans, omiſit RVDOLPHVM, in Romanorum Regem poſteà electum; quem Monumenta Mutenſia inter Alberti filios primum conſtituunt; adeò incuriofus fuit in ijs exponendis quæ ad ipſius æuum pertinebant,& quæ in Monaſterio ſuo præ manibus habebat. Itaque ex relatis palàm fit, *Rudolphum I. Imperatorem* ab Habſpurgi Comitibus ſerie maſculinâ perpetuâ oriundum fuiſſe; non autem à Thierſtenijs, vt ſomniauit Gothofredus, & ab illo retulit præcipitis ingenij Aſſertor: qui etiam noſtris illis ſyderibus propriâ luce conſpicuis oppoſuit ex cerebri cuiuſpiam ſpatijs imaginarijs *Ferreolos* & *Nibelungos*. Sed iam fusè oſtendi ab iſtis Capetinos Reges nullo modo proceſſiſſe. Ab illis verò ſi lux & gloria in aliquos Europæ Principes deriuata eſt, ea in noſtros Reges per Maiores Domus, & Carolum Magnum, cum natalium anteceſſione tota coaluit. Guillim. l. 6. c. 3.

LVMEN III.

Burgundionum Reges & Comites à Gothis antiquiſſimis proſapiam ducunt; Principes Habſburgici à Burgundionibus.



ELEGANTER Puteanus noſter ὁ μακαρίτης, *Originem neſciri, aut confundi, illuſtre Antiquitatis ſignum eſt; nec pulchriori monumento durat rerum memoria, quàm cùm quæri ea debent.* Lib. 1. Hiſtor. Inſubr. Hactenus inclytæ Habsburgenſium Gentis initia plures inueſtigarunt; nec vllus meo iudicio aſſecutus eſt. Videndum hoc loco, num alijs clarius quidpiam aſſequi poſſimus. Scribit Agathias, *Clodamirum aduerſus* BVRGVNDIONES, *qui & GOTHICÆ ſunt nationis, duxiſſe exercitum:* illi erant *Sigiſmundus* & *Godomarus* Burgundiæ Reges, filij *Gundebaldi*; qui ab *Athanarico* Gothorum Rege proſapiam ducebat. Lib. 1. de Rebus Geticis an. 521. Gregorius Turonenſis disertè: *Fuit autem & GVNDIVICVS Rex Burgundionum ex genere* ATHANARICI *Regis perſecutoris. Huic fuerunt quatuor filij, GVNDOBALDVS, Godegiſilus, Hilpericus, & Godomarus.* Lib. 2. c. 28. Albericus ſimiliter: *Rex Burgundiæ* GODOVEVS (aliàs Gundiuicus & Gundiochus) *de genere primi* ATHANARICI *Gothorum Regis procreatus, quatuor habuit filios, GVNDEBALDVM, Godegiſilum, Chilpericum, patrem Crotildis, & Gothmarum.* GVNDEBALDI *filij fuerunt ſanctus Rex* SIGISMVNDVS *&* GODOMARVS. Ad an. 513. Obijt Athanaricus Gothorum Rex anno Chriſti CCC. LXXXI. Baron. n. 10. *Gundiſclus* Rex eius filius, Gundiuici pater, partem Galliæ Rheno proximam occu- Cheſne Burgund. l. 1. c. 1.

ſuæ ITÆ *Hombergenſis* nobiliſſimæ, Wernheri II. Comitis Habsburgi vxoris, Wernheri III. matris, galeâ duplici ſcutum ſuum exornauit: *Dextræ in læuam conuerſæ eminebat erumpens Leo Habſburgicus ſcutario ſimilis; ſiniſtræ in dextram flexæ, olorum colla & capita duo, ſingulos annulos roſtro præferentia:* quo poſteriori apice Hombergenſis familia galeam exornabat, ſcuto argenteo impoſitam; quod *furuis aquilis geminis* impreſſum erat. Thierſtenica autem familia à Wernhero Comite Thierſtenico, Itæ Habsburgienſis filio, continuata (quæ plures ab illo annos durauit) pro militari ſymbolo *ceruam coccineam in aureâ parmâ* præferebat; & pro galeæ acroſtolio, *Hermam muliebrem inter binos roſarum ramales:* quo apice Comites Habsburgienſes nuſquam vſi, ſicut Hombergenſi; vt nempe ortum ſuum ab iſthac perilluſtri ſtirpe patefacerent.

Sibmakerus Tomo 2. pag. 19. 20.


HOMBERG.


HABSBVRG.


THIERSTHEIN.

Erroris autem ab inculto Genealogiſtâ commiſſi cauſam Guillimannus (qui eius Stemma inſpexerat) inde ortam cenſet, quòd licet *Thierſtein* & *Homberg* familiæ diuerſæ fuerint, & vtraque Comitalis dignitatis; in eadem tamen Valle Friccæ arces *Thierſtein*, *Homberg* & *Rinsfelde* antiquitus ſteterint, connexique adeò fuerint hi tres Comitatus, *Thierſtein*, *Homberg* & *Rinsfelde*, vt apud limitaneum lapidem in prato, cui nomen *Efezmar*, Comites conuenientes, conuerſis inter ſe tergis, quiſque in ſuum dominium reſpicere potuerit: vnde mirum non eſt, bardum Genealogiſtam, ob illam ditionum vicinitatem, *Thierſtein* & *Homberg* familias oſcitanter confudiſſe; quas alter peritior ſcienter & optimè diſtinxit.

Lib. 4. c. 4.

VII. Prior

VII. Prior Genealogus, Alberti Habſpurgenſis & Helwigis Kiburgenſis proles enumerans, omiſit RVDOLPHVM, in Romanorum Regem poſteà electum; quem Monumenta Murenſia inter Alberti filios primum conſtituunt; adeò incuriosus fuit in ijs exponendis quæ ad ipſius æuum pertinebant, & quæ in Monaſterio ſuo præ manibus habebat. Itaque ex relatis palàm fit, *Rudolphum I. Imperatorem* ab Habſpurgi Comitibus ſerie maſculinâ perpetuâ oriundum fuiſſe; non autem à Thierſtenijs, vt ſomniauit Gothofredus, & ab illo retulit præcipitis ingenij Aſſertor: qui etiam noſtris illis ſyderibus propriâ luce conſpicuis oppoſuit ex cerebri cuiuſpiam ſpatijs imaginarijs *Ferreolos & Nibelungos.* Sed iam fusè oſtendi ab iſtis Capetinos Reges nullo modò proceſſiſſe. Ab illis verò ſi lux & gloria in aliquos Europæ Principes deriuata eſt, ea in noſtros Reges per Maiores Domus, & Carolum Magnum, cum natalium anteceſſione tota coaluit. Guillim. l. 6. c. 3.

LVMEN III.

Burgundionum Reges & Comites à Gothis antiquiſſimis proſapiam ducunt; Principes Habſburgici à Burgundionibus.

ELEGANTER Puteanus noſter ὁ ϰαϱοϑέτης, *Originem neſciri, aut confundi, illuſtre Antiquitatis ſignum eſt; nec pulchriori monumento durat rerum memoria, quàm cùm quæri ea debent.* Hactenus inclytæ Habsburgenſium Gentis initia plures inueſtigarunt; nec vllus meo iudicio aſſecutus eſt. Videndum hoc loco, num alijs clarius quidpiam aſſequi poſſimus. Scribit Agathias, *Clodamirum aduerſus* BVRGVNDIONES, *qui & GOTHICÆ ſunt nationis, duxiſſe exercitum:* illi erant *Sigiſmundus* & *Godomarus* Burgundiæ Reges, filij *Gundebaldi*; qui ab *Athanarico* Gothorum Rege proſapiam ducebat. Gregorius Turonenſis diſertè: *Fuit autem* & GVNDIVICVS *Rex Burgundionum ex genere* ATHANARICI *Regis perſecutoris. Huic fuerunt quatuor filij,* GVNDOBALDVS, *Godegiſilus, Hilpericus, & Godomarus.* Albericus ſimiliter: *Rex Burgundiæ* GODOVEVS (aliàs Gundiuicus & Gundiochus) *de genere primi* ATHANARICI *Gothorum Regis procreatus, quatuor habuit filios,* GVNDEBALDVM, *Godegiſilum, Chilpericum, patrem Crotildis, & Gothmarum.* GVNDEBALDI *filij fuerunt ſanctus Rex* SIGISMVNDVS & GODOMARVS. Obijt Athanaricus Gothorum Rex anno Chriſti CCC. LXXXI. *Gundiſelus* Rex eius filius, Gundiuici parens, partem Galliæ Rheno proximam occu- Lib. 1. Hiſtor. Inſubr. Lib. 1. de Rebus Geticis an. 521. Lib. 2. c. 28. Ad an. 513. Baron. n. 10. Cheſne Burgund. l. 1. c. 1.

occupauit anno CD. VIII. dum in Sequanorum maximam cum suis Burgundionibus irrupit. Itaque ab antiquissimis illis Burgundiæ Regibus Habsburgenses nostros existimo dimanasse:

Primò, quia præfuerunt Vindonissæ, arci munitissimæ & amplæ iurisdictionis, quam Rex Gundiselus transacto Rheno vt proximiorem primùm occupauit, dum prima Regni sui intra Galliam fundamenta iaceret.

II. Quia ditiones à priscis illis Comitibus olim possessæ circa Murense Monasterium sitæ erant: illud autem in veteri Burgundiâ ædificatum fuisse, clarè colligitur ex chartâ Henrici IV. Imp. quæ sic habet: *Omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium cognoscat industria, quòd* IN REGNO NOSTRO *regulare quoddam Monasterium situm est, in* PROVINCIA *scilicet* BVRGVNDIÆ, *in Episcopatu Constantiensi, in pago Argowe dicto, in Comitatu Rore, quod* MVRE *nuncupatum est; quod tempore* CONRADI *Imp. in honorem S. Martini constructum est, & honorificè Deo dicatum est à VVernhario Strasburgensi Episcopo, parente* (id est consanguineo) *scilicet* WERNHARII *Comitis de Habsburg*, &c. Data est charta anno M. C. XIV. *Basileæ:* quam ciuitatem ad Burgundiam pertinere Wippo scribit.

In Actis Murensis Monast.

In Vitâ Conradi Salici.

III. Quia Vindonissæ Comites mutato eius ciuitatis nomine illam *Altenburgum* vocarunt; ac aliam deinde *Habsburgi* appellatione condidêre ex Burgundionum more, *qui crebra quæ ad limites habitacula construebant*, BVRGOS *vocabant*. Vnde per totam Germaniam frequentes locorum à Burgis appellationes ortæ. *Burgus* autem in vett. glossis est *πύργος, turris*.

Orosius lib. 7. c. 32.

Altenburgi porrò Comites cum Vindonissensibus eosdem fuisse, datur intelligi primùm ex *Vindonissæ castro*; cuius nomenclaturâ in *Altenburgicam* transiuit. Deinde ex libro veteri Murensis Monasterij, in quo *Lancelinus*, Radeboronis Comitis parens, nuncupatur *Comes de Altenburg*. Prætereà ex Eremi Deiparæ MS. codice pergameno, vbi *Radeboto*, Lancelini filius, disertè scribitur *Comes de Vindonissâ*. Denique ex Ekkeardo S. Galli Monacho, qui dum *Landaloum*, Guntranni Diuitis fratrem, Archiepiscopum Daruiensem (non Treuirensem) commemorat, *Vindonissam eius hæreditatem fuisse* scribit.

Lib. de Casibus S. Galli.

IV. Ex more antiquis Germanis (quorum pars erant Burgundiones) passim vsitato; qui ex præcipuâ nobilitate illos sumebant, qui prouincijs & munitioribus locis imperitarent: vt Franci etiam primæ stirpis Reges, Regna suâ & prouincias per regiј sanguinis Proceres administrare solebant. R. P. Ioannes Gans egregiè: *Familiare Francis prima Consanguineis suis Aulæ officia conferre*. Quod firmat Coccius

Cluuer. l. 1. Germ. c. 15.

Annot. in 1. arborem.

cius exemplo Clotarij II. Regis, qui certos limites COMITATIBVS distinctos *consanguineis & agnatis* de vetustâ Francorum prosapiâ dispertiuit. COMITES autem (inquit Saresberiensis) *à societatis participatione dicebantur. Nam sicut Præsules in partem solicitudinis à Summo Pontifice euocantur, vt spiritualem exerceant gladium: sic à Principe in ensis materialis communionem* COMITES, *quasi mundani iuris Præsules, asciscuntur. Et quidem qui hoc officij genus gerunt in Palatio, iuris auctoritate* PALATINI *sunt; qui in Prouincijs*, PROVINCIALES. Regum igitur Austriacorum origo masculina ab antiquissimis Habsburgi Principibus, Comitali dignitate post omnem memoriam insignibus, æquè illustris est atque origo CAROLI Magni Imperatoris, qui à Senatoribus & Regiæ domus Præfectis virilem prosapiam ducebat. In Dagoberto cap. 3. Epist. 263.

V. Quia potentes Vindonissæ Comites regio more Nobiles habebant præcipuos *à Vildenstein*, qui Dapiferorum; *à Vildeck*, qui Pincernatum munere apud illos fungebantur. Comites etiam Habsburgi à Vindonissensibus progeniti, familiâ in morem principalem institutâ, Dapiferos & Pincernas habebant primæ nobilitatis viros, vt ex chartis à Guillimanno relatis obseruare licet. Vnde in Matriculâ Imperij inter *Comites qui sunt Principes*, recensetur *Habsburgiæ Comes & Princeps*. Illi autem dicebantur *Comites Principes, qui soli Imperio adnexi erant, proindeque* LIBERI, *& sui iuris; ad eorum differentiam, qui feuda sua, siue beneficia, ab alijs Principibus accipiebant, illisque eo pacto obnoxij reddebantur*. Ideircò Rudolphus I. Habsburgi Comes, priusquam esset Imperator, in chartis, DEI GRATIA *Lantgrauium Alsatiæ, & Comitem de Habesburch*, se nuncupabat; *claro indicio, nemini suos debuisse Comitatus quàm Deo æterno & omnipotenti; cuius respectu solam Imperij Maiestatem reuerebatur & vnicam*. Exemplum ex Belcario de Ludouico XI. Francorum Rege: *Regressum à Burgundione Morvillerium cum delectis aliquot viris statim ad Britannum misit; quorum legatio præcipua quatuor capita continebat: Primum, ne Britanniæ Regulus in publicis diplomatis ea verba præfigeret, quæ hactenus vsurpauerat:* FRANCISCVS DEI GRATIA BRITANNIÆ DVX: *quòd hisce verbis se Regis beneficiarium tacitè inficiari videretur, quibus Ducatum soli Deo, non etiam secundùm Deum ipsi Regi acceptum referre testaretur*. Addit Pontus Heuterus, *nullum reperiri è primis Habsburgi Comitibus qui clientelare sacramentum Regibus Francorum dixerit, aut aliquâ ratione patronos agnouerit*. Guillim. l. 2. c. 4. lib. 6. c. 2. Lib. 1. num. 14. De Orig. Habsburg. c. 3.

VI. Ob magnas Comitum Habsburgi cum magnis Principibus ac Regibus affinitates, quas non contraxissent, nisi magnæ & Regiæ originis fuissent: quocircà & ipsi ad summum Imperij fastigium ele-

ctione multoties, ad magna multaque Regna, opulentasque ditiones legitimâ successione peruenerunt. Vnde San-marthani de Carolo Martello, ex Capetinorum Franciæ Regum stirpe Andegauensi, qui ad Hungariæ Regnum ius obtendebat: *Vt se fulciret & firmaret* MAGNA AFFINITATE, *quo ad tuendum ius suum potentior esset, matrimonium iniuit cum* CLEMENTIA HABSBVRGIENSI, *filiâ* RVDOLFI I. *Imp. & Annæ Hohenbergicæ eius vxoris*. Sed & Fridericus III. Imp. stirpe Habsburgensis, verè aliquando dixit: *Nulla Germaniæ domus illustris est, quæ nostram familiam sanguine non attingat.*

Lib. 18. c. 3. ad an. 1291.

Apud Freherum Tomo 2. p. 21.

Lib. 2. c. 3.

Haud ficté ergo affirmat Guillimannus, *se nescire, an aliam stirpem terrarum Orbis tulerit, quæ longiori & clariori stemmate maiores ciere queat; quæ tot humano generi Principes, Reges, Imperatores procrearit; quæ longiùs, latiùs; gestis, potentiâ, famâ, gloriâ peruaserit; quæ tot nationibus, prouincijs, Regnis imperitarit; vt prius terra, quæ illos capiat, deficere videatur, quàm* HABSBVRGENSIVM *virtutes, queis eamdem moderentur.*

VII. Denique argumentum desumo ex symbolicis Habsburgi Comitum armis, de quibus Lumine sequenti.

LVMEN IV.

De scuti militaris instructu noua & generalis obseruatio. Gentilitium Insigne Comitum Habsburgi merè fuit Regium, idemq; Gothicum, Burgundicum, Hispanicum. Item de Austriaco.



PRÆMITTO axioma obseruationis non vulgaris, nempe, pleno scuti militaris instructu designari virum ipsum militarem propugnantibus armis obtectum. Galea enim, quæ præcipuam animæ sedem tegit ac munit, armatum caput ostendit; scutum verò refert truncum corporis aduersus hostium tela prætectum. Id clarum est in veterum trophæis, quæ formam reddebant armati, sed deuicti hominis. Ouidius disertè:

3. de Ponto, Eleg. 4.

SCVTA *sed &* GALEÆ *gemmis radientur & auro,*
Stentque super victos trunca TROPHAEA *viros.*

Sat. 10.

Iuuenalis etiam cum lepore:

Bellorum exuuiæ, truncis affixa TROPHAEIS
LORICA, *& fractâ de* CASSIDE *buccula pendens.*

Lorica designabat scutum, quod corporis columen rurabatur. Nihil autem erat, quod brachia & crura indicaret; quia scilicet viri militares experientiâ docti in caput galeâ munitum, & in thoracem

scuto

ſcuto prætectum, telis dumtaxat collimabant. De vtroque Virgilius, qui criſtis galeam expreſſit:

— Aptant rorantes ſanguine CRISTAS,
Telaque trunca viri, & bis ſex THORACA *petitum,*
Perfoſſumque locis. —

Æneid. 11.

De ſcuto ſolo Cæſar: SCVTO *ad eum relato Sceuæ centurionis, inuenta ſunt in eo foramina ducenta triginta.* Lib. 3. Ciuil.

Ferire igitur brachia & crura lege militari probroſum cenſebatur: quod quidem placitum binis ſtabilio exemplis è Froiſſarti Annalibus, qui magis accedunt ad noſtrum æuum. Prius eſt de Michailleo Franco & Katore Albionio nobilibus hoplomachis: *Hi cùm equeſtre certamen iniuiſſent, infeſtis haſtis magno impetu inuicem concurrerunt. Francus, Buquingamij Comitis arbitratu, optimè eſt congreſſus: ſed Anglus demiſsè nimis Francum percuſſit, lanceâ cruri eius inflictâ: vnde Comes irâ commotus, aliique pariter Satrapæ omnes, dixerunt illum* TVRPITER *depugnaſſe.* Aliud exemplum præbuit Formitonis Britanni & Caſtelmoranris Franci pedeſtris dimicatio, in quâ *ſumptis haſtis magnâ vi concurrerunt, vt ferrum alter alteri* INTER ARTVS QVATVOR *dirigeret: aliter enim* TVRPE *fuiſſet* FACTVM. *Anglus haſtâ præpilatâ Franci alterum crus traiecit: vnde qui præſentes aderant equites & armigeri, grauiter ſuccenſi, pronunciarunt vulnus Franco* FOEDE *fuiſſe illatum.* Volum. 1. c. 55. & 64. Anno 1380.

Hermæ puſilli, brachijs cruribuſque deſtituti, quos ex antiquâ nobilitate nonnulli Proceres velut parua trophæa geſtabant in galeatum conis, certa ſunt indicia legis eius militaris in Torneamentis obſeruari ſolitæ; quam in Burgundicâ domo ex parte viguiſſe teſtis eſt Auctor Commentarij *de Itinere D. Leonis, fratris Ioannæ Reginæ Bohemiæ.* Vbi enim agit de ludis equeſtribus Bruxellæ celebratis coram Philippo Bono Duce; *Acceſſerunt,* inquit, *ad Ioannem Zebrouienſem miniſtri Ducis, eique denunciarunt vt ad certamen accinctus eſſet; aduerſarios enim mox affore. Percontante autem D. Ioanne quo pacto certaturi eſſent, an nudi, vel in thoracibus: in thoracibus certamen inituros more iſtius regionis reſponderunt; ſed eâ lege, ne* INFRA CINGVLVM, *ſcilicet pedes prehenderet: aliter licere, quocumque modo velit, aduerſarium humi deponere.* Anno 1466.

Ab illâ porrò veteri pugnarum lege ortum exiſtimo, vt omiſſis cruralibus brachialibuſque, vir militaris SCVTO & GALEA ſolis, inſtructis tamen & ornatis, velut ſimulacro illuſtri exprimeretur: quod hactenus à nemine Artis Heraldicæ perito, quod ſciam, plenè obſeruatum fuit.

ſuæ Itæ *Hombergenſis* nobiliſſimæ, Wernheri II. Comitis Habsburgi vxoris, Wernheri III. matris, galeâ duplici ſcutum ſuum exornauit: *Dextræ in læuam conuerſæ eminebat erumpens Leo Habſburgicus ſcutario ſimilis; ſiniſtræ in dextram flexæ, olorum colla & capita duo, ſingulos annulos roſtro præferentia:* quo poſteriori apice Hombergenſis familia galeam exornabat, ſcuto argenteo impoſitam; quod *furuis aquilis geminis* impreſſum erat. Thierſtenica autem familia à Wernhero Comite Thierſtenico, Itæ Habsburgienſis filio, continuata (quæ plures ab illo annos durauit) pro militari ſymbolo *ceruam coccineam in aureâ parmâ* præferebat; & pro galeæ acroſtolio, *Hermam muliebrem inter binos roſarum ramales:* quo apice Comites Habsburgienſes nuſquam vſi, ſicut Hombergenſi; vt nempe ortum ſuum ab iſthac periliuſtri ſtirpe patefacerent.

Sibmakerus Tomo 2. pag. 19. 20.



Erroris autem ab inculto Genealogiſtâ commiſſi cauſam Guillimannus (qui eius Stemma inſpexerat) inde ortam cenſet, quòd licet *Thierſteîn* & *Homberg* familiæ diuerſæ fuerint, & vtraque Comitalis dignitatis; in eadem tamen Valle Friccæ arces *Thierstein, Homberg* & *Rinsfelde* antiquitus ſteterint, connexique adeò fuerint hi tres Comitatus, *Thierſtein, Homberg* & *Rinsfelde*, vt apud limitaneum lapidem in prato, cui nomen *Efezmar*, Comites conuenientes, conuerſis inter ſe tergis, quiſque in ſuum dominium reſpicere potuerit: vnde mirum non eſt, bardum Genealogiſtam, ob illam ditionum vicinitatem, *Thierſtein* & *Homberg* familias oſcitanter confudiſſe; quas alter peritior ſcienter & optimè diſtinxit.

Lib. 4. c. 4.

VII. Prior

VII. Prior Genealogus, Alberti Habſpurgenſis & Helwigis Kiburgenſis proles enumerans, omiſit RVDOLPHVM, in Romanorum Regem poſteà electum; quem Monumenta Murenſia inter Alberti filios primum conſtituunt; adeò incuriosus fuit in ijs exponendis quæ ad ipſius æuum pertinebant, & quæ in Monaſterio ſuo præ manibus habebat. Itaque ex relatis palàm fit, *Rudolphum I. Imperatorem* ab Habſpurgi Comitibus ſerie maſculinâ perpetuâ oriundum fuiſſe; non autem à Thierſtenijs, vt ſomniauit Gothofredus, & ab illo retulit præcipitis ingenij Aſſertor: qui etiam noſtris illis ſyderibus propriâ luce conſpicuis oppoſuit ex cerebri cuiuſpiam ſpatijs imaginarijs *Ferreolos* & *Nibelungos*. Sed iam fusè oſtendi ab iſtis Capetinos Reges nullo modo proceſſiſſe. Ab illis verò ſi lux & gloria in aliquos Europæ Principes deriuata eſt, ea in noſtros Reges per Maiores Domus, & Carolum Magnum, cum natalium anteceſſione tota coaluit. Guillim. l. 6. c. 3.

LVMEN III.

Burgundionum Reges & Comites à Gothis antiquiſſimis proſapiam ducunt; Principes. Habſburgici à Burgundionibus.



LEGANTER Puteanus noſter ὁ μακαρίτης, *Originem neſciri, aut confundi, illuſtre Antiquitatis ſignum eſt; nec pulchriori monumento durat rerum memoria, quàm cùm quæri ea debent.* Lib. 1. Hiſtor. Inſubr. Hactenus inclytæ Habsburgenſium Genris initia plures inueſtigarunt; nec vllus meo iudicio aſſecutus eſt. Videndum hoc loco, num alijs clarius quidpiam aſſequi poſſimus. Scribit Agathias, *Clodamirum aduerſus* BVRGVNDIONES, *qui & GOTHICÆ ſunt nationis, duxiſſe exercitum:* illi erant *Sigiſmundus* & *Godomarus* Burgundiæ Reges, filij *Gundebaldi*; qui ab *Athanarico* Gothorum Rege proſapiam ducebat. Lib. 1. de Rebus Geticis an. 521. Gregorius Turonenſis diſertè: *Fuit autem & GVNDIVICVS Rex Burgundionum ex genere* ATHANARICI *Regis perſecutoris. Huic fuerunt quatuor filij,* GVNDOBALDVS, *Godegiſilus, Hilpericus, & Godomarus*. Lib. 2. c. 28. Albericus ſimiliter: *Rex Burgundiæ* GODOVEVS (aliàs Gundiuicus & Gundiochus) *de genere primi* ATHANARICI *Gothorum Regis procreatus, quatuor habuit filios,* GVNDEBALDVM, *Godegiſilum, Chilpericum, patrem Crotildis, & Gothmarum.* GVNDEBALDI *filij fuerunt ſanctus Rex* SIGISMVNDVS *&* GODOMARVS. Ad an. 513. Obijt Athanaricus Gothorum Rex anno Chriſti CCC. LXXXI. Baron. n. 10. *Gundiſelus* Rex eius filius, Gundiuici parens, partem Galliæ Rheno proximam occu- Cheſne Burgund. l. 1. c. 1.

occupauit anno CD. VIII. dum in Sequanorum maximam cum suis Burgundionibus irrupit. Itaque ab antiquissimis illis Burgundiæ Regibus Habsburgenses nostros existimo dimanasse:

Primò, quia præfuerunt Vindonissæ, arci munitissimæ & amplæ iurisdictionis, quam Rex Gundiselus transacto Rheno vt proximiorem primùm occupauit, dum prima Regni sui intra Galliam fundamenta iaceret.

II. Quia ditiones à priscis illis Comitibus olim possessæ circa Murense Monasterium sitæ erant: illud autem in veteri Burgundiâ ædificatum fuisse, clarè colligitur ex chartâ Henrici IV. Imp. quæ sic habet: *Omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium cognoscat industria, quòd* IN REGNO NOSTRO *regulare quoddam Monasterium situm est, in* PROVINCIA *scilicet* BVRGVNDIÆ, *in Episcopatu Constantiensi, in pago Argowe dicto, in Comitatu Rore, quod* MVRE *nuncupatum est; quod tempore* CONRADI *Imp. in honorem S. Martini constructum est, & honorificè Deo dicatum est à VVernhario Strasburgensi Episcopo, parente* (id est consanguineo) *scilicet* WERNHARII *Comitis de Habsburg*, &c. Data est charta anno M. C. XIV. *Basileæ:* quam ciuitatem ad Burgundiam pertinere Wippo scribit.

In Actis Murensis Monast.

In Vitâ Conradi Salici.

III. Quia Vindonissæ Comites mutato eius ciuitatis nomine illam *Altenburgum* vocarunt; ac aliam deinde *Habsburgi* appellatione condidêre ex Burgundionum more, *qui crebra quæ ad limites habitacula construebant,* BVRGOS *vocabant.* Vnde per totam Germaniam frequentes locorum à Burgis appellationes ortæ. *Burgus* autem in vett. glossis est πύργος, *turris*.

Orosius lib.7.c.32.

Altenburgi porrò Comites cum Vindonissensibus eosdem fuisse, datur intelligi primùm ex *Vindonissa castro*; cuius nomenclatura in *Altenburgicam* transiuit. Deinde ex libro veteri Murensis Monasterij, in quo *Lancelinus*, Radeboronis Comitis parens, nuncupatur *Comes de Altenburg*. Præterea ex Eremi Deiparæ MS. codice pergameno, vbi *Radeboto*, Lancelini filius, disertè scribitur *Comes de Vindonissâ*. Denique ex Ekkeardo S. Galli Monacho, qui dum *Landaloum*, Guntranni Diuitis fratrem, Archiepiscopum Daruiensem (non Treuirensem) commemorat, *Vindonissam eius hæreditatem fuisse* scribit.

Lib. de Casibus S. Galli.

IV. Ex more antiquis Germanis (quorum pars erant Burgundiones) passim vsitato; qui ex præcipuâ nobilitate illos sumebant, qui prouincijs & munitioribus locis imperitarent: vt Franci etiam primæ stirpis Reges, Regna suâ & prouincias per regij sanguinis Proceres administrare solebant. R. P. Ioannes Gans egregiè: *Familiare Francis prima Consanguineis suis Aulæ officia conferre.* Quod firmat Coccius

Cluuer. l. 1. Germ. c. 15.

Annot. in 1. arbo- rem.

cius exemplo Clotarij II. Regis, qui certos limites COMITATIBVS distinctos *consanguineis & agnatis* de vetustâ Francorum prosapiâ dispertiuit. COMITES autem (inquit Saresberiensis) *à societatis participatione dicebantur. Nam sicut Præsules in partem solicitudinis à Summo Pontifice euocantur, vt spiritualem exerceant gladium: sic à Principe in ensis materialis communionem* COMITES, *quasi mundani iuris Præsules, asciscuntur. Et quidem qui hoc officij genus gerunt in Palatio, iuris auctoritate* PALATINI *sunt; qui in Prouincijs*, PROVINCIALES. Regum igitur Austriacorum origo masculina ab antiquissimis Habsburgi Principibus, Comitali dignitate post omnem memoriam insignibus, æquè illustris est atque origo CAROLI Magni Imperatoris, qui à Senatoribus & Regiæ domus Præfectis virilem prosapiam ducebat. In Dagoberto cap. 3. Epist. 263.

V. Quia potentes Vindonissæ Comites regio more Nobiles habebant præcipuos *à Vildenstein*, qui Dapiferorum; *à Vildeck*, qui Pincernarum munere apud illos fungebantur. Comites etiam Habsburgi à Vindonissensibus progeniti, familiâ in morem principalem institutâ, Dapiferos & Pincernas habebant primæ nobilitatis viros, vt ex chartis à Guillimanno relatis obseruare licet. Vnde in Matriculâ Imperij inter *Comites qui sunt Principes*, recensetur *Habsburgiæ Comes & Princeps*. Illi autem dicebantur *Comites Principes, qui soli Imperio adnexi erant, proindeque* LIBERI, *& sui iuris; ad eorum differentiam, qui feuda sua, siue beneficia, ab alijs Principibus accipiebant, illisque eo pacto obnoxij reddebantur*. Idcircò Rudolphus I. Habsburgi Comes, priusquam esset Imperator, in chartis, DEI GRATIA *Lantgrauium Alsatiæ, & Comitem de Habesburch*, se nuncupabat; *claro indicio, nemini suos debuisse Comitatus quàm Deo æterno & omnipotenti; cuius respectu solam Imperij Maiestatem reuerebatur & vnicam*. Exemplum ex Belcario de Ludouico XI. Francorum Rege: *Regressum à Burgundione Morvillerium cum delectis aliquot viris statim ad Britannum misit; quorum legatio præcipua quatuor capita continebat: Primum, ne Britanniæ Regulus in publicis diplomatis ea verba præfigeret, quæ hactenus vsurpauerat:* FRANCISCVS DEI GRATIA BRITANNIÆ DVX: *quòd hisce verbis se Regis beneficiarium tacitè inficiari videretur, quibus Ducatum soli Deo, non etiam secundùm Deum ipsi Regi acceptum referre testaretur*. Addit Pontus Heuterus, *nullum reperiri è primis Habsburgi Comitibus qui clientelare sacramentum Regibus Francorum dixerit, aut aliquâ ratione patronos agnouerit*. Guillim. l. 2. c. 4. lib. 6. c. 2. Lib. 1. num. 14. De Orig. Habsburg. c. 3.

VI. Ob magnas Comitum Habsburgi cum magnis Principibus ac Regibus affinitates, quas non contraxissent, nisi magnæ & Regiæ originis fuissent: quocircà & ipsi ad summum Imperij fastigium ele-

ctione multoties, ad magna multaque Regna, opulentasque ditiones
Lib. 18. c. 3. ad an. 1291. legitimâ successione peruenerunt. Vnde San-marthani de Carolo Martello, ex Capetinorum Franciæ Regum stirpe Andegauensi, qui ad Hungariæ Regnum ius obtendebat: *Vt se fulciret & firmaret* MAGNA AFFINITATE, *quo ad tuendum ius suum potentior esset, matrimonium iniuit cum* CLEMENTIA HABSBVRGIENSI, *filiâ* RVDOLFI I. *Imp. & Anniæ Hohenbergicæ eius vxoris*. Sed & Fridericus III. Imp.
Apud Freherum Tomo 2. p. 21. stirpe Habsburgensis, verè aliquando dixit: *Nulla Germaniæ domus illustris est, quæ nostram familiam sanguine non attingat.*

Lib. 2. c. 3. Haud fictè ergo affirmat Guillimannus, *se nescire, an aliam stirpem terrarum Orbis tulerit, quæ longiori & clariori stemmate maiores ciere queat; quæ tot humano generi Principes, Reges, Imperatores procrearit; quæ longiùs, latiùs; gestis, potentiâ, famâ, gloriâ peruaserit; quæ tot nationibus, prouinciis, Regnis imperitarit; vt prius terra, quæ illos capiat, deficere videatur, quàm* HABSBVRGENSIVM *virtutes, queis eamdem moderentur.*

VII. Denique argumentum desumo ex symbolicis Habsburgi Comitum armis, de quibus Lumine sequenti.

LVMEN IV.

De scuti militaris instructu noua & generalis obseruatio. Gentilitium Insigne Comitum Habsburgi merè fuit Regium, idemq́; Gothicum, Burgundicum, Hispanicum. Item de Austriaco.



PRÆMITTO axioma obseruationis non vulgaris, nempe, pleno scuti militaris instructu designari virum ipsum militarem propugnantibus armis obtectum. Galea enim, quæ præcipuam animæ sedem tegit ac munit, armatum caput ostendit; scutum verò refert truncum corporis aduersus hostium tela prætectum. Id clarum est in veterum trophæis, quæ for-
3. de Ponto, Eleg. 4. mam reddebant armati, sed deuicti hominis. Ouidius disertè:

SCVTA *sed &* GALEÆ *gemmis radientur & auro,*
Stentque super victos trunca TROPHAEA *viros.*

Sat. 10. Iuuenalis etiam cum lepôre:

Bellorum exuuiæ, truncis affixa TROPHAEIS
LORICA, *& fractâ de* CASSIDE *buccula pendens.*

Lorica designabat scutum, quod corporis columen tutabatur. Nihil autem erat, quod brachia & crura indicaret; quia scilicet viri militares experientiâ docti in caput galeâ munitum, & in thoracem

scuto

scuto prætectum, telis dumtaxat collimabant. De vtroque Virgilius, qui cristis galeam expressit:

—— Aptant rorantes sanguine CRISTAS, Æneid. 11.
Telaque trunca viri, & bis sex THORACA *petitum,*
Perfossumque locis. ——

De scuto solo Cæsar: SCVTO *ad eum relato Sceuæ centurionis, inuenta sunt in eo foramina ducenta triginta.* Lib. 3. Ciuil.

Ferire igitur brachia & crura lege militari probrosum censebatur: quod quidem placitum binis stabilio exemplis è Froissarti Annalibus, qui magis accedunt ad nostrum æuum. Prius est de Michailleo Franco & Karore Albionio nobilibus hoplomachis: *Hi cùm equestre certamen iniuissent, infestis hastis magno impetu inuicem concurrerunt. Francus, Buquingamij Comitis arbitratu, optimè est congressus: sed Anglus demissè nimis Francum percussit, lanceâ cruri eius inflictâ: vnde Comes irâ commotus, alijque pariter Satrapæ omnes, dixerunt illum* TVRPITER *depugnasse.* Aliud exemplum præbuit Formitonis Britanni & Castelmorantis Franci pedestris dimicatio, in quâ *sumptis hastis magnâ vi concurrerunt, vt ferrum alter alteri* INTER ARTVS QVATVOR *dirigeret: aliter enim* TVRPE *fuisset* FACTVM. *Anglus hastâ præpilatâ Franci alterum crus traiecit: vnde qui præsentes aderant equites & armigeri, grauiter succensi, pronunciarunt vulnus Franco* FOEDE *fuisse illatum.* Volum. 1. c. 55. & 64. Anno 1380.

Hermæ pusilli, brachijs cruribusque destituti, quos ex antiquâ nobilitate nonnulli Proceres velut parua trophæa gestabant in galearum conis, certa sunt indicia legis eius militaris in Torneamentis obseruari solitæ; quam in Burgundicâ domo ex parte viguisse testis est Auctor Commentarij *de Itinere D. Leonis, fratris Ioannæ Reginæ Bohemiæ.* Vbi enim agit de ludis equestribus Bruxellæ celebratis coram Philippo Bono Duce; *Accesserunt,* inquit, *ad Ioannem Zebrouiensem ministri Ducis, eique denunciarunt vt ad certamen accinctus esset; aduersarios enim mox affore. Percontante autem D. Ioanne quo pacto certaturi essent, an nudi, vel in thoracibus: in thoracibus certamen inituros more istius regionis responderunt; sed eâ lege, ne* INFRA CINGVLVM, *scilicet pedes prehenderet: aliter licere, quocumque modo velit, aduersarium humi deponere.* Anno 1466.

Ab illâ porrò veteri pugnarum lege ortum existimo, vt omissis cruralibus brachialibusque, vir militaris SCVTO & GALEA solis, instructis tamen & ornatis, velut simulacro illustri exprimeretur: quod hactenus à nemine Artis Heraldicæ perito, quod sciam, plenè obseruatum fuit.

Venio ad ſymbolica. Principum Habsburgicorum arma, quæ nihil niſi ſplendidum ac regium oſtendunt: *Præferebant illi aureum ſcutum, leone coccineo, coronâ, linguâ & falculis cæruleis impreſſum; auream item galeam eodem metallo coronatam, cui pro apice leo eminebat ſcutario ſimilis, ſed prætereà pinnis pauoninis redimitus in hanc quæ ſequitur formam.*



SCVTVM

SCVTVM HABSBVRGENSE AVREVM.

Coacta in auro rerum naturæ maiestas, in scuto etiam militari principatum tenet: quia enim aurum, quò sæpiùs arsit, proficit ad bonitatem, symbolum est fortitudinis, quæ malis crescit, Regumque ac Principum animos maximè decet; sed & præcellentiam quoque significat atque dominatum: vnde apparatus Deorum ab Homero & Virgilio totus aureus describitur.

LEO COCCINEVS.

Haud maiorem in Libyâ leonum diuersitatem esse existimo quàm nunc in arte scutariâ: hanc non promiscua venus, sed inconsiderata hominum ingenia pepetêre. Antiquitus, apud Germanos nulli nisi Principes ciuitatum, & Duces exercituum, τῶν ζώων imagines in scutis præferebant, & maximè regis ferarum *Leonis*; quem Regiæ potestatis symbolum fuisse Diodorus prodidit: & quidni præcipuè, si cocco tinctus esset? *Purpura*, inquit Lactantius, *insigne est Regiæ & Sacerdotalis dignitatis*. Petrus Rauennas: *Augustus honor nonnisi diademate confertur & purpurâ*. D. Dorotheus de militibus eleganter: *Habet vnusquisque Regi militans* PVRPVRAM *in læuâ suâ: ex quo enim Rex* PVRPVRAM *ferre cœpit, omnes eius milites togulis suis* PVRPVREA SIGNA *apposuere, vt ex his appareret* REGIOS *eos esse*. Habsburgenses Principes leonem totum purpurâ vestitum præferebant, vt non modò se Regibus militare & sic Regios esse, sed vt illustri Regum sanguine se progenitos ostenderent. Rudolphus tandem Primus, postquam in Regem Romanorum fuit electus, leonem quadrupedum regem aquilæ volucrum reginæ superposuit; vnde tunc nati versus:

Cluuer. l.1.Germ. c. 44.

Lib. 1.

Lib.4.c.7.

Doctr. 1.

Tu COMES *in clypeo gestas insigne* LEONIS,
Quem velut ad prædam distento corpore ponis:
Sed REX *fers* AQVILAM, *quæ transuolat omnia, claris*
Signans indicijs, quòd cunctis prædominaris.

Guillim. l. 2. c. 8.

CORONA LEONIS COERVLEA.

Habsburgico leoni coccineo eminet cyanea corona: qui color inter scutarios prærogatiuam suam obtinet, nec à prœlijs excluditur, maximè à naualibus: vnde classium Præfecti leguntur *chlamyde cæruleâ vestiti*. Habsburgi Comites propinqui Rheno eidem flumini imperitabant, eiusque limitem aduersus Allemannos animosè tuebantur.

GALEA CORONATA AVREA.

Non est *plebeiâ contectus casside vultus*. Aurea est & gemmis nitens galea, vt Cæsarum Regumque capita obregere solet; cui aperta supereminet ex auro item corona, gemmatis in orbem flosculis interstincta: quæ etsi Regum olim propria fuerit, eo tamen decore, tamquam lucis radio, aliorum Principum, maximè propinquorum, augere splendorem Cæsares solebant.

APEX GALEÆ.

Leo pinnis pauoninis ornatus.

Pauonum pinnas olim non nisi Regum & Cæsarum fuisse colligitur ex Claudiano; qui sic de Honorij Imp. acrostolio:

De VI. Conf. Honorij. *Quod picturatas galeæ* IVNONIA *cristas*
Ornat AVIS. ——

Item ex Panegyriste ad Maximianum Cęsarem: *Offert etiam sibi puero galeam auro gemmisque distinctam, & pennis* PVLCHRAE ALITIS *eminentem*. Πτερωτοὶ illi λόφοι splendidè elucent in sigillo veteri Rudol-

Loc. cit. phi Habsburgij nondum Imperatoris; quod hîc ex Guillimanno damus.



Vides Principem cataphractum, & Regio planè ac Herculeo more, rictu leonino caput opertum. Namque Ægyptiorum Reges CA-

Lib. 2. PVT LEONIS, *tauri aut draconis, insigne Principatus gestasse* Diodorus

auctor

auctor est: quem ritum ab Ægyptijs Græci & Romani, ab istis Germani acceperunt. Virgilius de Mezentio Hetruscorum Duce:

—— Tegmen torquens immane LEONIS 7. Æn.
Terribili impexum setâ, cum dentibus albis,
Indutus capiti. ——

Statius de Tyrinthijs Græcis:

—— Flauent capiti tergoque LEONVM 4. Theb.
Exuuiæ, gentilis honos. ——

quâ eadem figurâ gemmæ, nummi & marmora Herculem exhibent.

TELAMONES SCVTARII.

Gemini hinc inde accipitres natiui coloris pennis, à quibus *Habsburgo* nomen, quod Germanicè *Accipitris arcem* signat; vt Falcoburgum *arcem Falconis*, & Dagsburgum, *castrum Lucis*. Accipiter Virgilio *sacer ales*; Isidoro *auis regia*; Homero *velocissimus volucrum*, typus est famæ; sed & etiam diligentiæ, quia *pullos suos teneros cogit ad volatum*: fortitudinis quoque; vnde *illi non tenditur rete*, inquit Terentius, quia nempe illud disrumpit. Hinc ergo est, quod magni olim Duces & Principes dici voluerint Ἀετοὶ καὶ Ἱέρακες, *Aquilæ & Accipitres*, Plutarcho teste. Gerard. de Roo l. 1. p. 3. Æn. 11. Li. 12. c. 7. 22. Iliad. Cassiod. Var. 1. In Phorm. In Vitâ Aristid.

CLAMOR BELLICVS.

Arcis principalis nomen HABSBVRGVM, non secùs ac Lotharingiæ Superioris Duces PRINEYVM; Inferioris LOVANIVM, castra sua, præcipuaque domicilia pro vocali ineuntis pugnæ tesserâ vsurpabant.

LEMMA EPIGRAPHICVM.

Mens eadem erat Carolo Magno Imp. *qui sapientissimus & perspicacissimus sciebat*, REGNVM *esse veluti corpus quoddam, & nunc isto, nunc alio incommodo iactari, nisi* CONSILIO ET FORTITVDINE, *velut quibusdam Medicis, sanitas accepta tutetur.* Vita Lud. Pij.

Cæterùm Reges Gothorum antiquissimi in Germaniâ *furuum* LEONEM *gestabant in solo argenteo, cæruleis vndis tribus obliquè dextrorsum exarato.* Olaus Baraz

Antiqui Burgundiæ Reges (qui ex Agathiâ GOTHICAE NATIONIS erant) etsi fele & dracone in vexillis vterentur, *Gothicum* LEONEM *præferebant*; hoc est, *nigrum in argenteo scuto*; quemadmodum Paradinus docet; inque scrinijs & Annalibus Paterniaci & Poligniaci se obseruasse testatur Lazius. Lib. Lib. 1. Geneal. Austr. c. 5.

Prisci

Prisci Comites, qui in veteri Burgundiæ Regno ditiones suas possidebant, LEONEM quoque pro symbolo scutario vsurpabant; Comites Habsburgi, *purpureum in aureo solo*; Comites Burgundiæ ad Ararim, *aureum in parmâ cæruleâ, plinthidibus aureis respersâ*; Chablasij Comites, *nigrum in argenteâ, nigris item plinthidibus perspersâ*; Comites Augustæ, in eodem Allobrogum tractu, *argenteum in nigrâ*; & sic de quibusdam alijs. Sed notatu maximè dignum, solos Habsburgenses aureum scutum prætulisse, adeoque reliquis dignitate ac splendore præcelluisse.

Anton. Beuter. Lib. 4. Chron. Vetusti Gothorum in Hispaniâ Reges *nigrum leonem gestabant in argenteo scuto* vsque ad Alphonsum VI. *qui cùm videret se non habere filium, qui regnaret post ipsum* (inquit Lucas Tudensis) *filiam suam primogenitam* VRRACAM *tradidit nobilissimo viro, Comiti* RAIMVNDO, *qui erat de* REGALI GENERE GOTHORVM, *vt de tali coniugio regium semen suscitaretur*. Raimundus ille Comes, Hispaniæ Regum progenitor, frater erat Guidonis Archiepiscopi Viennensis, in summum Pontificem electi anno M. C. XIX. quem Sugerius vocat *Imperialis & Regiæ celsitudinis deriuatiuâ consanguinitate generosum*. Erat etiam filius Guillelmi II. patruus Rainaldi III. & Guillelmi III. Burgundiæ Comitum. De priori Raimundi nepote Ligurinus:

Baron. eodem anno. In Ludouico VI. Rege.

Lib. 5.

—— REGVM *de* GENTE *vetustâ*
Ortus, & ipse suis RAINALDVS *clarior actis.*

de posteriori:

—— *Comes antiquâ veniens ab origine Regum.*

Quia autem posteriores isti Burgundiæ Comites, ab *Othone Guillelmo* procreati, masculino stemmate prodibant à Berengarijs Italiæ Regibus; dicendum ex Tudensis mente, Berengarios à Gothis Regibus etiam oriundos fuisse. Raimundus itaque Gothicæ Burgundicæque originis Princeps in Hispaniam intulit *scutum argenteum leone molochino impressum*; quo deinceps vsi Reges ab illo progeniti vsque ad Alphonsum VIII. Castellæ Regem; *qui Primò* CASTELLVM *armis suis depinxit, quamuis antiqui Reges, patres ipsius*, LEONEM *depingere consueuerant; eò quod* LEO *interpretatur* REX, *vt est, omnium bestiarum.*

Lib. cit. Cap. 83. Hæc Tudensis. Postmodum quando in Ferdinando III. Rege iterùm vnita fuerunt Regna Castellæ & Legionis: *Quia in hac vnione*, inquit Carthagena, *renouata est quodammodò Monarchia*, ARMA REGIA *mixta sunt ex Castellis & leonibus.*

Ex præmissis igitur, meo iudicio, clarè constat, scutarium leonem regale fuisse symbolum, à Gothis & Burgundionibus in Habsburgenses, Austriacos & Hispanos Reges deriuatum.

Quòd

Quòd si NOBILITAS *cunctis exordia pandit*
Laudibus, atque omnes redeunt in SEMINA *causæ;*
Quis venerabilior SANGVIS, *quæ maior* ORIGO,
Quàm REGALIS *erit?* —— Claud. de Laud. Serenæ.

Quod attinet ad scutum militare Austriacorum Principum, duplex illud fuit; & antiquius quidem *cæruleum Aquilulis quinque vel Alaudis aureis impressum*: cui recentius successit *coccineum fasciâ candidâ transuersâ exaratum*. Huius LEOPOLDVM V. Henrici Ducis Austriæ primi filium, auctorem prodidêre, quòd oppugnatione Ptolemaidis, suo & hostium sanguine madenti & coopertô, album in eo non apparuisset aliud, quàm quod baltheo tegebatur, virtutis & fortitudinis symbolum & monumentum retulisse, memoriæque perpetuæ consecrasse. Clarè Continuator Belli sacri: *Occupatâ turre quadam, cùm* AVSTRIVS *in repugnantem hostem sæuiret atrociùs, suorum cæsis permultis, in mare se præcipitem dare coactus est totus suffusus sanguine, cingulo tenus dumtaxat, quod album corpus intersecabat, à cruore immunis ad suos se recepit. Vnde ex euentu* FRIDERICVS (Friderici I. Imp. filius, in Oriente militiæ Dux & Imperator) *totius exercitus suffragio noua illi* INSIGNIA *rubro & albo coloribus interstincta concessit.*

Guillim. l. 2. c. 8.

Lib. 2. c. 3. & 7. anno 1190.

LVMEN V.

Rudolphi I. Imperatoris Maiores, Habsburgici Comites, legitimo Caroli Magni sanguine prius delibuti fuerunt, quàm Capetini Franciæ Reges.



QVEMADMODVM in scuto gentilitio dispersæ Rosæ familiare Anglorum decus indicant, Cardui Scotorum, Pontici mures Britannorum; sic etiam solum confusè liliatum Regiam à Francis originem indigitat. In sigillo Rudolphi Comitis Habsburgi (nondum Cæsaris) iam producto lilia areæ inspersa Francicum eius ortum ostendunt; cuius aliunde tramitem non inuenio, præterquam ab ITA, sorore Theodorici Alsatij Lotharingorum Ducis. Quia portò gemini fuere eius nominis Lothatingiæ Superioris Duces, nullus Infetiotis; vtriusque Stemma proferam, vt inde veritas clariùs innotescat.

Suprà Lum. 4.

Stemma Theodorici I. Superioris Lotharingiæ Ducis.

1. FRIDERICVS Comes Barri, anno. 951. Dux Lotharingiæ Superioris, anno 959. vxor Beatrix, soror Hugonis Capeti Regis.

2. THEODORICVS I. Dux Lotharingiæ Sup. an. 984. vxor nescitur.

2. ADALBERO Virdunensis ac Metensis Episcopus.

3. FRIDERICVS II. Dux Lotharingiæ Sup. an. 1024. vxor Mathildis filia Hermanni Sueuiæ Ducis.

3. ANELA vxor Walerami Comitis Arelunæ, mater Fulconis.

4. BEATRIX Briaci Comirissa, vxor Bonifacij Marchionis Pisani.

4. SOPHIA Barrensis Comirissa Ludouico Moncionis Comiti iuncta: à quibus Comites & Duces Barrêses.

Stemma Theodorici II. Superioris Lotharingiæ Ducis.

1. GERARDVS Dux Alsatiæ & Lotharingiæ Mosellanicæ, an. 1048. ob. 1070. vxor Hadwidis à Carolo Magno Imp. oriunda.

2. THEODORICVS II. Strenuus, Dux Lothar. Sup. & Alsatiæ, an. 1070. ob. 1115. vxor Gertrudis Flandrica.

2. GERARDVS Comes Vaudanimontis primus: vxor Helwidis Dagsburgica.

2. ITA vxor Radebotonis Altenburgi Comitis, marer Vernheri I. Comitis Habsburgi: à quibus omnes Habsburgi Principes.

3. SIMON Dux Lotharing. Sup. à quo alij Duces vsque ad Carolum III. qui viuit.

3. THEODORICVS Alsatius Comes Flandriæ.

3. GERARDVS Dux Alsatiæ, an. 1115.

3. HENRICVS Tullensis Episcopus, 1126.

4. GERARDVS Comes Egisheimij: ob. 1130.

5. VDALRICVS Comes Egisheimij, 1144.

5. STEPHANVS Comes.

6. HENRICVS I. Egisheimij Comes, anno 1165.

7. SIMON Comes Egisheimij, an. 1200.

8. HENRICVS II. Comes Egisheimij.

9. HENRICVS III. Comes Egisheimij: ob. 1238. ἄπαις.

9. N. vxur Alberti Comitis Hohebergensis.

9. N. vxor Ludouici Comitis Oetingensis, qui ius, quod in Alsatiam ab vxore habebat, Ecclesiæ Argentinensi vendidit.

10. ANNA vxor Rudolphi Comitis Hasburgi, & Alsatiæ Landgrauij, posteà Imperatoris, anno 1273.

Ex

Ex his duobus Stemmatis perspicuum est, geminos fuisse Lotharingiæ Mosellanicæ Duces Theodoricos, & quidem diuersæ stirpis. Prior genere Barrensis, Friderici I. Ducis filius, nullum habuit filium nomine *Gerardum*, nec vllam sororem nomine *Itam*. Alter verò stirpe Alsatius filius fuit Gerardi Ducis.

Albericus ad annum M. LXX. GERARDVS *de Alsatiâ Dux Mosellanorum moritur hoc anno; cui succedit* THEODERICVS *filius eius. Gerardus de Alsatiâ, cum isto Duce Theoderico, habuit etiam alterum filium nomine* GERARDVM; *qui fuit primus Comes Vaudanmontis*. Scriptor Actorum fundationis Murensis Monasterij addit sororem, de cuius nuptijs ita loquitur; RADEBOTO, *cùm sibi congruum visum est vt vxorem duceret, accepit de partibus* LOTHARINGORVM *vxorem nomine* ITAM, *sororem* THEODRICI *Ducis*. Idem affirmant Habsburgica Stemmata, quæ suprà retulimus. In Chron. Ex vet. Cod. Ms. pag. 5. Lum. 2.

Apud Chesneum in litteris VDONIS Leucorum Episcopi, quibus res Ecclesiæ S. Gengulphi confirmat, additum est *signum* GERARDI *Ducis, & filij eius* THEODERICI. *Data* XII. *Kal. Iulij anno ab incarn. Domini* M. LXV. *indict.* II. *in præsentiâ Domini ac Serenissimi Regis* HENRICI IIII. *anno regiminis* IX. *ordinationis verò* XI. *nostræque ordinationis* XIII. *in maiori Ecclesiâ Sedis, in nomine Domini feliciter, Amen.* Probat. Barrensf. pag. 6.

In Epternacensi Monasterio seruatur charta GERARDI *Ducis Lotharingiæ*, data in castro Sirka anno M. LXVII. regnante Henrico IV. Rege; in quâ fit mentio HADWIDIS *vxoris eius, &* THEODORICI *eorum filij*. Vnde in genealogiâ B. Arnulphi, HADWIDIS, *filia* ERMENGARDIS, *filiæ* CAROLI *Ducis*, rectè dicitur *genuisse* THEODORICVM *Ducem, &* GERARDVM *Comitem, fratres; Theodoricus* SIMONEM *Ducem; Simon* MATHEVM *Ducem*.

Ex Epistolâ Matthæi Ducis Lotharingiæ ad W. Comitem de Satwerden, quæ Comitatus de Bitsch descriptionem continet: *Hos terminos Comes* GHERARDVS (siue Dux) *moriens* THEODORICO *filio suo iure hæreditario reliquit: qui* THEODORICVS THEODORICO *filio suo Comiti Flandriæ transmisit. Idem* THEODORICVS *Comes Flandriæ* SIMVNDO *fratri suo Duci Lotharingiæ prædictos terminos dedit, quibus ipse filium suum* MATHÆVM *hæreditauit.* Apud Iustellum probat. Aruerniæ pag. 75.

Gerardum porrò Ducem Lotharingiæ Sigebertus & Albericus disertè cognominant *de Alsatiâ*: quin & ipsum Theodoricum II. Gerardi filium, Anselmus Gemblacensis, Andreas Marchianensis, & Edmundus Dinterus *Ducem Alsatiæ* nuncupant; Balduinus de Auennis *Theodoricum de Alsatiâ*. Vnde coniugem eius *Gertrudem* Flandri- Anno 1048. & 1070. In Chronicis. L. 3. c. 5. In Genealogijs.

Lib. 3. cam P. Æmilius vocat *Alsatiæ Ducem*. Ex eâ porrò Theodoricus II. masculas proles quatuor suscepit; quæ recensentur in hac veteri chartâ ex Tabulario Ecclesiæ Collegiatæ S. Deodati.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, THEODERICVS *Dei gratiâ* LOTHARINGORVM DVX, *&* MARCHIO. *Bonorum omnium auctor Deus dum suæ beatitudinis participes nos fieri desiderat, suo sancto Spiritu corda nostra erudit & inflammat; quatenus mens humana cognoscat multiplicem deberi remunerationem non solùm ijs, qui res Deo seruientibus ablatas restituunt, verùm etiam qui de suis proprijs adaugere res Ecclesiæ satagunt. Hinc etenim claret nostri Creatoris summa & ineffabilis bonitas, cùm bona inuisibilia, quæ diligentibus se præparauit, qualiter quisque fidelis promereatur demonstrat. Hac ergo diuinâ miseratione* THEODERICVS DVX LOTHARINGORVM *&* MARCHIO *visitatus, rogatu Hugonis Monachi de Distorchio, quicquid continetur à riuo de Grimonturont vsque ad nemus de Granvillert, & vsque ad nemus de Stiuay, in omnibus vsibus, cum plenâ libertate, exclusâ omni cuiuspiam dominatione, Ecclesiæ S.* DEODATI *donauit. Vt autem hoc charitatis suæ beneficium ratum inuiolabiliter permaneret, præfatam Ecclesiam de prædicto dono in præsentiâ suorum* FILIORVM, *videlicet* SIMONIS, THEODERICI, GERARDI, *&* HENRICI, *ipse Dux sub testimonio virorum infrà scriptorum inuestiuit, & prædicto Monacho, vt possideret in vitâ suâ, concessit: & de suprà scriptis ne quis ambigeret, huius chartæ notitiâ corroborauit. Hoc autem factum est & confirmatum* XIIII. *Calendas Aprilis anno ab* Anno 1114. *incarnatione Domini millesimo centesimo decimo quarto, septimâ indictione, regnante* HENRICO *quinto Romanorum Rege. Huius rei testes sunt:*

Simon Aduocatus.	*Stephanus S. Deodati Canonicus.*
Albertus de Briey.	*Azo Decanus.*
Geso de Vellacourt.	*Tescilinus Canonicus.*
Hermannus Ducis Dapifer.	*Hizo Canonicus.*
Vicardus Villicus.	*Arnulphus Canonicus.*

Primus Theodorici II. Ducis filius SIMON patri successit in Mosellanico Ducatu: secundus THEODERICVS fuit Comes Flandriæ ex parte matris: tertius GERARDVS ex hæreditate paternâ fuit Dux Alsatiæ: quartus HENRICVS Tullensem Episcopatum adeptus est.

Quia deinde ex Mutensibus Genealogijs constat, *Theodoricum Lotharingorum Ducem, Itæ Comitissæ germanum fratrem fuisse, & genuisse Gerardum Ducem*; sequitur absque dubio, *Itam* fuisse filiam *Gerardi Alsatij*, Mosellanorum Ducis, & Haduuidis eius vxoris; adeoque *Theodoricum, Itæ fratrem*, fuisse Ducem Lotharingiæ eius nominis secundum, & stirpe Alsatium, non autem primum genere Bartensem. Id quod

quod prætereà colligitur ex temporum notis: Theodoricus enim, primus eius nominis, Lotharingiam regere cœpit anno CM.LXXXIV. secundus autem anno M. LXX. istiusque secundi ex vterino fratre nepos RVDOLPHVS Rinsfeldensis Comes, Rex Romanorum electus contra Henricum IV. anno M. LXXVII. excessit è viuis anno M. LXXX.

Stemma Theodorici II. Lotharingiæ & Alsatiæ Ducis, ex Genealogijs Murensis Monasterij in Heluetiâ, & alijs monumentis.

9. HADWIDIS, filia ERMENGARDIS, Comitissæ Namurcensis, nupta

Primùm CVNONI Comiti Rinsfeldensi.	Secundùm GERARDO Alsatiæ & Lothar. Duci, an. 1048.	
10. CVNO Comes de Rinsfelden, circa annum 1060.	10. THEODORICVS Dux Lothar. & Alsatiæ, 1070.	10. ITA vxor Radebotonis Altenburgi Comitis.
11. RVDOLPHVS Comes Rinsfeldensis, electus Imperator an. 1077. ob. 1080.	11. GERARDVS II. Dux Alsatiæ, 1115.	11. WERNHERVS I. Habsburgi Comes.
12. AGNES vxor Bertoldi Ducis Zeringiæ: qui ob. an. 1111. 12. Aprilis.	12. GERARDVS Comes Egisheimij, circa an. 1130.	
13. CONRADVS Dux Zeringiæ, Rector Burgundiæ: qui ob. an. 1152. 8. Ianuarij.	13. VDALRICVS Comes Egisheimij, 1140.	13. STEPHANVS Comes.

His ita stabilitis, superest vt ostendamus, *primum Habsburgi Comitem VVernherum* à Carolo Magno per *Itam* Alsaticam seu Lotharingam genus traxisse: quod ex tabellâ sequenti perspicuum erit.

Ortus Comitum Habsburgi à Carolo Magno per Itam, VVernheri I. Comitis matrem.

1. CAROLVS Magnus Imperator: vxor HILDEGARDIS, filia Hildebrandi Sueuiæ Ducis.

2. LVDOVICVS Pius Imperator: vxor IVDITH, filia Welphi Comitis Altorffi in Sueuiâ.

 3. CAROLVS

3. CAROLVS Caluus Imperator: vxor HERMENTRVDIS, filia Vodonis Comitis.

4. LVDOVICVS Balbus Rex: vxor ADELHEIS, soror Vulfridi Abbatis Flauiniacensis.

5. CAROLVS Simplex Rex: vxor ODGIVA, Eduardi Regis Angliæ filia.

6. LVDOVICVS Transmarinus Rex: vxor GERBERGA, filia Henrici I. soror Othonis Magni, Imperatorum.

7. CAROLVS Dux Lotharingiæ Inferioris, iure sanguinis Francorum Rex: vxor BONA, soror Godefridi Comitis Ardennensis.

8. ERMENGARDIS vxor ALBERTI I. Comitis Namurcensis.

9. HADWIDIS iuncta GERARDO Alsatiæ & Lotharingiæ Superioris Duci.

10. ITA vxor Radebotonis Altenburgi Comitis.

HABSBVRG.

11. WERNHERVS I. Habsburgi Comes: vxor Regelinda Comitissa.

12. OTTO Comes Habsburgi: vxor Hilla Ferretæ Comitissa.

13. WERNHERVS II. Comes Habsburgi: vxor Ita Comitissa de Homberg.

14. WERNHERVS III. Comes Habsburgi: vxor N. de Scarckenberg.

15. ADELBERTVS Comes Habsburgi: vxor Ita Comitissa de Pfullendorf.

16. RVDOLPHVS Comes Habsburgi, & Alsatiæ Lantgrauius: vxor Agnes Comitissa de Stauffen.

17. ALBERTVS Comes Habsburgi, & Alsatiæ Lantgrauius: vxor HELWIGIS Comitissa Kiburgi.

18. RVDOLPHVS I. Romanorum Imperator; à quo serie masculinâ processêre omnes Austriaci Archiduces, Reges, Imperatores, in hodiernum vsque diem.

Itaque ex hac genealogicâ serie, quæ ex præclaris instituta est monumentis, perspicuum est, Habsburgi Comites, Rudolphi I. Imp. Maiores, legitimo Caroli Magni Imp. sanguine prius delibutos fuisse quàm Capetinos Franciæ Reges. Wernherus enim Habsburgi Comes primus, à Carolo Magno per matrem ITAM processit gradu vndecimo; Ludouicus autem VIII. Franciæ Occiduæ Rex decimoquinto.

Cæterùm

Cæterùm frustrà est Dominicus, nec Regum Catholicorum gloriam eleuat, vbi ait, Rudolphum I. Imp. postquam Ducatum Austriæ sibi vindicauit, & Alberto filio suo in perpetuum feudum concessit anno M. CC. LXXXIII. eius sobolem se *Austriacam* dici gestiuisse: nam quid inde illis damni, cùm illo æuo Principes à ditionibus, quas vel ex donatione, vel ex coniugio, vel quouis alio modo, iustè possidebant, sortiri cognomina mos esset? Ita tertiæ Francorum familiæ Principes ludicro agnomine *Capetini* dicti, ex Regum secundæ stirpis clientelaribus donis *Andegauenses* & *Parisienses* cognominati sunt; mox à Burgundiæ Ducatu, quem multis annis obtinuerunt, *Burgundiones*; tum à Prouinciâ, quæ ab Adelaide, nuptâ Hugoni filio Henrici I. Regis, in gentem Capetinam illata fuerat, *Valesij*; deinde *Claromontenses* à ditione, quæ à Mathilde Boloniensi Comitissâ profluxerat; & postremò *Borbonij*, à Beatrice Borbonij Dominâ, filiâ Ioannis de Burgundiâ, & Roberti S. Ludouico Rege nati vxore. Sic *Fabius inductus magnitudine diuitiarum, vxorem duxit Otacilij Malenentani filiam eâ conditione, vt qui primus natus esset, prænomine aui materni* NVMERIVS *appellaretur*. Ex illis autem meridiano sole clariùs constat, *Borbonium cognomen*, quod Francorum Reges adhuc retinent, ne quidem *Salicum* esse; sed à Toparchiâ, quæ nec Comitali nec Ducali dignitate conspicua erat, per feminæ coniunctionem exortum. Desine igitur, Dominice, syderibus Austriacis importunè adlatrare, cui hæc tam clara, tamque perspicua, necdum tamen dilucidè patent.

Pag. 164. 165.

Festus. Val. Max. lib. 10. in Epit.

LVMEN VI.

Gothorum Regum gloria vindicata: ab illis orti sunt omnes Hispaniæ Reges; qui etiam priùs à Carolo Magno duxerunt genus quàm Capetini Franciæ Reges.



CVM obiter dixissem, Reges Hispaniæ Gothorum Regum in Hispanico Imperio legitimos successores fuisse; insurrexit illicò Dominicus, & in nobilissimam ac bellicosissimam Gothorum gentem (quam Iacobus Cuiacius *maximam* vocat) inuehi cœpit; scilicet causæ suæ diffidens, antiquam Gothorum gloriam obscurare conatus est, ex quâ Hispani supra Francos non mediocrem hauriunt prærogatiuam. Quamuis enim Gothi & Franci eiusdem Germanicæ nationis essent; Gothorum tamen illustrius Francico nomen, & auditum priùs; sceptraque Gothica antiquiora, quorum in Septentrione initia ignorantur.

Vind. Hisp. c. 11. p. 179. 180. 185. Lib. 2. tit. 11. de Feudis.

Et qui-

Hadr. Valesl. l. 1. Rer. Fränc. pag. 2. & in Præfat. Plinius l. 7. c. 2. Et quidem, quod ad antiquitatem attinet, Francorum nomen in Orbe non auditum fuit ante Valeriani Imp. tempora, hoc est, anno Christi CC. LV. Gothorum verò, siue *Guttonum*, meminit Pytheas Massiliensis quaternis ante Christum sæculis: vixit enim Pytheas (quo non habet Occidens in doctis antiquiorem) tempore Alexandri Magni; quem Timæus, Andromachi filius, Alexandro æqualis, laudauit, Plinio teste; Dicearchus Aristotelis discipulus exagitauit, Cluuer. lib. 3. c. 34. auctore Strabone. Post Taciti deinde tempora *Gens Gothorum per omnem ferè Europam, partemque Asiæ, armis famosissima fuit.*

Præterea in Occidentali Franciâ, quam Capetini Reges ex vsurpatione possident, primus Francorum regnare cœpit MEROVEVS anno Christi CD. XLVIII. Pharamundus enim, & Clodio filius eius, in Orientali dumtaxat sceptrum obtinuerunt, ad Occidentalem non transgressi. Hispanias autem & Galliam Aquitanicam ALARICO Gothorum Regi HONORIVS Imp. concessit anno CD. VII. Vnde Hispanici Regni initia noscuntur antiquiora esse principijs Regni Franciæ Occidentalis.

De Rebus Geticis c. 30. Iornandes Gothorum Notarius, ac deinde anno D. LII. Episcopus: *Cui* [Honorio Cæsari] *ad postremum sententiâ sedit, quatenus prouincias longè positas, id est,* GALLIAS HISPANIASQVE, *quas iam penè perdidisset, & Gizerichi Vandalorum Regis vastaret irruptio, si valeret* ALARICVS *suâ cum gente, sibi tamquam lares proprios vindicaret,* DONATIONE *sacro oraculo confirmatâ. Consentiunt Gothi hac ordinatione, & ad traditam sibi* PATRIAM *proficiscuntur*. Conradus Vrspergensis In Chron. Abbas: ALARICVS *legationem misit ad* HONORIVM, *filium Theodosij, vt daret ei locum, in quo cum exercitu habitare posset; qui concessit ei* GALLIAM *&* HISPANIAM, *quas Geisericus Rex Vandalorum iam peruastauit*. Dionysius Petauius in Rationario, de Alarico eodem: Lib. 6. c. 10. *In Italiam deinde penetrauit; quem vt auerteret* HONORIVS, GALLIAS *&* HISPANIAS *ei concessit; quòd eas prouincias retinere non posset.*

In Chron. Idatius Episcopus Olympiade CC. XCVII. hoc est anno Christi CD. IX: *Alaricus moritur; cui Ataulfus succedit in Regno*. Deinde: *Ataulfus à Patricio Constantio pulsatus, vt relictâ Narbonâ Hispanias peteret, per quemdam Gothum apud* BARCINONAM *inter familiares fabulas iugulatur: cui succedens* WALLIA *in Regno, cum Patricio Constantio pace mox factâ, Alanis & Vandalis Silingis* IN LVSITANIA *&* BÆTICA *sedentibus aduersatur*. Falsissimè ergo Dominicus asserit, p. 179. 180. Hispanias ab Honorio Gothis non concessas; Regnum Gothicum diuersum fuisse à Regno quod nunc possident Hispani. Verissimè autem Lib. 1. c. 43. Armacanus: *Si principia Gallicana ab Arroyo prodita defensâque, vera sunt,*

sunt, nihil profectò iustius est, quàm vt Hispanorum Rex Galliam Narbonensem, Aquitaniam, vicinasque ciuitates, Massiliam atque alias repetat, recuperatasque non restituat; quas Antecessores eius diuersis contractibus ac fœderibus deditas, secutâque multorum annorum possessione tenuerunt.

Virtutem Gothorum militarem elatè commendat P. Orosius, vbi (Lib. 1. c. 16.) eos esse tradit, *quos Alexander euitandos pronunciauit; Pyrrhus exhorruit; Cæsar etiam declinauit:* Prædicat Procopius, qui Gothos ἀπάντων τῶν βαρβάρων ἀλκιμωτάτους, *barbarorum omnium fortissimos* esse scribit: (In Descript. Põti Euxini.) Extollit Vrspergensis, qui ait, *primas mundi gentes esse Romanos & VVisigothas.* (In Chron.) Non adulatur Theodoricus Rex Italiæ, vbi ad vniuersos Gothos (Cassiod. epist. 1.) scribit: *Innotescenda sunt magis* GOTHIS *quàm suadenda certamina; quia* BELLICOSÆ STIRPI *est gaudium comprobari. Laborem quippe non refugit, qui virtutis gloriam concupiscit.* Iure meritissimo Sigibertus, (In præf. Chron.) *Gothos terrore nominis sui finitimas gentes sibi subegisse* testatur. Neque iniuriâ scriptum ab elegantissimo Puteano; *Ostendisse Gothos rerum Dominam debellari posse, iam ipsâ fortunâ formidabiles.* (Lib. 2. Histor. Insubr.) Adde quod *VVisigothi,* siue *Gothi Occidentales,* qui rerum in Hispaniâ potiti sunt, à virtute bellicâ, & intrepido animo, cognominati sunt *Balthi,* id est *audaces.* (Iornandes cap. 29.)

Affertor nihilominùs ex Gregorij Turonensis quibusdam verbulis (p. 185.) fugæ & innati pauoris notam Gothis inurit; sed iniquâ haud dubiè Francorum criminatione. Cùm enim Wamba Rex Hispaniæ & Galliæ Gothicæ (quam *Hispaniam citeriorem* vocabant) de Paulo Tyranno in Narbonensi tractu insignem victoriam reportasset; (Lucas Tudensis lib. 3.) plerique militum deuictorum, quibus Gothorum virtus admirationi fuerat, Paulum sic adorsi sunt: *Non illam, quam dicebas, in Gothis præliandi segnitiem cernimus: multam enim in illis* AVDACIAM *&* VINCENDI CONSTANTIAM *videmus: hæc quæ accepimus vulnera docent.* (Anno 674.) Ita Iulianus Archipræsul Toletanus in Historiâ Wambæ Regis.

Neque tamen abnuerim Gothos metu aliquando correptos fuisse, sed optando illo & salutari; quemque hac tempestate victrici genti inuideamus, timeant Franci; de eo siquidem Saluianus: *Cùm,* inquit, (Lib. 7.) *Gothi metuerent, præsumpsimus nos* [Galli] *in viribus spem ponere, illi in Deo: cùm* PAX *ab illis postularetur, à nobis negaretur; illi Episcopos mitterent, nos repelleremus; illi etiam in alienis Sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus. Prout actus vtriusque partis, ita & rerum terminus fuit. Illis* [Gothis] *data est in summo timore* PALMA, *nobis in summâ elatione confusio.*

Et verò iam aliàs Gothis victoribus Gallos fuisse supplices Sidonius docet, vbi canit:

Xx —— *Varijs*

Carm. 7. —— *Varijs concussa procellis*
Bellorum REGI GETICO *tua* GALLIA *pacis*
Pignora iussa dare est, inter quæ nobilis hospes
Tu Theodore venis, quam pro pietate propinqui
Expetis in media pelliti Principis aula.

Baron. an. 588. n. 7. Sed & RECAREDVS, Gothorum in Hispaniâ Rex Catholicus, in Galliâ Narbonensi minimè pauidus insignem de Francis victoriam obtinuit, quam silentio inuoluit Gregorius Turonensis; sed eius clarè meminit S. Isidorus hisce verbis: *Egit prætereà prædictus Princeps bellum gloriosè aduersus infestas gentes fidei suscepto auxilio :* FRANCORVM *enim ferè sexaginta millia armatorum,* QVI AD AVXILIVM VENERANT HÆRESIS ARIANÆ GALLIAS *irruentibus, misso Claudio Emeritensium Duce prostrauit: vnde glorioso triumphauit euentu. Numquam in Hispanijs Gothorum victoria similis extitit : prostrata sunt enim captaque multa millia hostium: residua verò exercitus pars præter spem in fugam* VERSA, *Gothis post tergum insequentibus, vsque in Regni sui finibus cæsa est.* Subdit deinde post pauca: *Tanta fuit gloria Gothis illo tempore, vt non viderentur bella tractare pugnando, sed quasi in palæstrâ lusibus delectari: vbique enim persistebant victores.*

Lib. 2. Chron. apud Tudensem.

Ineptissimè igitur addit Assertor, à Gothis Hispanos didicisse terga vertere, & in acie trepidare. Contrarium enim Franci experti sunt cùm ad Ticinum cæsi, & Mediolano eiecti: sed & Siciliâ quoque; *vbi superbiâ, luxuriâ & crudelitate omnia complebant; inaudita vectigalia imponebant; intolerabiles obuentiones exigebant; inuita nobilium & diuitum feminarum coniugia inibant; nuptarum recèns virginum pudorem primi delibabant, præque violatas maritis relinquebant; atque adulteria etiam in nuptas machinabantur.*

Bzouius an. 1177. n. 7.

In acie non trepidabant Hispani, dum septingentis annis continuis internecino bello pugnarunt, donec Mauros Hispaniâ expulêre. Neque timidorum est & imbellium per maria ingentibus classibus ad Orbem nouum sibi viam aperire, illumque tandem suo Imperio subijcere. Quid ergo tantoperè gloriaris, Dominice, de vrbibus quibusdam vel vi, vel dolo iniquè partis? Alternæ sunt rerum vices, & bellorum fœlicitates; neque vlla est hodie natio victrix, quæ victa aliquando non fuerit, & quæ superari denuò non possit.

p. 185. Iam ad Pelagium Regem venio, quem Assertor negat fuisse Gothicæ originis; affirmatque Gothicam dominationem in Hispanijs penitus excisam, Roderico Rege à Saracenis in acie occiso; qui in sepulchrali Epigraphe dicitur *vltimus Rex Gothorum.* Certè Sebastianus Salmanticensis Episcopus, qui inscriptionem illam primus edidit, sic refert:

refert: HIC REQVIESCIT RVDERICVS REX GOTHORVM: quam eodem modo reliquit Lucas Tudensis. Aliud epitaphium, quod Rodericus Toletanus attulit, animi gratiâ compositum fuit. Sed etsi demus, Rodericum fuisse vltimum in Hispaniâ Regem Gothorum, certum est, talem fuisse titulo, non sanguine; quandoquidem Pelagius aliíque Hispaniæ Reges omnes Gothicæ fuerint Regiæque originis.

Ita Sebastianus Episcopus: *Tunc* PELAGIVM *sibi, filium quondam Fafilani Ducis*, EX SEMINE REGIO *elegerunt*. Lucas Tudensis: *Fafila Dux, filius Chindasvinthi Regis*. deinde: PELAGIVS *filius Ducis Fafilæ*. Rodericus Toletanus: *Deus omnipotens* PELAGIVM *quasi scintillam modicam voluit conseruare*. Iterùm Tudensis: *Ex rediuiuâ radice virgultum Gothorum gentis*. Alphonsus à Carthagenâ Episcopus Burgensis de Pelagio: *Hic de* REGIO *Gothorum sanguine descendens plurimas Agarenorum ciuitates cepit, & multa prælia contra Agarenos deuicit. De cætero autem alij Reges non fuerunt nuncupati Reges Gothorum, sed Reges Legionis, vel Asturiarum*. Ioannes Vasæus Brugensis: *Dum Hispania tam miseris laceratur modis, pientissimus Deus non oblitus misericordiæ suæ*, PELAGIO, *Fafilæ Cantabriæ Ducis filio, misit in mentem, vt è Cantabriâ, vbi latebat, in Asturias veniret, atque animum ad opem patriæ ferendam adijceret*. Hieronymus Zurita: PELAGIVS, *filius Fafilani Ducis*, EX REGIA PROGENIE *ortus*. Denique Rodericus Santius: *Omnes concordant* PELAGIVM *per rectam lineam à Regibus Gothorum descendisse*.

Ex Codice Gothico Ouetensi. Lib. 3. Lib. 4. c. 1. Lib. 4. Cap. 45. In Chron. an. 716. In Indic. Aragon. p. 3. c. 1.

Stemma Pelagij Asturiarum Regis.

1. Chindaswintus Gothorum in Hispaniâ Rex: vxor Reciberga.

2. Recesvintus Rex, ἄπαις.	2. Theodofredus; vxor Ricilona.	2. Fafila Dux Cantabriæ.
3. Rodericus Rex Gothorum, vltimus titulo, non sanguine.		3. Pelagius Rex Asturiarum: vxor Gaudiosa.
	4. Fafila Rex Asturiarum, ἄπαις.	4. Ermenesenda vxor Alphonsi Casti Regis Catholici.

Ioannes Mariana: *Theodofredus, alter Chindaswinthi filius, ex Ricilonâ vxore, quæ ex Regio Gothorum sanguine nata erat*, RVDERICVM *genuit, Hispaniæ facem & pestem. Ex* FAFILA, *qui & ipse Chindaswinti proles erat*, PELAGIVS *is natus est, cuius virtute collapsæ penitus atque profligatæ Christianorum res in Hispaniâ Ruderici temeritate, resurgere ex aliquanto interuallo cœperunt. Ad hunc Hispaniæ Reges numquam intercisâ serie (cùm semper aut parentibus filij, aut fratribus fratres successerunt)* Lib. 6. c. 20.

 clarif-

Lib.7.c.1. *clarissimum genus referunt.* Iterùm alio loco: *Vnus* PELAGIVS, *VERA* GOTHORVM SOBOLES, *tametsi tot aduersis casibus iactatus erat, præcipuâ pollebat animi magnitudine atque constantiâ.* Rectè ait Mariana, PELAGIVM *fuisse veram Gothorum sobolem*; sed fallitur, dum ab illo Regum Hispaniæ clarissimum genus deducit: stirps enim Pelagij fœminina desijt in Alphonso Casto Rege; à quo delatum est sceptrum ad Ranimirum I. qui ortum ducebat à Petro Duce Cantabriæ, Recaredi Gothorum Regis Catholici sobole. Latiùs, sed veriùs, Æneas Picolomineus, Cardinalis Senensis, *de prænobili* (vt ipse ait) *lateque dominante Castellæ Regno* sic locutus est: *Cuius Reges sanguine Gothorum creti numquam genus variarunt.*

In Statu Europæ, c. 43.

Origo Regum Hispaniæ ex inclyto genere Recaredi, Gothorum Catholici Regis.

3. Petrus Dux Cantabriæ; qui à Recaredo Rege ortum ducebat.

4. Alphonsus I. Catholicus, Rex Asturiarum: vxor Ermenesenda, Pelagij Regis filia.	4. Froyla Dux Cantabriæ.
5. Froyla Rex Asturiarum: vxor Munia.	5. Veremundus I. Rex Asturiarum: vxor Ozenda.
6. Alphonsus II. Castus, Rex Oueti & Galliciæ, ἄπαις: vxor Bertinalda. *Hic desinit genus Pelagij Regis.*	6. Ranimirus I. Rex Oueti & Galliciæ, successit Alphonso Casto, patrueli suo secundo: vxor illi fuit Paterna.

7. Ordonius I. Rex Oueti & Galliciæ: vxor Muniadona.

8. Alphonsus III. Magnus, Rex Oueti & Galliciæ, à Ioanne VIII. Papâ dictus *Christianissimus*: vxor Amelina Ximena: à quibus alij omnes Castellæ & Legionis Reges.

Lib. 12. c. 8. Lib. 13. c. 28. Idem Morales l. 13. c.10. 11.

Hanc Regum nostrorum à Recaredo Regè gloriosissimo originem sagaciter obseruauit Ambrosius Morales; quæ firmatur verbis istis Alphonsi Casti Regis in priuilegio pro ciuitate Lugo: *Vrbem præfatam, quæ sola integerrima remanserat, à Paganis destructa murorum ambitu; quam etiam* ADEFONSVS REX, PETRI *Ducis filius, qui de* RECAREDI *Regis Gothorum stirpe descendit, similiter populauit, ac de Ismaëlitarum tulit potestate.* Aliâ item chartâ Odoarij Episcopi è Tabulario Lugensi, quæ sic habet: *Postquam Deus per suum beneplacitum in hanc regionem respicere iussit, & Christianis in hac patriâ dilatauit, suum & Diuæ memoriæ Principem, Dominum* ADEFONSVM, *in sedem* illius

Data est an.744.

illius sublimauit; quia ipse erat de stirpe Regis RECAREDI *&* ERMENEGILDI. Consentit Lucas Tudensis Erâ DCC. LXXVI: *ADEFONSVS* *Catholicus ab vniuerso populo Gothorum in Regem eligitur. Fuerat namque* PETRVS *ex* RECAREDI *Serenissimi Gothorum Principis progenie ortus; qui debitum carnis exoluens, duos filios, supradictum scilicet* ADEFONSVM *&* FROYLAM, *reliquit. Sed* ADEFONSVS, *cum quo* PELAGII *filia nupserat, vix mortuo* FAFILA *in Regem constituitur*. Clarè etiam Rodericus Toletanus de Alphonso Catholico: *Hic fuit filius* PETRI *Ducis Cantabriæ; & habuit fratrem qui* FROYLA *dicebatur. Fuit autem* PETRVS *Dux ex progenie gloriosissimi Regis* RECAREDI. Lib. 4. Lib. 4. c. 5.

At, quid ad eiusmodi monumenta, Dominice? Ais nimirum: *Pelagium, qui primus Asturiarum Regno præfuit, natione Basculum fuisse; & à Gothicâ gente prorsus alienum, rectè vindicauit Stephanus Garibayus auctor Hispanus*. Latior est isthæc *Hispani* appellatio; cur non scribis, *natione Cantabrum, ciuem Mondragonensem, prouinciæ Guipuscoæ*, vt ipse in fronte sui Operis se nuncupat? quia nempe fatetur ingenuè *communem esse sententiam*, PELAGIVM *ex Gothis Regibus oriundum esse:* sed amore patriæ ductus suadere nititur, illum à Tubale Partiarchâ duxisse prosapiam, & natione Cantabrum fuisse: quod malè *Basculum* vertis. Non ignoras enim, tu Vasco, Cantabros, Pirenæi incolas, alios esse qui ad deuexa montis habitant Hispaniam versus, vulgò *Biscainos*; alios versus Galliam, qui *Vascones* & *Basques*, siue, vt vis, *Basculi* nuncupantur. Atqui Garibayus disertè scribit, *Pelagium fuisse Cantabrum ex parte Hispaniæ*, hoc est *Biscainum*. Nec negamus forsan illic natum, cuius pater Fafila, Dux Cantabriæ, Chindasvinti Regis filius fuit, & consequenter Gothici sanguinis, vt clarè probatum est. Vnde Garibayo auctori musteo nulla fides in illâ origine commentitiâ, cui de Tubale nugas & fabulas permiscuit, quas dudum explosêre Goropius Becanus, Gaspar Barrerius, & Ludouicus Nonnius noster ὁ μακαρίτης. p. 185. Lib. 8. c. 50.

Cæterùm Reges Hispaniæ, Recaredi Regis successores, ortum à Carolo Magno priùs duxerunt quàm Capetini Franciæ Reges. Alphonsus namque VII. ab Imperatore Magno exortus est gradu vndecimo; Ludouicus autem VIII. Franciæ Rex decimoquinto. Adi, si lubet, Vindicias Hispanicas capite quarto, in progenie Ermengardis; & capite decimo, in ortu primo Philippi IV. Regis Catholici. Qui de antiquâ Gothorum gloriâ plura scire volet, extat eruditissimi Equitis D. Didaci Saauedræ Faxardi CORONA GOTHICA, edita Monasterij in Westphaliâ anno M. DC. XLVI. quâ nihil doctius,

nihil augustius, nihil omnium sensu magis probandum adferri posse sentio.

LVMEN VII.

Quàm ob causam Gothi in Hispaniâ Reges, FLAVII *fuerint prænominati. Flauiæ Gentis Christianum decus ab ipsis Ecclesiæ nascentis exordijs paucis edocetur.*



LAVIAE Gentis antiquissimum splendorem qui ignorar, næ ille in historiâ peregrinus est & hospes: illa namque *incertum diu & quasi vagum Imperium suscepit, firmauitque*. Primus ex illâ VESPASIANVS *ad Principatum vsque processit*; quem secuti sunt TITVS & DOMITIANVS eius filij. Tum ad CLAVDIVM iuniorem ex eadem Gente summa rerum deuenit; qui, vt ait Trebellius Pollio, *velut futurorum memor*, GENTES FLAVIAS, *quæ Vespasiani & Titi fuerant, propagauit*. Transiuit deinde ad CONSTANTIVM, Constantini Magni patrem, qui Claudij generis proles erat, eodem Trebellio auctore: mox ad THEODOSIVM Magnum & eius posteros; qui *Flauij* prænomen omnes accepêre à sui generis auctoribus. Multi prætereà in Oriente Cæsares, & in Italiâ Longobardorum Reges prænomine *Flauij* vsi sunt; quia per feminarum coniunctiones à Gente Flauiâ oriebantur.

Sueton. in Vespas. c.1. & 2.

In Claudio.

Ob eamdem rationem RECAREDVS, Gothorum in Hispaniâ Rex, *Flauius* est prænominatus, & plerique omnes Gothi in Hispaniâ Reges eius posteri. Vnde in Concilijs Hispaniæ, in Visigothorum legibus, & in Annalibus passim, leguntur Reges, *Flauius Recaredus, Flauius Liuua, Flauius Gundemarus, Flauius Sisebutus, Flauius Svinthila, Flauius Sisenandus, Flauius Chintila, Flauius Tulga, Flauius Chindasvintus, Flauius Recesvintus, Flauius Eruigius, & Flauius Egica.*

Recaredus ergo Rex, quia propinquâ sanguinis communione Gentem Flauiam contingebat, id prænomen primus assumpsit, quod hæreditario iure in posteros transmitti posset. Ita visi sentire viri doctissimi Andreas Resendius, Didacus Saauedra, & alij.

In Epist. ad Ambr. Moralem. In Coronâ Gothicâ.

Stemma

Stemma Flauij Recaredi Regis.

1. Theodoricus Amalus, Gothorum in Italiâ & Hispaniâ Rex: vxor Santina Toletana.

2. Seuerianus Dux Carthaginensis: vxor FLAVIA Theodosia Ceruella, filia FLAVII Marci Ceruellæ, Ducis Gothici.

3. S. Leander Episcopus Hispalensis.	3. THEODOSIA vxor Leuuigildi Regis.
4. S. Hermenegildus Martyr.	4. FLAVIVS Recaredus Rex, Catholicus.

Lucas Tudensis Erâ D. XLIX. de Theodorico Rege iuniore: *Vxorem ex Toleto de primâ Hispanorum origine duxit, cuius precibus omnes Hispanos libertate donauit; & ex eâ filium nomine* SEVERIANVM *suscepit. In Italiâ & Hispaniâ regnauit* REX THEODERICVS *annis quadragintâ.* Erâ deinde DC.VI. de Leuuigildo Rege: THEODOSIAM, *filiam Ducis Carthaginensis, filij Regis* THEVDERICI, *duxit vxorem; ex quâ* ERMENEGILDVM *&* RECAREDVM *filios suscepit.* Videsis Luitprandi Aduersaria à V. C. Laurentio Ramirez de Prado edita, & Notis illustrata. In Chron. Typis Plant. an. 1640. p. 498. & 499.

Flauius Theodosius Magnus Imperator patriâ Hispanus erat; vnde Claudianus ad Honorium Cæsarem eius filium:

—— HISPANIA PATREM
AVRIFERIS *eduxit* AQVIS; *Te gaudet alumno*
Bosphorus; HESPERIO *de limine surgit origo.* De 4. Cos. Honorij.

Tagus fluuius auriferis arenis diues Toleti mœnia penè tota circuit; vnde eredi par est (ex Claudiani mente) Theodosij maiores Toleto oriundos fuisse; quamuis ille in Italicâ Hispaniæ Bœticæ ciuitate natus credatur.

Vxor Theodoriei Regis *Santina* Toletana fuit, ex Lucâ Tudensi: THEODOSIA eius neptis, Leuuigildi Regis vxor, Recaredi Regis fuit mater; cuius nomen, vt & patris eius *Flauij* Marci Ceruellæ, Flauiam & Theodosianam præferebant originem: vnde Recaredo Regi *Flauij* prænomen; cuius mater absque dubio

Addiderit proprio GERMANA *vocabula* NATO. Claudianus.

Sic ergo Flauiæ gentis prænomen ad Reges Hispaniæ, qui à Gothis Regibus prosapiam ducunt, hæreditario iure pertinet; & ad Austriacâ omnia

—— *quæ* DIADEMATA *mundo*
Sparsit IBERA *domus.* De 4. Cos. Honorij.

Magnus

Magnus enim Theodosius, vt iam dixi, & eius filij Arcadius & Honorius, *Flauij* omnes, ex Hispaniâ prodibant: vnde Claudianus;

Hinc senior PATER, *hinc iuuenum diademata* FRATRVM.

Quia porrò Recaredus Rex à Theodosio, Theodosius à Constantino, iste à Claudio, Claudius à Vespasiano, Flauiæ Gentis primario stipite, oriundi sunt; iuuat hoc loco præclarissimæ Gentis Christianum & antiquissimum decus in plerisque, sed maximè in FLAVIA DOMITILLA Virgine & Martyte coruscans, paucis exponere; quandoquidem illa peruetus solidæ virtutis gloria iure sanguinis ad Reges Catholicos dimanauit.

S. Flauia Domitilla Virginis & Martyris Paternum Stemma.

1. Titus Flauius Petronius: vxor Tertulla.

2. T. Flauius Sabinus: vxor Vespasia Polla.

3. T. Flauius Sabinus Præfectus vrbis: vxor sancta PLAVTILLA.	3. Vespasianus Imperator: vxor Flauia Domitilla I.

4. T. Flauius Sabinus: vxor Iulia, Titi Imp. filia.	4. T. Flauius Clemens Cos. Martyr Romæ anno 98. vxor Flauia Domitilla III.	4. S. Flauia Domitilla IV. Virgo & Martyr.	4. Titus Imperator.	4. Domitianus Imperator.	4. Flauia Domitilla II. viri nomen ignoratur.

5. Vespasianus Domitianus.	5. Flauia Domitilla III. vxor T. Flauij Clementis Cos.

Maternum Stemma.

2. N. vir Consularis.

3. Faustinianus: vxor Matidia.	3. S. Flauius Clemens Episcopus Merensis: obijt Metis an. Domini 71.	3. S. Plautilla, vxor T. Flauij Sabini Præfecti vrbis.
4. S. Clemens Papa anno 93. Martyr an. 102.	4. Euphemia Flauia Domitilla V.	4. S. Flauia Domitilla IV. Virgo & Martyr anno Christi 97.

Ex his duobus Stemmatis summâ curâ & studio à me institutis quinque

quinque ducent *Flauiæ Domitillæ*; tres nempe in lineâ Vespasiani Imperatoris, vxor, filia, neptis: in aliâ verò fratris eius lineâ, *Flauia Domitilla*, S. Plautillæ filia, Virgo & Martyr: quinta denique, eiusdem S. Plautillæ ex fratre neptis. De vxore & filiâ Vespasiani sic Suetonius: FLAVIAM DOMITILLAM *duxit vxorem, Statilij Capellæ Equitis Romani Sabratensis ex Africâ delegatam olim, Latinæque conditionis, sed mox ingenuam, & ciuem Romanam recuperatorio iudicio pronunciatam; patre asserente, Flauio Liberali, Ferentini genito. Ex hac liberos tulit, Titum, Domitianum, &* FLAVIAM DOMITILLAM. *Vxori ac filiæ superstes fuit, atque vtramque adhuc priuatus amisit*. Vtrique autem huic Domitillæ honores Ethnico ritu post mortem decreti; & numisma cusum, matri argenteum à viro Vespasiano, filiæ æneum à fratre Domitiano. In Vespasiano.



Ex secundâ porrò *Domitillâ*, Vespasiani filiâ, liberos procreatos colligitur ex Quintiliano; cuius hæc sunt verba: *Cùm mihi Domitianus Aug.* SORORIS SVÆ NEPOTVM *delegauerit curam, non satis honorem iudiciorum cælestium intelligam, nisi ex hoc quoque honoris magnitudinem metiar*. Ignoratur tamen secundæ huius Domitillæ viri nomen; non ita eius filiæ, quæ *tertia Domitilla* fuit, sed Christiana, Flauij Clementis Consulis & Martyris vxor. De his enim coniugibus sic Dionis Cassij Xiphilinus, vbi de Domitiano: *Eodem anno* [Imperij XV.] *cùm multos alios, tum verò* FLAVIVM CLEMENTEM *Consulem (licet patruelis is esset,* FLAVIAMque DOMITILLAM *pariter* CONSANGVINEAM *Imperatoris haberet vxorem) interfecit: obiectum autem vtrique crimen impietatis*. Lib. 4. in Procemio. Lib. 67.

liam, virginitatis gloriâ in cælo præfulgentem conspiceret. Nos intereà, dum lucis vsurâ fruemur, illibata eius ora in sardulâ venerabimur; frontis honorem, oculorum constantiam, genarum decorem, totius formæ verecundiam & pudorem; quidni & ornatam Christi gratiâ, non capillorum flexu, gemmâ virginitatis, non lapidis? sacrum enim velamen, & dicatum Deo habitum, quem à S. Clemente Papâ acceperat, eunti exulatum persecutor detraxerat; vt aliàs Pontifices Opimiam Vestalem damnatam, *demptis è capite vittis*, ad ignominiam per forum traduxerant. Dionys. lib. 8.

LVMEN VIII.

Ortus Philippi IV. Regis Catholici à Carolo Magno Imp. medijs Comitibus Barcinonæ, & Regibus Aragoniæ.

PRÆFIXIS de more gradibus genealogicis, quæ ad eorum fidem faciunt citatis Auctoribus adferam, ne quis pro arbitratu me lineas composuisse existimet, vel temerè ac citra rationem ortus Regum nostrorum texuisse.

1. Carolus Magnus Imperator.

2. Ludouicus Pius Imperator.

3. Carolus Caluus Imperator.

4. Iudith vxor Balduini Ferrei, Comitis Flandriæ.

5. GVINIDILDIS vxor GVIFFREDI Pilosi, Comitis Barcinonæ.

6. Myro Comes Barcinonæ: vxor	6. Seniofredus, siue Suyerius, Comes Vrgellitanus.
7. Seniofredus Comes Barcinonæ, iunctus Mariæ, filiæ Sancij Regis Nauarræ, ἄπαις.	7. Borrellus Comes Vrgellitanus, deinde Comes Barcinonæ: vxor LEDGARDIS.

8. Raimundus Borrellus Marchio, Comes Barcinonæ: vxor Ermesenda, filia Rogeri Comitis Carcassonæ.

9. Berengarius Borrellus Marchio, Comes Barcinonæ: vxor Sancia, filia Sancij Comitis Castellæ.

10. Raimundus Berengarius I. Marchio, Comes Barcinonæ: vxor Almodis Carcassonæ Comitissa.

11. Raimundus Berengarius II. Marchio, Comes Barcinonæ: vxor MAHALTA, filia Roberti Guiscardi, Ducis Calabriæ & Apuliæ.

12. Raimundus Berengarius III. Marchio Hispaniarum, Comes Barcinonæ: vxor Dulcia, filia N. Comitis Prouinciæ.

13. Raimundus Berengarius IV. Marchio Hispaniarum, Comes Barcinonæ, Princeps Aragoniæ: vxor Petronilla, filia Ranimiri Regis Aragoniæ.

14. Raimundus, posteà dictus Alphonsus Castus, Rex Aragoniæ, & Comes Barcinonæ: vxor Sancia, filia Alphonsi Hispaniarum Imperatoris.

15. Petrus II. Catholicus, Rex Aragoniæ, & Comes Barcinonæ: vxor Maria, filia Guillelmi Comitis de Montepessulano.

16. Iacobus I. Rex Aragoniæ, & Comes Barcinonæ; à quo omnes alij Reges, vsque ad Philippum IV. Regem Catholicum.

Probationes.

HISTORIAE Pinnatensis (quæ Aragonicarum censetur antiquissima) optimæ notæ MS. exemplar mecum pro suâ humanitate communicauit V. C. Lucas Torrius, Regi à Consilijs & Rationibus in Camerâ Flandrorum Insulensi. in illâ, capite *de Comite Guiffredo, & quomodo ad se & suos Comitatus Barcinonæ peruenerit,* hæc ad verbum relata repperi: *Perempto sic igitur dicto Comite* [Guiffredo patre] *Gallici filium ipsius* GVIFFREDVM *Pilosum captum Regi Franciæ adduxerunt; qui, narrato qualiter Comitem* GVIFFREDVM *interfecerant, displicuit multùm sibi, quia tali ratione fuerat interemptus, asserens quòd futuris temporibus damno posset esse hoc Regno suo. Tunc verò ipse Rex* GVIFFREDVM *Pilosum puerum, filium dicti Comitis, recepit, alendumque tradidit* COMITI FLANDRIAE, *mandans sibi, quòd huic curam adhibeat diligentem. Cumque dictus puer resedit aliquo tempore, & in Curiâ dicti Comitis factus fuisset adultus, in ipsius amorem incidit quædam* FILIA DICTI COMITIS; *quam ipse similiter impregnauit: quod nulli notum fuit, præterquam vxori dicti Comitis, matri puellæ; quæ similiter id agnouit. Quare licet tristis esset in corde suo, pro vitandis tamen dedecore & pudore, quæ inde sequi poterant, vt sagaciùs potest, tegere nititur pondus ventris* FILIAE SVAE *vitiatæ: quod adeò secretè fecit, quòd à nemine fuit scitum. Et mentis conferens in arcano, quòd malum eiusmodi postquam peractum erat, emendationem non susciperet; quodque nemini decentiùs* FILIA SVA *poterat nubere quàm ei, qui eam deflorauerat; dum tamen* BARCINONAE COMITATVM *recuperaret: præstito iuramento per dictum* GVIFFREDVM, *quòd, casu quo dictum recuperaret Comitatum, duceret prædictam filiam in vxorem; Comitissa eum induit vestibus peregrini,*

gum ibi martyrium duxit. Vſuardus & Ado eadem ſcribunt, illamque vocant *Flauij Clementis Conſulis ex ſorore neptem*: quod idem eſt ac *ſororis filiam.* Sed addit prætereà Vſuardus: *Nouiſſimè doctrinâ ac miraculis cùm conuertiſſet plurimos ad fidem Domini, incenſo cubiculo à quodam iudice, in quo ſimul* CVM SVIS CONVIRGINIBVS, EVFROSINA *videlicet &* THEODORA, *clauſa morabatur, curſum glorioſi martyrij ſui conſummauit.* 7. Maij.

Euſebius ſimiliter, ex Bruttio, FLAVIAM hanc DOMITILLAM vocat ἐξαδελφὴν Κλήμεντος Φλαβίου ὑπατικοῦ; D. Hieronymus, *Flauij Clementis ex ſorore neptem*. De cuius Virginis paternâ conſanguinitate ſic Ordericus Vitalis, agens de S. Clemente Papâ: FLAVIAM DOMITILLAM VIRGINEM, *Domitiani Cæſaris* NEPTEM, *& Aurelij ſponſam, ſacro velamine conſecrauit*. Flauiam ergo, quæ patruelis erat Domitiani, Ordericus *neptem* eius appellat, iuxta æui medij, quo ipſe ſcribebat, morem: cuius exempla dedi ſuprà Lumine Genealogico ſeptimo. Lib. 3. c. 14. In Chron. Lib. 2.

Quia porrò *S. Flauia* Domitiani Cæſaris erat patruelis, inde ſequitur, matrem eius S. PLAVTILLAM, T. Flauij Sabini Præfecti vrbis, Veſpaſiani Imp. fratris, vxorem fuiſſe; de quâ hæc ſunt Martyrologij Romani verba XIII. Kal. Iunij: *Romæ*, S. PLAVTILLÆ, *feminæ Conſularis*, MATRIS BEATAE FLAVIAE DOMITILLAE, *quæ à S. Petro Apoſtolo baptizata, omnium virtutum laude refulgens quieuit in pace.* Sed Albericus præ alijs huius S. Flauiæ materno ſtemmati facem prætulit ad annum Chriſti XCIII: *Clemens Papa ordinatur*, IX. *annis. Fuit hic filius Fauſtiniani; cuius frater* CLEMENS CONSVL *fuit primus Epiſcopus Metenſis: & horum ſoror* PLAVTILLA *(cui beatus Paulus pannum reſtituit ſanguine ſuo laureatum)* DOMITILLAM VIRGINEM *peperit*. Anno deinde XCVII: *Sancta* VIRGO DOMITILLA *exiliata eſt.* 10. Maij. In Chron.

Allatas ab Alberico cognationes firmant Acta SS. Nerei & Achillei apud Surium; in quibus diſertè ſcribitur, CLEMENTEM *Conſulem fuiſſe germanum fratrem patris* S. CLEMENTIS *Papæ; eiuſque Clementis Conſulis ſororem fuiſſe* PLAVTILLAM, *matrem Domitillæ*. Quibus conſentiunt monumenta Metenſia; ex quibus conſtat (teſte Meuriſſio) *Flauium Clementem Romanum à S. Petro baptizatum, & Metas miſſum, fuiſſe patruum S. Clementis Papæ & Martyris, & fratrem Fauſtiniani.* Membrana item vetus Gorzienſis, quæ docet, *Gorzienſe Oratorium iam inde à primis Fidei Chriſtianæ cunabulis per* D. FLAVIVM CLEMENTEM, *Metenſium Auſtraſiorum Apoſtolum, Diuo Petro Apoſtolo, ſuo fidei magiſtro & doctori, conſecratum fuiſſe*. Eadem etiam 12. Maij. cap. 5. In Hiſtor. Epiſc. Metenſ. p. 5. 6. & ſeqq. p. 166.

peregrini, & cum quadam muliere vetulâ ad matrem suam in ciuitate Barcinonæ misit. Eumdem lętanter mater in aspectu eius suscepit, quem filium suum fore nouit in pilis quos habebat in quibusdam partibus sui corporis, vbi homines non solent habere pilos: & hac de causâ fuit cognominatus Pilosus. *Interposito quidem aliquorum dierum spatio mater prædicta fecit congregari Barones & Nobiles terræ suæ, qui patrem filij sui cognouerant, & fideles sibi fuerant & legales, qui sibi ostenso per eam filio suo, in eius aspectu gaudio sunt repleti, & ad tantam nequitiam, quâ pater suus interemptus fuerat, suos dirigunt cogitatus; ipsum ibidem in Dominum recipiunt, iurantes se legalitatem ei tamquam Domino seruaturos. Quibus peractis, omnes Barones & Nobiles Comitatus Barcinonæ profecti sunt vnà cum dicto* GVIFFREDO *ad quemdam locum Cataluniæ, in quo erat* SALAMON *tunc Comes Barcinonæ, natione Gallicus; quem vt vidit prædictus* GVIFFREDVS, *euaginato ense in conspectu omnium interfecit; & statim fuit sub eius Dominio totus Comitatus Barcinonæ, ipsúmque rexit & gubernauit dum vixit, à ciuitate Narbonæ vsque ad Hispaniam. Statim verò cùm ipse fuit Dominus dicti Comitatus, recordatus dedecoris quod intulerat Comiti Flandriæ eiusque prosapiæ, propter eius filiam, quam imprægnauerat existens in eius Curiâ, tamquam suus filius, & volens seruare iuramentum quod vxori dicti Comitis fecerat de deducendo eorum filiam in vxorem in casu qui locum habuerat, misit ad Franciam solemnes nuntios pro ducendo ad se filiam dicti Comitis sponsam suam in ciuitatem Barcinonæ; in quâ honorificè fuit admissa. Postquam amici vxoris dicti* GVIFFREDI *tractauerunt, quòd ipse esset in gratiâ & beneuolentiâ Regis Franciæ, coram ipso ipse fuit, & ab eo Comitatum Barcinonæ ita recepit. Cumque non sine eius honore grandi in Curiâ Regis Franciæ per longa tempora resedisset, rumores sibi afferunt, quòd Saraceni inuaserant terram suam, eamque adquisiuerant pænè totam. Narrat igitur hæc Regi Franciæ, ab eo petens auxilium & consilium, cum quo à terrâ suâ posset expellere Saracenos. Verumtamen cùm ipse Rex esset alijs negotijs occupatus, respondit, quòd ei non poterat in aliquo suffragari: annuit tamen sibi, quòd si ipse terram, quam perdiderat, poterat rehabere, & illam quæ sibi remanserat defendere, sua esset perpetuis temporibus & suorum. Et vsque tunc nullus Baro habuerat ad in perpetuum Comitatum Barcinonæ; sed illum Rex Franciæ cui volebat tempus committebat ad certum. Postquam dictus Comes habuit istam guerram à Rege Franciæ, congregauit gentes multas terrarum ipsius Regis, cum quibus de dicto Comitatu vsque ad ciuitatem Ilerdæ expulit Saracenos; & exinde terram securè tenuit iuxta votum. Et isto modo Comes* GVIFFREDVS *Comitatum Barcinonæ habuit francum & quitum à potestate & Dominio Regis Franciæ. Qui siquidem Comes extirpatis Saracenis de terrâ suâ ædificauit*

ficauit continuò ad honorem Dei Monasterium Riuipulli, anno scilicet Domini DCCC. LXXXVIII. *quod multarum diuitiarum & aliorum donorum largitione dotauit. Hic Comes ex suâ vxore quatuor filios procreauit; vnus quorum fuit nominatus* RADELPHVS, *& fuit Monachus dicti Monasterij Riuipulli, & posteà Episcopus Vrgellensis: alius verò* GVIFFREDVS, *qui cecidit pro veneno, & fuit sepultus in dicto Monasterio Riuipulli: alius* GVIFFREDVS, *qui post mortem dicti Comitis successit in dicto Comitatu: & alius* SVYERIVS, *qui post dictam mortem fuit Comes Vrgelli. Et primus iste Comes* GVIFFREDVS *fuit vir magnæ probitatis & benignitatis; & posuit in statu prospero terram suam. Decessit autem in quadragesimo anno ætatis suæ, anno scilicet Domini* DCCCC. XII. *& fuit in dicto Monasterio Riuipulli honorificè sepulturæ traditus.*

Lib.2.c.6. Franciscus Diago in Historiâ Veterum Barcinonæ Comitum vxorem illam Guiffredi Comitis vocat GVINIDILDAM, *filiam* BALDVINI *Comitis Flandriæ, neptem Caroli Calui Imperatoris; quia mater eius* IVDITHA *erat filia Caroli Calui, neptis Ludouici Pij, proneptis Caroli Magni, Imperatorum*. Vnde constat, omnes à Guiffredo illo Barcinonæ Comites ex Caroli Magni prosapiâ oriundos fuisse. Nat-
Cap.11. rat deinde dictus Diago, GVIFFREDVM Comitem, & GVINIDILDAM eius vxorem, fundasse Cœnobium Riuipullense, eique donasse *in ipsâ Marcâ locum, quem nominant Montem Serratum, Ecclesias quæ sunt in cacumine ipsius montis, vel ad inferiora eius, cum ipso Alode*. idque
Anno 891. ex publico donationis instrumento, quod videtur in Atchiuo Regio Barcinonensi; quodque finitur istis verbis: *Hæc omnia superiùs inserta donamus atque concedimus ego* GVIFFREDVS *Comes &* GVINIDILDIS *Comitissa ad domum S. Mariæ Riuipollensis propter remedium animæ no-*
Tab. 1. *stræ ad diem consecrationis eius*. Ex istis monumentis Oliuarius Vredius, vir eruditissimus, in Genealogiâ Comitum Flandriæ Balduino Ferreo ex Iudithâ tres proles attribuit; scilicet *Balduinum Caluum Flandriæ Comitem, Rudolphum Comitem Cameracesij, &* GVINIDILDEM, *Guiffredi Comitis Barcinonensis vxorem.*

Cæterùm ex hac rectè ordinatâ Principum serie colligi datur in primis, PHILIPPVM IV. Regem Catholicum iure sanguinis, legibusque consentaneæ successionis esse verum ac hæreditarium Barcinonæ Comitem: deinde, quidquid iuris aut supremæ auctoritatis consequi
Annis 797. & 805. potuerant Carolus Magnus & Ludouicus Pius ex Barcinonâ ciuitate à Saracenis liberatâ; id omne (extinctâ penitus Caroli sobole masculinâ) ad GVINIDILDIS, eius abneptis, posteros, Barcinonæ Comites, deuolutum fuisse, non autem ad stirpe extraneos Capetinos Reges.

Denique

Denique S. Ludouicus Franciæ Rex cum Iacobo Rege Aragoniæ de omnibus litigijs transegit anno M. CC. LVIII. Pacti summam sic edidit Hieronymus Zurita: *A. D. V. Idus Maij, Carbolio, Reges* [Ludouicus & Iacobus] *actiones de controuersijs omnibus vtrimque constitutas remittunt, iuraque condonant. Ludouicus enim Rex Barcinonensis, Vrgellitanæ, Ruscinonensis, Emporitanæ, Ceretanæ, Confluentinæ, Gerundensis, & Ausetanæ ditionum suprema iura, potestatem & fidelitatis dominatum repetierat: noster verò Carcassonensem, Rhodensem, Lauracensem, Biterrensem, Leocatensem, Albigensem, Rhuensem, Fuxensem, Cadurcensem, Narbonensem, Mineruensem, Fanoliadensem, Saltuensem, Petrapertusensem, Amilianam, Crodonensem, Gabaldanam, Nemausensem, Solensem, & S. Ægidij ditiones, & earum iura & potestates, à capite arcessit. Vicissim alter alteri iure suo cedit.* In eumdem sensum Ioannes Mariana eodem anno: *Aragonius Rex, Valentiæ rebus compositis, Mompellerium abijt, Galliæ Regem conueniendi cupidus. Carbolium oppidum Regum colloquio designatum; ibique V. Idus Maij, eius sæculi anno* LVIII. *detersis sincerè odiorum caussis, voluntates conciliatæ sunt, dimissis vtrimque quæ ab altero quocumque iure possidebantur: ac nominatim* BARCINONENSES ET CATALAVNI *veteri Gallorum Regum Imperio prorsus exempti sunt: quod ex quo eæ regiones ereptæ erant Mauris steterat; tametsi à multis iam annis præter imperij nomen nihil Gallis concedebatur. Id fœdus vt sanctius esset,* ISABELLA, *Regis Aragonij filia natu minima,* PHILIPPO *Galliæ Regis maiori filio pacta; & cum eâ dotis nomine Carcaso & Biterræ, patre concedente, ad Gallorum ditionem subiuncta sunt.*

[Margin: In Indic. Aragon. lib. 2. & in Annal. l. 3. c. 56. an. 1258.]

[Margin: Lib. 13. c. 11.]

S. Ludouicus ex eâ tectæ conscientiæ normâ atque præscripto sic omnia peragebat, vt eius dicta factave sine graui noxâ damnare vix liceat. Eadem mens eius sanctiori Consilio, cui aliàs Matthæus Parisius eiusmodi sententiam verè auream adscripsit: *Nolit Deus, vt vmquam ascendat in cor nostrum, vt aliquem Christianum sine manifestâ caussâ impugnemus.* Sed quemadmodum tempora, ita & hodie mores maximè immutati.

[Margin: Anno 1239.]



LVMEN IX.

Augetur prima prærogatiua Catholici Regis, ab eius multiplici iure ad Imperium Constantinopolitanum.


TAMETSI Regum solia, vt humana cuncta, fortunæ ludis subiaceant; integra tamen manent Principum iura, atque vnà cum sanguine ad posteros transmittuntur. Vnde non vnâ ratione ad PHILIPPVM IV. Regem pertinet ius ad Imperium Græcorum, & ex consequenti etiam illius Imperij prærogatiua; quam iuuat hoc loco paucis aperire.

Ortus Philippi IV. Regis Catholici à Comnenis Impp. Byzantinis.

1. FLAVIVS MANVEL Comnenus Porphyrogenitus, Imp. Constantinopolitanus, anno 1143. vxor MARIA, siue XENES, Princeps Antiochiæ.

2. ALEXIVS Comnenus Porphyrogenitus, Imper. ab Andronico occisus.	2. EVDOXIA Comnena, Imperatrix dicta, vxor GVILLELMI Comitis de Montepessulano.

3. Maria, Imperij Orientalis hæres, vxor Petri II. Regis Aragoniæ.

4. IACOBVS I. Rex Aragoniæ, natus in Monrepessulano anno 1196. obijt 1276. vxor IOLESIA, filia Andreæ Regis Hungariæ, & Iolesiæ Imperatricis Byzantinæ.

5. Petrus III. Rex Aragoniæ, Valenciæ, Siciliæ: obijt 1286. vxor CONSTANTIA, Manfredi Regis Siciliæ filia.

6. IACOBVS II. Rex Aragoniæ & Siciliæ: obijt 1327. vxor BLANCA, Caroli Regis Neapolitani filia.

7. ALPHONSVS IV. Rex Aragonum: ob. 1336. vxor TYRESIA, Comitis Vrgelli neptis.

8. PETRVS IV. Rex Aragoniæ: ob. 1387. vxor LEONORA, Petri Siculorum Regis filia.

9. LEONORA, coniux IOANNIS I. Regis Castellæ & Legionis.

10. FERDINANDVS IV. Rex Aragonum & Siciliæ: obijt 1416. vxor LEONORA, Sancij Alburquerquæ Comitis filia.

11. IOANNES II. Rex Aragoniæ & Nauarræ: obijt 1479. vxor IOANNA Friderici Castellæ Admirantis filia.

12. FERDI-

12. FERDINANDVS V. Rex Aragoniæ & Siciliæ: ob. 1515. vxor ELISABETHA, Castellæ & Legionis Regina: quæ ob. 1504.

13. IOANNA Hispaniarum Regina, vxor PHILIPPI Archiducis Austriæ, & Ducis Burgundiæ.

14. CAROLVS V. Imp. Hispaniarum Rex, proauus PHILIPPI IV. Regis Catholici.

Probationes.

MANVEL Comnenus.] Albericus anno M. C. LXVII: *In his diebus quidam nobilis de Franciâ*; RAINALDVS *de Castellione, super VVainum fluuiolum ortus, multis probitatibus famosus, cùm venisset in Turchiam, & in bellis clarus existeret, duxit in vxorem Dominam ciuitatis, relictam Principis* RAIMVNDI, *& factus est Princeps Antiochiæ: de quâ Dominâ tres genuit filias; quarum primam habuit Imperator Constantinopolitanus* MANVEL, *& eâ genuit* ALEXIVM: *secundam,* AGNETEM *nomine, quam duxit Rex* BELA *Hungariæ; & genuit Hamericum & Andream fratres & Reges; & duas Reginas, Constantiam de Boëmiâ, & Margaretam de Græciâ. Tertiam Principis Rainaldi filiam nomine* ALAISEM *duxit Marchisus Eistensis in Italiâ*. Vxor illa Rainaldi de Castellione vocabatur *Constantia*; eratque filia & hæres *Boëmundi II.* Principis Antiochiæ, vidua *Raimundi* Pictauiæ Comitis. Chesne in Histor. Castellion. l. 2. c. 10.

ALEXIVS Comnenus.] Albericus anno M. C. LXIV. *Imperator* MANVEL *in proximo moriturus filium suum* ALEXIVM *cuidam Principi commisit, qui erat cognatus suus, nomine* ANDRONICVS, *cum curâ totius Imperij. Proditor autem ille nefandissimus mortuo Imperatore Imperium ad se traxit, & iuuenem fidei commissum interfecit, & multa alia commisit.*

EVDOXIA Comnena.] Filia Manuelis, soror Alexij, Imperatorum, nupsit Guillelmo Montispessulani Domino; cui vnicam filiam peperit MARIAM, quæ iuncta fuit PETRO Regi Aragoniæ, Comiti Barcinonæ: ex quo matrimonio natus est IACOBVS Rex Aragoniæ, Dominus Montispessulani, stipes aliorum Aragoniæ & Maioricæ Regum, qui dominium Montispessulani diu possederunt. Ille porrò Guillelmus, Eudoxiæ maritus, patrem habuit alium Guillelmum de Montepessulano, matrem verò MATHILDEM, filiam HVGONIS II. Burgundiæ Ducis. Chesne in Hist. Ducum Burgund. c. 5.

MARIA vxor Petri II. Regis Aragoniæ.] Albericus de illo Rege: *Vxor eius dicta est* MARIA, *Guillelmi de Montepessulano filia, de quâ natus est Rex* IACOBVS *Aragonensis, qui est Montispessulani Dominus.* Ad an. 1213.

Comes autem Montisfortis pro terrâ de BEZIERS *iam fecerat hominium eidem Regi Aragonensi.* Elias Reusnerus de eodem Rege: *Vxor* MARIA, *filia* GVILLELMI *Comitis Montispessulani, neptis Imp. Byzantini.* Lucius Marineus Siculus: *Annum agens* PETRVS, *Alphonsi filius, Rex Aragonum, vigesimum, Regni gubernatione susceptâ,* MARIAM GVILLELMI *Montispessulani filiam, & Imperatoris Constantinopolitani neptem, duxit vxorem; de quâ* IACOBI *filij factus est pater.*

In Genealogijs. Lib. 10.

Lib. 2. c. 57. Hieronymus Zurita in Annalibus Aragoniæ: *Auiase effetuado el matrimonio del Rey de Aragon con Doña* MARIA, *hija del Señor de Monpellier, y de la hija de* MANVEL *Emperador de Constantinopla, que (a lo que yo creo) se llamò* MATHILDE: *y muerto el Emperador* ALEXIO *su hermano, que Andronico hizo matar, siendo muy moço; pretendiendo pertenecerle la successiõ del Imperio. Y assi se llamò despues la Reyna de Arragon,* HIJA DE LA EMPERATRIZ DE CONSTANTINOPLA. *Y siendo el matrimonio consumado, el Rey de Aragon se intitulò Señor de Monpellier.* Alio item loco: *Es a mi ver digno de declarar en este lugar, que el Rey Don* IAYME [de Aragon] *era legitimo successor de* ALEXIO *Comneno Emperador de Constantinopla, y de los Emperadores, que despues le sucedieron de la nobilissima casa de los Comnenos: y fue vsurpado aquel Imperio por* ISAACIO *Angelo, auiendose perseguido y acabado los que sucedieron de aquella casa; de la qual era legitima successora la Reyna Doña* MARIA: *y por esta razon llama ella a su madre* EMPERATRIZ *en sus dos testamentos.* Prius Mariæ testamentum est anni M. CC. IX. posterius M. CC. XI.

Lib. 2. c. 72.

Lib. 1. Idem Zurita in Indicibus Regum Aragoniæ: *Rex sibi in matrimonium adiunxerat* MARIAM, *quæ Monpellerij dominabatur, filiam Guillelmi Monpelleriensis, &* MATHILDIS, *Emanuelis Constantinopolitani filiæ. Nuptijs celebratis, Rex Monpellerij dominatus cognomentum suscepit. Cùm insignem probitate & sanctitate feminam duxisset, & quæ* CONSTANTINOPOLITANI IMPERII IVS *maternâ hæreditate repeteret; (Mathildis enim Alexio fratre ab Andronico interempto, legitimo iure id Regnum appetierat;) ab vxore pellicum amor flagrans diuertere nititur.* Fallitur Zurita, dum Mariæ Reginæ matrem vocat *Mathildem*, quæ nuncupabatur *Eudoxia*: ille auiæ paternæ nomen pro materno vsurpauit.

Ortus

Ortus Philippi IV. Regis Catholici ab Angelis Impp. Constantinopolitanis.

1. Andronicus Angelus: vxor Euphrosina, soror Theodori Castomonitæ.

2. Isacius Angelus Imp. Constantinopolitanus.	2. Alexius Angelus Andronicus, inuasor Imperij contra fratrem.
3. Alexius Angelus Imp. Constantinop. occisus an. 1204.	3. Irene Angela, nupta Philippo Sueuiæ Duci, Imp. Germanico.

4. Beatrix, vxor Ferdinandi III. Regis Castellæ & Legionis.

5. Alphonsus X. Rex Hispaniæ: à quo alij Catholici Reges vsque ad Philippum IV.

Probationes.

VRSPERGENSIS Abbas de Henrico VI. Imperatore: PHILIPPO *fratri suo dedit vxorem Dominam* ERINAM, *filiam Regis Græcorum, quam reperit in palatio Panormitano (desponsata siquidem fuerat filio Dancredi) tradens ei dominium totius Tusciæ, & terram Dominæ Mathildæ.*

Godefridus Monachus de eodem Cæsare: *Filiam Regis Græciæ, quæ Tancredo nubere debuerat, fratri suo* PHILIPPO *vxorem dedit cum parte quadam Apuliæ.* Ad an. 1194.

Otho de S. Blasio: *Henricus Imp. mortuo fratre Conrado,* PHILIPPO *fratri suo, qui in Siciliâ interim cum eo manebat, datâ sibi sponsâ suâ, filiâ Constantinopolitani Imperatoris, Ducatum Allemaniæ concessit, ipsumque cum eadem sponsâ suâ in Germaniam destinauit; qui in Allemaniam perueniens, apud Augustam vrbem in Pentecoste armis cinctus nuptias magnificè celebrauit in loco, qui Concio legum dicitur.* Cap. 44. ad an. 1196.

Cuspinianus in Isacio Angelo: *Cuius filiam* ERINAM PHILIPPVS *Romanorum Rex vxorem duxit.*

Albericus ad an. M. CC. II: *Apud Constantinopolim istis diebus* KYRALEXIVS *cognomento Andronicus, inuasor Imperij, fratrem suum* ISACIVM *ab Imperio depulerat, excæcatum incarcerauerat, & eius filium* ALEXIVM *interfici iusserat: sed per quemdam Seneschaldum manus eius euadens* ALEXIVS, *ad Sueuorum Ducem* PHILIPPVM, *Regem Allemaniæ, confugit, & apud eum latuit; eò quòd vxor eiusdem* PHILIPPI *fuit* SOROR *ipsius* ALEXII. In Chron.

Ortus alter Philippi IV. Regis Catholici ab Angelis Græcorum Imperatoribus.

2. Isacius Angelus Imp. Constantinopolitanus.

3. Irena Angela, vxor Philippi Sueuiæ Ducis & Romanorum Regis.

4. Maria vxor Henrici II. Ducis Brabantiæ.

5. Henricus III. Dux Brabantiæ: vxor Aleydis, filia Hugonis IV. Ducis Burgundiæ.

6. Ioannes I. Dux Brabantiæ & Limburgi: vxor Margareta, filia Guidonis Comitis Flandriæ.

7. Ioannes II. Dux Brabantiæ & Limburgi: vxor Margareta, filia Eduardi I. Regis Angliæ.

8. Ioannes III. Dux Brabantiæ & Limburgi: vxor Maria, filia Ludouici Comitis Ebroicensis.

9. Margareta Brabanta, Antuerpiæ Domina, vxor Ludouici Malani Comitis Flandriæ.

10. Margareta Flandriæ Comitissa, vxor Philippi Audacis Ducis Burgundiæ.

11. Ioannes Intrepidus Dux Burgundiæ: vxor Margareta, filia Alberti Bauari, Comitis Hannoniæ & Hollandiæ.

12. Philippus Bonus Dux Burgundiæ, &c. vxor Isabella, filia Ioannis I. Regis Portugalliæ.

13. Carolus Audax, Dux Burgundiæ: vxor Isabella, filia Caroli I. Ducis Borbonij.

14. Maria Ducissa Burgundiæ, nupta Maximiliano I. Imp. Austriaco, atauo Philippi IV. Regis Catholici.

Probationes.

Butkens in Troph. Brab. prob. p. 59.

EX Registro chartarum Brabantiæ: *Anno Dominicæ incarnat.* M. CC. VII. *quinto Idus Febr. indict.* XII. *acta fuerunt hæc apud Geilenhuzen, quæ inferiùs sunt annotata: Dominus* PHILIPPVS, *gloriosissimus Romanorum Rex semper Augustus,* VNAM *de filiabus suis dedit in matrimonio filio Ducis Brabantiæ: & illa filia succedet in hæreditatem paternam cum alijs filiabus Domini Regis secundùm ius & consuetudinem Theutoniæ, &c.*

Chronica

Chronica Auſtralis: PHILIPPVS *quondam Romanorum Rex habuit quatuor filias; quarum vnam* [Beatricem] *duxit Rex Caſtellæ & Hiſpaniæ* [Ferdinandus III.] *alteram Rex Bohemiæ; tertiam* OTHO *Romanorum Rex; quartam Dux Brabantiæ.* Ad an. 1217.

Magnum Chronicon Belgicum: HENRICVS II. [Dux Brabantiæ] *duxit coniugem* MARIAM, *filiam Sereniſſimi Domini* PHILIPPI *Rom. Regis, huius nominis II. quam habuit ex filiâ Imperatoris Conſtantinopolitani.* Folio 136.

Origo Philippi IV. Regis Catholici à Flandriis Græcorum Imperatoribus.

BALDVINVS Flandriæ & Hannoniæ COMES Byzantij creatus eſt Imperator Orientis anno M. CC. IV. coronatus à Thomâ Mauroceno Patriarchâ Veneto: cuius legitimum hæredem eſſe PHILIPPVM IV. Regem Catholicum, cum natalium prærogatiuâ, conſtat ex eius Stemmate, quod attulimus in Vindicijs Hiſpanicis. Cap. 4. & 10.

Poſtremò, Græcorum Imperium ad Paleologos tranſlatum eſt: è quorum ſtirpe poſtremus *Andreas Deſpotes Moreæ* Reges Catholicos Ferdinandum & Eliſabetham hæredes ſcripſit anno M. D. II.

Stemma Paleologorum, qui vltimi Græcorum Imperio potiti ſunt.

1. Manuel Paleologus iunior, Imperator Conſtantinopolitanus: vxor Helena, filia Conſtantini, Darci filij, Ducis Macedoniæ.

2. Ioannes VIII. Paleologus, Imp. ob. Conſtantinopoli an. 1445.	2. Thomas Paleologus Deſpotes Peloponeſi: ob. Romæ, ſepultus in S. Petri.	2. Conſtantinus XV. Paleologus, ab Othomano occiſus anno 1453.

3. Andreas Paleologus Moreæ Deſpotes; qui anno 1502. Reges Catholicos Ferdinandum & Eliſabetham hæredes ſcripſit: à quibus ius habet Philippus IV. Rex Catholicus.

Probationes.

HIERONYMVS Zurita de Andreâ Paleologo: *Pretendia pertenecerle a el de derecho, como a ſolo, verdadero y vnico heredero y ſucceſſor de* THOMAS PALEOLOGO *ſu padre, que fue legitimo heredero de* CONSTANTINO, *poſtrer Emperador de Conſtantinopla; porque no quedaua ninguno de los hijos de* CONSTANTINO *ſu* TIO, *ni del Deſpoto* [Thomas] *ſu padre, que reconocieſſe nueſtra ſanta Fe Catholica: y que en el ſolo* Hiſtor. Reg. Catholic. lib. 4. c. 39.

el solo quedaua el derecho de la succession de la casa y familia de los Paleologos. Para poner esto en esecucion, considerando que despues que por la violencia de los enemigos [Turcos] *fue echado de su casa, y del Estado de sus Aguelos; y que en su peregrinacion y destierro, teniendo recurso casi a todos los Reyes del Imperio Latino, entre todos ellos no hallò tanta honra y beneficio, como en el* Rey *y* Reyna d'España, *que le hizieron muchas y muy señaladas mercedes: y visto que en su ditado Real tenian el titulo de los Ducados de Athenas y Neopatria, cuya empresa y conquista seria mas facil a Principes tan poderosos desde el Reyno de Sicilia, y por los puertos de Calabria y Pulla, de donde tenian para la Morea el passo tan corto, que no dista sino por trezientas millas; y en lo antiguo casi siempre fue assi, que los que fueron Señores de aquellos Estados, tuuieron llana la entrada para la Morea; y de alli seria mas cierta la conquista de Thracia, y de Constantinopla, por la buena ventura de los* Reyes d'España, *que auian alcançado tan señalada victoria de los Infieles, sojuzgando la ciudad y Reyno de Granada; los quales por el ensalçamiento de la Religion, quando se vieron libres de aquella guerra, embiaron su armada contra el Turco, y con ella se cobrò la Isla de Cephalonia, que muchos años antes fue ganada por los Turcos: y teniendo cuenta con la confederacion, que auia entre las casas* d'España *y de* Austria, *affirmaua que no podia hallar otro Rey, de quien la Republica Christiana pudiesse prometerse mas cierta esperança en aquella empresa; ni que mas dignamente sucediesse en aquel derecho del Imperio y Reyno de la Morea, que el* Rey *y* Reyna d'España. *Por tan justas consideraciones como estas,* los nombrò è instituyò por herederos, y a sus sucessores y decendientes; *y suplicaua que acetassen aquella Prouincia de la recuperacion del* Imperio Griego, *como Principes a quien Dios pusò en tan gran Alteza; pues a ninguno, como a ellos, pertenecia tanta gloria. Esto dexò ordenado este Principe por este tiempo en su testamento a siete del Mes*
Anno 1502. *de Abril del año siguiente* M. D. II. *al cabo de sus dias, con zelo de muy Catholico y afficionado al beneficio de su Nacion; pensando que nuestro Señor abria el camino para su remedio; y que aquello podria ser que tuuiesse muy prospero sucesso: y mandòse enterrar en la Basilica de San Pedro, junto el tumulo del Despoto su Padre.*



LVMEN

LVMEN X.

Pro alterâ prærogatiuâ Catholici Regis, à dignitate Imperiali Maiorum eius Hispaniæ Regum.



AD latum huius prærogatiuæ campum pertinent singularia quæ subijcio. Lucas Tudensis de Alphonso VI: *Ad tantam deuenit gloriam, vt* IMPERATOREM HISPANIÆ *faceret se vocari.* De Alphonso VII: *Fecit congregari Episcopos & omnes Barones Regni sui in Legione, & imponere sibi coronam secundùm legem Dei & consuetudinem Regum priorum: ab illâ die vocatus est* IMPERATOR *Hispaniæ.* In Chron.

Albericus ad annum M. C. XVIII: *Tertio Kal. Ianuarij, quando sepultura traditus est* [S. IACOBVS] *inclytus* IMPERATOR HILDEFONSVS, *siue* ALFONSVS *nomine, bonâ memoriâ dignus, ita obseruabat celebritatem, quòd propter honorem* XII. *Apostolorum offerebat super altare Beati* IACOBI *annuatim* XII. *marcas argenti, &* XII. *talenta auri, &* NOVOS MILITES *faciebat, & conuiuium generale; ad quod conuocabantur per præconem & tubam.* In Chron.

Chartis Alphonsi VII. Imperatoris abundant Hispanica Tabularia: sed præ alijs insignes sunt & selectæ ex Historiâ Segobiensi istæ. Prima: *Ego* ADEFONSVS *Dei gratiâ* IMPERATOR *facio cartam donationis & confirmationis Domino Deo, & sanctæ Mariæ Secouiensi, &c. Facta carta Erâ* M. C. LX. *in mense Decembrio, in villâ quæ vocatur Frexano, regnante Domino nostro Iesu Christo, & sub eius imperio. Ego* ADEFONSVS *Dei gratiâ* IMPERATOR, *regnante me in Castellâ, & in Pampeloniâ, & in Aragon, & in Suprarbe, & in Ripacurciâ. Ego autem Petrus Bernardus, sub iussione Domini mei* IMPERATORIS, *hanc cartam scripsi, & hoc signum feci.* Colmenares cap. 14. §. 2. anno 1122.

II. *Facta carta in Zemorâ* V. *Idus Aprilis, Erâ* M. C. LXXIV. ADEFONSO IMPERANTE *in Toleto, in Legione, in Saragozâ, Naxarâ, Castellâ, Galiciâ. Ego* ADEFONSVS IMPERATOR *hanc cartam iussi fieri, & factam propriâ manu roboraui, in anno in quo* IN IMPERATOREM CORONATVS FVI. *Giraldus scripsit hanc cartam iussu magistri Hugonis, Cancellarij Imperatoris.* Cap. 14. §. 12. anno 1136.

III. *Ego* ADEFONSVS, *nutu Dei* HISPANIÆ IMPERATOR, *vnà cum coniuge meâ* IMPERATRICE *Dominâ* BERENGARIA, *&c. Facta carta in Palentiâ* VI. *Kal. Nouembris, Erâ* M. C. LXXIV. ADEFONSO IMPERANTE *in Toleto,* &c. vt suprà. *Ego* IMPERATOR ADEFONSVS Cap. 15. §. 1. anno 1136.

 hanc

hanc cartam, quam iussi fieri in anno secundo, quando CORONAM IMPERII *primitus in Legione recepi, confirmo, & manu meâ roboro.*

Anno 1144. IV. IMPERATORIÆ MAIESTATI *cognoscitur præ cæteris conuenire, vt si vel propter Episcopatuum terminos, vel propter aliquam aliarum rerum inuasionem, discordes inter se fuerint* SVI IMPERII *Pontificales Ecclesiæ, aut sua earum vnicuique iura reddendo, aut de suis regalibus, cui earum debuerit, quod iustum sit tribuendo, pacem inter eas, quam potuerit, studeat reformare: Huius rei gratiâ, Ego* ADEFONSVS IMPERATOR HISPANIÆ, *longæ ac laboriosæ Secoutensis & Palentinæ Ecclesiæ contentioni, inter eas pro Episcopatuum terminis existenti, condolens*, &c. *Facta carta Secouiæ anno nono* IMPERII *prædicti* ADEFONSI IMPERATORIS, *quinto Nonas Martij, Erâ* M. C. LXXXII.

Cap. 16. §. 11. anno 1144. V. *Ego* ADEFONSVS IMPERATOR HISPANIAE, *vnâ cum vxore meâ* IMPERATRICE *Dominâ* RICA, *& cum filijs meis* SANCIO *&* FERNANDO *Regibus*, &c. *Facta carta in Aulâ, Erâ* M. C. LXII. *quinto Kal. Februarij*, IMPERANTE *ipso* ADEFONSO *Toleti, Legione, Gallæciâ, Castellâ, Naxarâ, Saragoziâ, Beatiâ, & Almeriâ. Comes Barchilonæ, &* SANCIVS *Rex Nauarræ Vassalli Imperatoris.*

Doublet lib. 3. Histor. S. Dionys. Anno M. C. LVI. idem ADEFONSVS VII. Imperator totius Hispaniæ concessit Monasterio S. Dionysij in Franciâ villam quæ vocatur *Fornellos*, leucis quatuor à Burgis distantem, in viâ publicâ peregrinorum ad S. Iacobum. *Et hæc charta fuit facta in Palentiâ* IV. *Idus Ianuarij, Erâ* M. C. XCIV. *imperante ipso* ADEFONSO IMPERATORE *Toleto, Legioni, Galleciæ, Castellæ, Nauarræ, Saragociæ, Vetiæ, Almariæ, Andugariæ, Petrochæ: eo anno quo dictus* IMPERATOR *armauit filium suum Regem* FERNANDVM *Militem in Palentiâ, in festo Natalis Domini. Ego* ADEFONSVS *Dei gratiâ* TOTIVS HISPANIÆ IMPERATOR *hanc chartam, quam fieri iussi, propriâ manu meâ confirmo atque roboro, & signum proprium impono.* REX SANCIVS *filius* IMPERATORIS *subscripsit.* REX FERNANDVS *filius* IMPERATORIS *subscripsit. Comes Barceloniæ, &* SANCIVS *Rex Nauarræ,* VASALLI *Imperatoris subscripserunt. Ioannes Toletanus Archiepiscopus*, &c.

Lib. 5. c. 53. & 54. an. 1162. Continuator Aimoini de Ludouico VII. Franciæ Rege: *Constantiam filiam* IMPERATORIS HISPANIAE *coniugio sibi iunxit*. Subdit deinde: *Eisdem diebus* LVDOVICVS REX *Alexandrum Papam in pastorem cum omni Regno Franciæ suscepit. Cuius rei famâ circumquaque regiones petulante,* CONSTANTINOPOLITANVS ET HISPANVS IMPERATORES, *Rex Angliæ, Rex Hierosolymitanus, Rex Siciliæ, Rex Hungariæ, omnesque Reges Christianorum, sequentes Regis Ludouici exemplum,*

plum, cum debitâ reuerentiâ eumdem susceperunt. Eumdem obseruat ordinem Auctor Chronici S. Victoris Parisiensis; nisi quod Hierosolymitanum Regem præponit Angliæ Regi. Tunc igitur tres erant in Orbe Christiano Imperatores; FRIDERICVS I. Romanorum, MANVEL Comnenus Byzantinorum, & ALPHONSVS Hispanorum; qui Regibus omnibus dignitate præcellebant.

Zurita in Annalibus Aragoniæ: *En el año de* M. C. XXXV. *el Rey Don Alonso estando en la ciudad de Leon, tomò la corona è insignias del Imperio, como* EMPERADOR Y MONARCA DE TODA ESPAÑA, *pretendiendo, que los Reynos y Señorios della o eran suyos, o le deuian reconocer como a Señor Soberano*. Hæc ergo fuit vera ratio, cur Castellæ Reges cognominati fuerint *Imperatores*; tum quia plura Regna simul possidebant; tum quia plures alios Reges sibi obnoxios habebant, scilicet Aragoniæ, Nauarræ, Portugalliæ. Reges autem Franciæ Capetini numquam pro Vassallis habuerunt nisi Duces & Comites, qui cùm Imperium Romanum priùs recognoscerent, vi ad clientelare illud munus fuerunt adacti; vti Duces Burgundiæ & Britanniæ; Comites Campaniæ, Cabillonenses, Niuernenses, Pictauienses, Bononiæ, Autissiodori, Prouinciæ, Alboni, Delphini, Viennenses, Domini Bressiæ, & alij non pauci. Lib. 1. c. 55. Vide Matriculam Imperij apud Goldastum & Bertium.

Ad hæc opponit Assertor Primò, aliquot Franciæ Reges à Francis Scriptoribus nominatos fuisse *Imperatores*; atque in chartis quibusdam (in quibus tamen *Reges* dumtaxat nuncupantur) notatum esse annum illorum Imperij, non Regni. Verùm id ab Auctoribus & Notarijs assentatoriè factum, atque ex vocis abusu; ex quo Demetrius Phalereus omnes qui præsunt & gubernant vocat Ἄρχοντας, id est *Imperatores*. Reges autem Hispaniæ auctoritate Apostolicâ se inscripserunt, & reuerà dignitate fuerunt Imperatores, non vanâ tantùm tituli vsurpatione. p. 174. 176. Libro Περὶ ἑρμ.

Opponit Secundò Assertor, Albertum I. Romanorum Regem Austriacum, cum Philippo Pulchro Rege Franciæ fœdus ineuntem anno M. C. XCIX. spondere nominatim, *quòd inter Nos ac heredes, successores nostros, Francorum Reges; seu Imperatores, pacis & fidelis amicitiæ fœdera perpetuis duratura temporibus seruabuntur*. Vbi censet Dominicus Imperatorium nomen præcedentis interpretatiuum esse; vel certè illo loco Reges Franciæ Imperatoribus præferri. Sed neutro modo Alberti sensum Assertor est assecutus, quem germanum hunc esse arbitramur. p. 177.

Quia fœdus perpetuum sanciebatur inter Albertum Romanorum Regem, eiusque heredes ac successores ex vnâ parte; & Philippum

Regem Francorum, eiusque hæredes ac successores ex alterâ; post verba *Francorum Reges*, cautè adiectum fuit, *seu Imperatores*; casu quo Imperium ad quempiam ex Francis Regibus aliquando transferretur. Alioqui si Reges Francorum in eo Regno *Imperatores* agnouisset Albertus, ipsum Philippum nominasset *Franciæ Imperatorem*; quem *Regem* dumtaxat vocauit in Pacti principio, quod est eiusmodi: ALBERTVS *Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, &c. Nos, & Serenissimus Princeps* PHILIPPVS *Dei gratiâ Rex Francorum, &c.* Tum etiam in fine, qui est talis: *Et hæc omnia præmissa & singula promisimus pro* NOBIS, *nostrisque hæredibus successoribus, in Romano Regno Nobis succedentibus, prædicto* REGI FRANCORVM, *suisque hæredibus successoribus, sibi in* REGNO FRANCIAE *succedentibus, firmiter obseruare*, &c. Non ergo ex illius fœderis verbis causâ cadit Vindex Hispanicus, quin potiùs Gallicus Assertor nihil inde sibi lucratur.

Papyr. Masso. lib. 3.

Opponit Tertiò Dominicus, antiquiores Francorum Reges idem cum Cæsaribus Romanis gestasse capitis ornamentum, lineam nempe margaritinam, in diadematis modum crinibus circumductam: quod probat antiquis Imperatorum numismatis, Arcadij, Honorij, Theodosij, & aliorum. Quid si ostendam ego eumdem quoque Tyrannis fuisse capitis cultum? *Tyrannos* antiqui vocabant alienæ ditionis vi vel dolo raptores & vsurpatores. Iam æuo suo scribebat Lampridius, *Gallicam nationem* MINVSCVLIS IMPERATORIBVS *semper fuisse subiectam*; id est inglorijs, ac Romani dominij inuasoribus; *quorum audaciam, & bellum, in quo victi sunt, ac pœnam proferre, Historicis sat fuit*. Sed & sequioribus etiam sæculis Imperatorium nomen in Gallijs plerique vsurparunt, ac velut inania scenæ triumphantis simulacra *ornatus assumpserunt Regios*; nempe coronam radiatam, vel lauream; & postremi quidem (qui Francis tempore propinquiores fuerunt) margaritinam aut gemmeam vittam. Ecce tibi è Flauissis meis numismata ipsis cusa; Eugenio & Constantino aurea; Victori, Iouino & Sebastiano argentea, reliquis omnibus ærea.

p. 149.

In Alexandro Seuero. Spartianus in Pescen. Nigro.

Greg. Turon. l. 2. c. 9. P. Orosius l. 7. c. 42.

Numismata

Numiſmata Tyrannorum in Gallijs.



At homines ſceleſti vt oſtentati populis, ſic abrepti, & à Romanis miſerè interfecti ſunt. Proſper Aquitanus: MAXIMVS *Tyrannus* In Chron. *à Valentiniano & Theodoſio Impp. in tertio ab Aquileiâ lapide* SPOLIATVS INDVMENTIS REGIIS *ſiſtitur, & capite damnatur: cuius filius* VICTOR *eodem anno ab Arbogaſte Comite eſt interfectus* IN GALLIIS. Idem Proſper: *Theodoſius* EVGENIVM *Tyrannum vincit, & perimit.* Idatius Epiſcopus: CONSTANTINVS *poſt triennium inuaſæ tyrannidis* In Chron.

 ab

ab Honorij Duce Constantio INTRA GALLIAS *occiditur.* Gregorius Turonensis: *Ex vlteriori Gallia nunciij veniunt,* IOVINVM *adsumpsisse* ORNATVS REGIOS. Iterùm Prosper: IOVINVS & SEBASTIANVS *fratres in* GALLIIS REGNO ARREPTO *perempti sunt.* Id ab Honorij Ducibus Narbonæ factum notat Idatius. Itaque felicior fuit MEROVEVS vester, qui Regnum in Gallijs Romano Imperio ereptum ad posteros transmisit. Ita in Iuuenale obseruo:

Loc. cit.

Satyrâ 13.

——— *Multi*
Committunt eadem diuerso crimina fato:
Ille CRVCEM *pretium sceleris tulit, hic* DIADEMA.

Opponit Quartò Assertor sigilla Hugonis, Roberti & Philippi Regum; in quibus eorum imago exprimitur *pomum aureum* manu gestans; quod, inquit, est imperij nota peculiaris. Falleris, Dominice; *pomum* enim (quod forte *puniceum*, tu *aureum* fuisse affirmas) symbolum etiam erat abundantiæ & fertilitatis, quia pro omni fructuum genere solebat vsurpari. Richardus, Henricus, & Eduardus, Angliæ Reges; Maria item Angliæ Regina; nec non & Renatus Siciliæ Rex, pomum sinistrâ manu præferunt in sigillis; quæ ex veteribus ceris edidit Oliuarius Vredius: illi tamen in suis Regnis Imperatores non erant.

In Geneal. Flandriæ.

Præterea dum Ferdinandus Austriacus in Regem Bohemiæ fuit inauguratus Pragæ anno M. D. LXII. post gladium, annulum, & sceptrum, Archiepiscopus POMVM, *typum Regni, sinistræ eius inseruit:* notam scilicet Regni bonis circumfluentis, non autem Imperij; cuius Bohemiæ Rex membrum dumtaxat erat.

Modius Pandect. lib.4.c.21.

Opponit Quintò & vltimò Dominicus aliquid esse amplius, Regis Francorum fratrem esse quàm Imperatorem: quæ verba Roberto Attrebatensi, D. Ludouici Regis fratri, à Gregorio IX. Summo Pontifice dicta comminiscitur. Ecce rem exponam vt verè acta fuit.

p. 210.

Gregorius IX. Papa FRIDERICVM II. Imp. à culmine Imperij abiudicauit, & ROBERTVM Artesiæ Comitem, S. Ludouici Regis fratrem, substituendum elegit. Ad quod inito consilio Franci inter alia responderunt, *Nolle se in tanta pericula præcipitare, vt* FRIDERICVM, *Magnum Imperatorem, tamque potentem Principem,* QVO NON EST MAIOR, *impugnarent; quem* TOT REGNA *iuuabunt, & causa iusta præstabit adminiculum.* Adiciunt igitur Imperatorem Nuntij Francorum solemnes, & hæc ad illum verba habuerunt, si Matthæo Parisio fides: *Nolit Deus, vt vmquam ascendat in cor nostrum,* VT ALIQVEM CHRISTIANVM SINE MANIFESTA CAVSA IMPV-

M. Paris Hist. Angl. anno 1239.

IMPVGNEMVS: *nec nos pulsat ambitio. Credimus enim Dominum nostrum Regem Galliæ, quem linea Regij sanguinis prouexit ad Sceptra Francorum regenda, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio prouehit voluntaria. Sufficit Domino Comiti* ROBERTO *fratrem esse tanti Regis.*

Si vera sunt hæc à Parisio relata, Franci pugnantia locuti sunt: postquam enim *Fridericum* vocarunt *Magnum Imperatorem, & Principem, quo non erat maior,* Regem suum Imperatore fecerunt excellentiorem. Illis tamen postremis verbis (haud dubiè fictis; & quæ ad os amici Imperatoris proferre insolens fuisset) vtitur Assertor, vt Regum suorum supra alios euehat maiestatem. Audiendus Albericus, qui viuebat & scribebat cùm illa peracta sunt: *In Cœna Domini* Anno 1241.
Rex Daciæ WALDEMARVS *decessit; qui regnauit anno vno minus de quadraginta. Tres filios reliquit, Regem* ERICVM, *Ducem* ABEL; *& Comitem* CHRISTOPHORVM. *Istum* ABEL *voluit aliquando Papa Regem Allemaniæ contra Imperatorem constituere: quo recusante, cùm non haberet tot & tanta quibus se Imperatori opponeret; Duce etiam* OTTONE *de Brunswik similiter recusante, ac dicente, quòd nollet mori simili morte, quâ patruus suus* OTTO *fuit mortuus. Tandem res tota de mandato Papæ delata fuit ad Dominum* ROBERTVM, *fratrem Regis Franciæ: sed de consilio & prudentiâ* MATRIS *opus intactum remansit.* Hæc Albericus Franco-gallus, eorum quæ Francum Principem spectabant magis conscius quàm Matthæus Anglus. Sic ergo res verè se habuit: Oblatus fuit supremus ille honoris gradus ROBERTO Atrebatensi Comiti, S. Ludouici Regis fratri; quem BLANCA prudens mater inhibuit; tum quia id prohibebant fœdera inter FRIDERICVM II. Imp. & Franciæ Reges inita annis M. CC. XII. & M. CC. XXIV. tum etiam propter bella & pericula subeunda ad Cæsarem loco mouendum: non autem quòd sperneret supremæ in Orbe dignitatis Imperatoriæ culmen, aliàs à plerisque Francorum Regibus tanto ambitu frustrà quæsitum.



LVMEN

LVMEN XI.

Nulla sunt Francorum iura in Hispaniam ex parte Blancæ S. Ludouici matris.

FACVLA I.

Soluuntur argumenta quæ attulit aduersarius pro falsâ Blancæ Reginæ ætatis prærogatiuâ.



ASSERTORIS munere malè fungitur Dominicus, qui vel immemor sui, vel cum terræ tuberibus agere se existimans, asseuerat & inficiatur in eodem argumento. Ille siquidèm Ioannem Monachum maioris Monasterij reiiciendum putat, *quòd de rebus à se remotissimis scribat*, infertque ex
p. 13. illo, neminem, nisi inconsultè, citri quidquam affirmare posse.
p. 95. Alio loco Flandriæ Chronicon à Sauuagio editum, de his, *quæ tribus ab inde sæculis gesta sunt*, negat indubitatam fidem facere potuisse.
p. 97. Denique Recentiorum testimoniis parum aut nihil tribuit, quamdiu suppetunt firmiora, superiora ætate, & maioris auctoritatis. Hoc au-
p. 198. tem loco, vt probet BLANCAM, Alphonsi VIII. Regis filiam, sorore BERENGARIA natu maiorem fuisse, adducit Hieronymum Zuritam, Franciscum Tarapham, Ioannem Marianam, & Stephanum Garibayum: qui omnes vtraque Reginâ longè posteriores vixêre: siquidem sorores illæ sæculo decimotertio; eiusmodi verò Scriptores decimosexto. Adeoque rerum remotissimarum testes ex ipsiusmet mente nullius sunt momenti. Sed Marianam præ cæteris extollit, cuius eo maior auctoritas, quòd ex Regij Senatus præcepto eius Historia fuerit approbata. Verùm si inde maior illius auctoritas, tua certè minor, Dominice, qui Historicam disceptationem in lucem emiseris nullâ auctoritate publicâ approbatam, ne Ecclesiasticâ quidem. Hinc etiam apparet quantum iudicij ad scribendum attuleris, qui tibi ipsi toties puluerem moueas, & noxia arcessas. Augustini enim Barbosæ Lusitani, vt in Vindicijs ostendi, Opus prodijt Lugduni auctoritate Pontificiâ Regiâque, in quo, quàm iustis encomijs Philippum IV. Regem Catholicum supra cæteros extulerit, tute nosti. Taceo Ioannem Marianam, virum alioqui magnum, Talabricæ in agro Toletano natum patre Franco-gallo: quòd si Concilium Hispanicum resciuisset, attentiori fortassis examine scripta eius discussisset.

Vide Petri Mantuani Animaduersiones in Marianam.

Fratrem

Fratrem Ptolomæum de Lucâ nondum vidi; cuius germana verba non profers: ea certè si sensu à te allato concepta sunt, in rebus Hispanicis grauiter errauit Italus homo; eiusque malam fidem secuti alij, P. 188.

Sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & porrigine porci.

Alter tuus testis Rodericus Santius duobus sæculis Reginas secutus est: sed nec ille tibi fauet, vbi disertè scripsit, *Regnum Castellæ naturali optimoque iure* BERENGARIAE *debitum fuisse; quia erat* FILIA PRIMOGENITA *Alfonsi VIII. Regis.* Vnde lacinia illi falsò inserta, quam sequeris, nullam meretur fidem; quia ipsimet Auctori & Historicæ veritati contraria est, cùm ob Castellæ Regnum inter Alfonsum IX. & S. Ludouicum Reges nulla vmquam discordia orta fuerit; quam alioqui Scriptores vestri minimè prætermisissent. Parte 3. c. 39. Parte 4. c. 4.

Insuper in quadripartito Roderici Santij Volumine legitur, THERASIAM, *Alfonsi VI. Regis filiam, nupsisse* HENRICO *Comiti Lotharingiæ*: qui tamen *Henricus* erat de stirpe Ducum Burgundiæ. Legitur præterea, FERDINANDVM III. *Regem duxisse* BEATRICEM, *filiam Ducis Brabantiæ.* Erat autem *Beatrix* filia Philippi Ducis Sueuiæ & Romanorum Regis. Sed & alia eiusmodi occurrunt menda, quæ arguunt Santium vel minùs accuratum fuisse, vel eius Historiam ab amanuensibus malè habitam, & fœdè interpolatam. Parte 3. c. 29. & 39.

Quod attinet ad litteras Nobilium Hispaniæ, quarum exemplar adfers, dico iterùm illas nihil testari, præterquam, viros illos fuisse turbatores & falsarios, ex eorum numero, qui ab obitu Alphonsi VIII. Regis *effrænatis studiis, & laxatis habenis licentiæ, quò libuit abierunt, & nihil sibi retinuerunt, cùm thesauros verecundiæ amiserunt.* Minorem enim Henrici Regis ætatem seditiosi contemnebant, *quæ grauissimorum motuum occasio extitit: plerique enim summæ rerum præesse cupiebant, & alieno nomine regnare; nonnulli etiam suo: omnia rapim & violenter agebantur; neque legum, neque temporum, ac ne periculi quidem ratio habebatur.* Roder. Tolet. l. 8. c. 15. Mariana lib. 12. c. 4. & 5.

FACVLA II.

Primatus nascendi Berengariæ Reginæ firmatur: Primò, ex Auctoribus planè coætaneis; ex antiquis Hispaniæ Chronicis & Genealogiis.

VT probarem Berengariam Reginam Blancâ natu priorem fuisse, testes produxi Hispanos, Francos æquales, facti conscios, & omni exceptione maiores. Primùs fuit Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus; qui disertè scripsit, *Berengariam* (cuius tem- Lib. 9. c. 5.

 pote

pore ipse florebat; & in aulâ continuò versabatur) *inter Regis filias* PRIMOGENITAM *fuisse; ipsique, decedentibus filiis, Regni successionem debitam. Et hoc ipsum*, addit, PATRIS PRIVILEGIO *probabatur, quod in Armario Burgensis Ecclesiæ seruatur.* En ortum Berengariæ priorem Patris declaratione confirmatum. Nihilominùs ad illa magni Roderici verba sic effrons loqueris : *Suam aduersus seipsum perhibet obiectionem, dum Ferdinando III. ad quem eius mater Berengaria Regnum transtulerat, Historiam suam inscribit. Nec enim honestatis ratio pati poterat, vt eum, cuius partes sectaretur & commendaret, scripto suo probaret inuasorem.* Honestati mendacium ita copulas, Dominice, vt teipsum insinues cum honestate mentiri. Huius nouæ & impiæ Ethices magistrum te non audiuimus; & longè minùs magni Præsulis Manes insectantem, qui pietate, doctrinâ & morum integritate conspicuus, in Concilio Lateranensi IV. Patribus fuit admirationi: qui omni laude cumulatus, hoc sepulchrale promeruit Elogium: *Mater Nauarra: Nutrix Castella: Schola Parisius: Sedes Toletum: Hortus Mausoleum: Requies cœlum.* Verè ergo dixit magnus Archipræsul Berengariam primogenitam fuisse; tu improbè tentasti criminatione falsâ eius famæ notam inurere.

p. 187.

Anno 1215. Schottus. Miræus.

Roderici porrò fides firmatur testimonio alterius in Hispaniâ Episcopi, Lucæ Tudensis, Auctoris etiam synchroni; qui sic in Vitâ Alphonsi Boni Regis: *Filiam suam* PRIMOGENITAM BERENGARIAM *dedit Alphonso Regi Legionensi in vxorem: dedit Ludouico Regi Francorum filiam suam Blancam.* Idem iterùm in Vitâ Ferdinandi sancti Regis: *Castellæ Nobiles Regnum* BERENGARIAE *Reginæ tradiderunt, eò quòd erat* PRIMOGENITA *Alphonsi Regis Castellæ; & ipsa tradidit Regnum filio suo Fernando.* Ita vir non aurâ vulgi, aut fortunæ fauore, sed proprijs animi dotibus æstimandus. Verùm per me licet, Dominice, Præsul Lucas assentationis insimulari possit, quòd Berengariam Principem suam in ipso scriptionis suæ vestibulo alloquatur: Tu qui possis effugere peiorem notam, qui librum Regi tuo mercede inscripsisti?

Alter testis meus locuples fuit Albericus, Stemmatum sui temporis primarius interpres. ille ad annum M. CC. III. sic loquitur: *De sorore Regis Richardi* [Angliæ,] *quæ dicta est Alienor, nata est Domina* BLANCA *Regina Franciæ, mater istius* LVDOVICI *qui regnat in præsenti.* Non iam negabis Albericum ætate parem fuisse. Ille autem postcà ad annum M. CC. XII. dum Alphonsi VIII. Regis filias enumerat, ponit primo loco *Berengariam Castellæ*, secundo *Vrracam Portugalliæ*, terrio *Blancam Franciæ*, quarto *Alienoram Aragoniæ*, Reginas.

Et

Et adhuc illum vt externum, & in rebus Hiſpaniæ minimè verſatum non admittis, Dominice, tu qui ad firmanda Regni Franciæ iura adduxiſti Agathiam Græcum, Guillelmum Tyrium natione Syrum, Pariſium Anglum, Baldum Italum, Froiſſartum Auſtraſium, & alios. At ne quidem de rebus externis Albericus Franco-gallus egit, vbi Blancæ Francorum Reginæ natales recenſuit; qui à nullo alio æquali Franco primi ſunt aſſerti, nec Berengariæ poſteriores adducti; nec Ferdinandus III. Berengariæ filius vſurpator nuncupatus; nec pro Blancæ iure in Hiſpaniam vlla querela, ne dicam lis commota.

Ille idem ordo natalium Blancæ Reginæ ab Alberico tertius inter filias indicatus obſeruatur in Chronico generali Hiſpaniæ, cuius hæc ſunt verba: *Eſtos Nobles, Don Alonzo Sanches Rey de Caſtilla, y Doña Leonor ſu muger, houieron fijos: è conuiene a ſaber, quantò* LA PRIMERA *fue la Noble Infanta Doña* BERENGVELA, *que fue deſpues caſada con el Rey Don* ALFONSO *de Leon, como lo contara adelante la Hiſtoria: è fueron deſpues partidos por la Igleſia, ſegun adelante ſera dicho: y luego que eſta Infanta Doña* BERENGVELA *fue nacida, el Rey Don Alfonſo ſu padre andò a fazer Corte en Burgos, y fizòla jurar por heredera del Reyno, y fue hecho ende priuilegiò, è dato en fieldad y guarda en el Monaſterio de las Huelgas de Burgos. En pos deſta Doña* BERENGVELA *ouieron fijo varon, a quien dixeron Don* SANCHO, *a quien fizieron homenage luego los de la tierra, è lo recibieron por heredero, mas luego à pocos dias finò: è fizieron otroſi, que eſte Infante Don Sancho fue finado, otra vez omenaje à la ſobredicha Doña* BERENGVELA *los del Reyno, otorgandoſe priuilegio. En pos d'eſte Don Sancho ouieron* OTRA FIJA, *que ouo nombre Doña* VRRACA, *que fue muy formoſa Infanta: eſta fue caſada con Don* ALFONSO *Rey de Portugal. En pos d'eſta Doña* VRRACA *ouieron* OTRA FIJA *Doña* BRANCA, *è ſegun cuenta la Hiſtoria, era muy apueſta; è ſobre todo era de buen donayre: era muy nobre en ſi, como quier que la dicha Doña Vrraca con ſu hermana lleuaua la prez. Eſta Doña* BRANCA *fue caſada con el Rey Don* LVIS *de Francia.* p. 4. c. 9.

Chronicon MS. paris cum Reginis æui, quandoquidem definit in Rege Ferdinando Sancto, narrat; *Que el Rey Don Alfonſo fezo ſua vida muy boa, e muy limpia con ſua moller Doña Leonor: ouo fillos en ella eſtos que vos diremos.* A PRIMERA *Doña* BERENGVELA, *que foy Reyna de Leon, aſſi como hauedes oydo. Depois Don* SANCHO, *que viue poco. Depois* VRRACA, *que foy caſada con el Rey Don Alfonſo de Portugal. Depois Doña* BLANCA, *que foy caſada con el Rey Don* LVIS *de Francia.* Ex Biblioth. Coneſtab. Caſtellæ. P. Mantuanus lib. cit.

Perantiquum Stemma Roderici Diaz de Viuar, nuncupati *El Cid*, repertum anno M. D. XII. in Monaſterio S. Petri de Cardeña: *Eſte Rey* Obſeruatū à D. Laur. Ramires de Prado.

Rey Don ALONSO *el Noble de Castilla casò con la Reyna Doña* LEONOR, *hija del Rey Don Enrique de Inglaterra, y tuuo en ella estos fijos: primeramente a Doña* BERENGVELA, *que fue Reyna de Leon: despues al Infante Don* SANCHO, *que viuiò poco: despues a Doña* VRRACA, *que fue casada con Don Alonso de Portugal: despues a Doña* BLANCA, *que fue casada con Luys de Francia.* Vides ergo ex istis monumentis, Dominice, Albericum in rebus Hispanicis à vero non aberrasse, dum Blancam tertio loco genitam statuit, quam tu in primo natiuitatis ordine malè collocas, falso stemmate ad id instituto.

Vt porrò ampliùs agnoscas, etsi inuitus, prærogatiuam natalium præ Blancâ ad Berengariam attinuisse; ecce tibi alia, quæ id ipsum

Cap. 6. firmant. Chronicon Sancti Regis Ferdinandi: *Los caualleros, como los Procuradores de los pueblos, recibieron por Reyna y Señora à la Noble Reyna Doña* BERENGVELA, *assi à heredera del Reyno, pues sus hermanos eran fallecidos: y ella quedaua por* PRIMOGENITA HEREDERA; *y aun allende d'esto tenia vn priuilegio del Rey Don Alonso su padre, el qual estaua bien guardado en la Yglesia de Burgos.*

P. Mantuanus lib. cit. Codex manu exaratus, qui ante annos ducentos fuit Comitis de Haro, & nunc seruatur in Bibliothecâ Medinæ de Pumar: *Ajuntaronse en Valladolid todos los ricos homes è fijos-dalgo de Castilla, è los de los Consejos, è los mayores de toda Estremadura; è dieron el Reyno de Castilla, assi como deuian, a la Reyna Doña* BERENGVELA, *que era* FIJA MAYOR, *heredera del Noble Rey Don* ALFONSO; *a quien pertenecia el Reyno, segun que era derecho, è segun se prueua por el priuilegio del Noble Rey Don Alfonso, que estaua con guarda con otros priuilegios en la Yglesia de Burgos, que en vida del Padre lo fizieron.*

Obseruatum ab Illmo D. Fr. Manso Archiep. Burgensi. fol. 7. Tabula Genealogica Regum Hispaniæ per F. Ioannem de Areualo, Cœnobij S. Petri de Cardeña Priorem maiorem, aliàs delineata: *Don* ENRIQVE I. *de Castilla no dexò hijos, y assi le sucediò Doña* BERENGVELA SV ERMANA MAYOR, *muger de Don* ALONSO *el Noueno Rey de Leon.* Eadem repetit idem Auctor in Chronico suo MS. Regum Gothorum, Comitum & Regum Castellæ, cuius apographum extat in Gondomarij Comitis Bibliothecâ.



FACVLA

FACVLA III.

Antecessio natalium Berengariæ Reginæ firmatur Secundò; ex ratione Chronologiæ.

Verum Stemma prolium Alphonsi VIII. Regis.

Alphonsus VIII. Rex Castellæ & Toleti, natus anno 1155. Sancio patri successit anno 1158. vxorem duxit Alienor Anglicam 1170. obijt 1214.

1. Berengaria desponsata (sed incassum) Conrado Duci Sueuiæ anno 1188. nupta dein Alphonso IX. Regi Legionis anno 1197. Fit Regina Castellæ anno 1217. Cedit Regnum Ferdinando filio, eodem anno.

2. Sancius natus anno 1181. obijt puer.

3. Vrraca nupta Alphonso II. Regi Lusitaniæ anno 1206.

4. Blanca nata anno 1188. nupta Ludouico VIII. Franciæ Regi anno 1200. cùm esset annorum 12. obijt 1251. ætatis 63.

- Philippus natus anno 1209. obijt sine prole.
- S. Ludouicus IX. Rex Franciæ natus an. 1215. ob. 1270.

5. Ferdinandus natus anno 1190. obiit 1211.

6. Alienor nupta Iacobo I. Regi Aragoniæ anno 1221.

7. Henricus natus anno 1203. Rex Castellæ post patrem anno 1214. obijt 1217. ἄπαις; cui successit Berengaria Regina Legionis.

Ferdinandus natus 1199. vel 1200. Fit Rex Castellæ ex matris cessione 1217. ætatis suæ 18. Obijt Rex Castellæ & Legionis anno 1252.

Probationes.

BERENGARIA.] Rodericus Toletanus de Alphonso IX. Rege Legionensi: *Circa principium Regni sui venit ad Regem Castellæ* [Alphonsum VIII.] *& in Curiâ Carrionis, accinctus ab eo cingulo militari, manum eius fuit in plenâ Curiâ osculatus. Et in eâdem Curiâ Rex Castellæ Nobilis* ALDEFONSVS CONRADVM, *filium Friderici Imp. Romani, accinxit similiter cingulo militari; &* FILIAM SVAM PRIMOGENITAM BERENGARIAM *eidesponsauit. Sed ipso Conrado in Teutoniam reuertente, prædicta Domicella desponsationi continuò contradixit: & per Gundisaluum Toletanum Primatem, & Gregorium S. Angeli Diaconum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, diuortio celebrato, puella* BERENGARIA *mansit innupta.* Lib. 7. c. 24. anno 1188.

Ioannes Mariana de Comitiis iisdem Carrione congregatis: *Affuêre in ijs conuentibus* CONRADVS, *Friderici Aug. cognomento Aënobarbi filius, religionis ergò in Hispaniam appulsus; Raymundus Flacada Tolosæ* Lib. 11. c. 17. anno 1188.

losæ Comes: vtrique honorificum fuit ab Rege militiæ honore donari. CONRADO *præterea* BERENGARIA *Regis filia pacta; neque nuptiæ tamen peractæ, cùm puella proficisci in Germaniam recusaret, gentis mores aut longum iter exosa.*

Baron. anno 1191. n. 12. Rogerus de Houeden anno M. C. XCI. de Cœlestini III. PP. exordiis: *Eodem anno fuit laborandum eidem Cælestino Papæ in dissolutione matrimonij inter Reges Hispaniarum; cùm videlicet* SANCIVS *Rex Portugallensis dedit* TARSIAM *filiam suam* ADELFONSO *Regi Galliciæ, nepoti suo, in vxorem; de quâ genuit tres filios. Et licet post* CLEMENTEM COELESTINVS *Papa multùm laboraret vt separarentur; tamen tenuit eam contra Deum & prohibitionem Domini Papæ per quinque annos. Interim surrexit in prædictum Regem de S. Iacobo* ADELFONSVS *Rex Castellæ, & coëgit eum relinquere vxorem suam, filiam Regis Portugallensis; & dedit ei propriam filiam in vxorem permissione Domini Papæ Cœlestini pro bono Pacis.* Illud ergo Alphonsi & Berengariæ matrimonium celebratum est anno M. C. XCVII. sed quia dispensatio malè obtenta fuerat, reuocauit illam Innocentius III. Sic enim iam laudatus Rogerus anno M. C. XCVIII: *Defuncto Papâ Cælestino* INNOCENTIVS PP. III. *substitutus, iterùm suspendit* ALDEFONSVM *Regem de S. Iacobo & totam terram suam à celebratione diuini Officij propter vxorem suam, filiam Regis Castellæ: erant enim consanguinei in tertio gradu.* Abrahamus Bzouius eodem anno de PP. Innocentio: *Incestuosum inter* ALPHONSVM *Regem Legionis &* BERENGARIAM, *filiam Regis Castellæ, connubium dissolutum esse voluit.* Addit Andreas Chesneus, Innocentium ob eamdem causam contra Alphonsum Regem Legionis Bullam edidisse Pontificatus sui anno secundo, hoc est Christi M. C. XCIX. Albericus tamen post enumeratas ordine Alphonsi VIII. Castellæ Regis filias sic loquitur: *Sciendum est, quòd dicta* BERENGARIA *& maritus eius Rex* ALFVNSVS *in secundo & tertio gradu fuerant: quod matrimonium licet Papa Innocentius III. de necessitate primò concessit, tamen postquam liberos fecerunt illud prohibuit.* Postremam hanc connubij diremptionem Martinus Catrillus, Abbas Montis Aragonis, contigisse notat anno M. CC. IX.

(Marginal notes: Anno 1197. — Anno 1198. — Num. 5. — In Histor. Pontif. in Innoc. III. — Anno 1199. — Sub an. 1212. — Lib. 4. Annal.)

Obijt postmodum Alphonsus VIII. Castellæ Rex anno M. CC. XIV. cui successit HENRICVS filius eius eodem anno; sed qui absque liberis mortuus est anno M. CC. XVII. Itaque *Vallisoletum Reges abierunt, municipium in Vaccæis amplum & validum; in eo ex vniuersâ ditione conuentus generales agitati sunt;* OMNIVM ORDINVM CONSENSV *& sententiâ pronuntiatum,* BERENGARIAM *Regni Castellæ à morte fratris* IVSTISSIMAM HÆREDEM *esse: quod patre superstite*

(Marginal note: Mariana lib. 12. c. 7.)

superstite semel atque iterùm fuerat declaratum, vt Rodericus Præsul est auctor.

Regina autem BERENGARIA FERDINANDO filio suo eodem illo anno Regnum Castellæ cessit, *qui omnibus approbantibus ad Ecclesiam S. Mariæ ductus est, & ibidem ad Regni solium sublimatus anno ætatis suæ decimo octauo.* Natus ergo erat Rex iste Ferdinandus, Berengariæ filius, anno M. C. XCIX vel, vt sentit Quintana Dueñas, M. CC. quo eodem anno Blanca eius matertera cum Ludouico Franco coniugium iniuit. Rodet. Tolet. lib. 9. c. 5. anno 1217. In Vitâ S. Regis Ferdinandi.

VRRACA.] Scriptores aliquot Hispani tradunt, Philippum Franciæ Regem, Ludouici patrem, Legatos misisse ad Alphonsum VIII. Castellæ Regem, vt ex eius filiabus alteram peterent, *Vrracam* aut *Blancam*; illos porrò *Blancam* elegisse; *Vrracam* verò maiorem natu & formosiorem neglexisse; propterea quòd *Vrraca* Picam mali ominis auem significabat. Garibay l. 25. c. 57. Alphonsus Venetus, & alij.

Mirè inconstans Garibayus, vno loco (sed perperàm) *Vrracam* facit filiam Alphonsi Regis primo loco genitam, alio loco veriùs secundo natam, & istis quidem verbis: *En el año* M. CC. VI. *estando el Rey Don* SANCHO [de Portugal] *en toda paz y amor con Don* ALONSO *Rey de Castilla, se tratò casamiento entre el Infante Don* ALONSO *primogenito, y heredero del Reyno, y Doña* VRRACA, *Infanta de Castilla,* HIJA SECVNDA *del dicho Rey Don* ALONSO: *y se concluyò en el mismo año.* Lib. 12. c. 24. Lib. 34. c. 16.

BLANCA.] Albericus anno M. CC: *Pax firmatur inter duos Reges* [Franciæ & Angliæ:] *&* LVDOVICVS *filius Regis Franciæ duxit* BLANCAM, *filiam* ALFONSI *Regis Castellæ, neptem ex sorore Regum Angliæ Richardi & Ioannis.* Anno 1200.

Rogerus de Houeden distinctiùs eodem anno: *In Octauis Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ* PHILIPPVS *Rex Franciæ &* IOANNES *Rex Angliæ conuenerunt ad colloquium inter Butauant, Castellum Regis Angliæ, & Galetum, Castellum Regis Franciæ, xj. Kal. Iunij, Feriâ secundâ. In quo colloquio reddidit Rex Franciæ Ioanni Regi Angliæ ciuitatem Ebroicarum, & totum Comitatum, & omnia Castella, & ciuitates, & prædia, quæ occupauerat in Normanniâ per guerram, & in alijs terris Regis Angliæ: &* IOANNES *Rex Angliæ statim deuenit inde homo Philippi Regis Franciæ: & in continenti dedit vniuersâ illa* LVDOVICO *filio prædicti Regis Franciæ* IN MARITAGIVM *cum nepte suâ, filiâ* ALDEFONSI *Regis Castellæ. Et in crastino, scilicet x. Kal. Iunij, Feriâ tertiâ, prædicta filia Regis Castellæ desponsata est* LVDOVICO *filio Philippi Regis Franciæ apud Purmor in Normanniâ.* Parte 2. eod. anno.

Scribunt

Lib. 6. c. 10. Scribunt San-marthani, Ludouicum VIII. Franciæ Regem cum Blancâ coniugium iniuisse anno M. CC. deinde ex Historiâ Comitum Montisfortis notant, *Blancam Franciæ Reginam diem suum obijsse* XXVI. *Nou. anni* M. CC. LI. *Meloduni; anno ætatis* LXIII. Vnde colligi datur, Blancam, cùm Ludouico nupsit anno M. CC. annum ætatis egisse duodecimum; & sic natam anno M. C. LXXXVIII. quo Berengaria soror eius Conrado Sueuiæ Duci desponsata fuerat, & in Germaniam proficisci recusauerat; cùm Blanca tum primùm lucem aspiceret.

ALIENOR.] Hieronymus Blanca de Iacobo I. Aragonum Rege: *Anno ætatis suæ* XIII. *Natalis Christi* M. CC. XXI. ELEONORAM, *Alphonsi Castellæ Regis filiam, uxorem duxit;* Alphonsi nempe VIII. non IX. Alphonsus enim Rex Aragoniæ, sponsus Vrracæ, non nominatur inter Reges Castellæ, cùm Vrracæ ex priore coniugio iam natus esset ALPHONSVS VII. qui dictus est *Imperator Hispaniæ*. (Schottus in Notis ad Roder. Toletanum.)

Si enucleatam hanc temporum rationem inuiissent noui Scriptores à Dominico adducti, proculdubiò non asseruissent Blancam fuisse Alphonsi Castellæ Regis filiam primo loco genitam, quam ex rectâ chronologiæ normâ tertiam dumtaxat fuisse clarè ostensum est.

FACVLA IV.

Ortus primitiua Berengariæ Reginæ firmatur: Tertiò, ex Actis publicis.

A Me rogatus per epistolam litteratissimus iuxta ac integerrimus Senator D. Laurentius Ramirez de Prado, vt mihi suppeditaret Acta publica, quibus Berengariæ Reginæ natalium prærogatiua ampliùs stabiliretur; ille cum Illmo ac Reu^mo D. Francisco Manso de Zunigâ, Archiepiscopo Burgensi dignissimo, seriò agere cœpit; qui chartas ei aliquot Alphonsi VIII. Regis indicauit, ex quibus clarè dignoscitur Berengariæ, ante sorores omnes, natiuitatis primatus. Illas vt ad me missæ sunt expromo lubens, sed ordine temporum digestas examinatasque pensiculatiùs.

Colmenares Hist. Segob. c. 18. §. 2. an. 1180. Prima charta: *In nomine Domini nostri Iesu Christi, &c. Ego* ALDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, unà cum uxore meâ* ALIENOR *Reginâ, libenti animo, & uoluntate spontaneâ, &c. Facta carta apud Toletum Erâ* M. CC. XVIII. XIV. *Kal. Ianuarij, anno quarto ex quo Rex Serenissimus* ALFONSVS *Concam fidei Christianæ mancipauit.* Absque dubio Regni Castellæ Ordines sacramento nondum se obstrinxerant ergà Berengariam, Alphonsi Regis filiam, *cui ut primogenitæ* (Roder. Tolet. lib. 9. c. 5.)

(ante-

(*antequam Rex haberet filium*) *bis iuramento & hominio firmarunt, Regni successionem deberi*: alioqui, ex more in Hispaniâ recepto, Berengaria post parentes in hoc priuilegio nominata fuisset.

II. *In nomine Domini nostri Iesu Christi, &c. Ego* ALDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, vnà cum vxore meâ* ALIENOR *Reginâ, & cum filio meo Rege* SANCIO, *liberali animo & voluntate, &c. Facta carta apud Carrionem Erâ* M. CC. XIX. *pridie Kalendas Iunij*. Nato post Berengariam Sancio, & hærede Regni scripto, omittitur Berengaria: sed ille idem Infans Sancius paucis pòst diebus è viuis excessit. Alius ergo fuit Sancius, qui, ex obscurâ quâdam traditione, cùm cœnobiticam vitam ageret, vulgò creditur obijsse in Monasterio S. Auditi anno M. C. XCIX.

Colmenares cap. 18. §. 3. anno 1181. Chronica generalis parte 4. cap. 9.

III. *Ego* ALDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, vnà cum vxore meâ* ALIENOR *Reginâ, & cum filiâ meâ Infantissâ* BERENGARIA, *&c. Facta carta apud Secouiam Erâ* M. CC. XIX. *quinto Idus Septembris, anno quinto ex quo* ALDEFONSVS *Rex Serenissimus Concam fidei Christianæ viriliter mancipauit: anno primo quo idem Rex* ALDEFONSVS *Infantaticum à Rege* FERRANDO *patruo suo acquisiuit*. Sancio fratre extincto, Berengaria eius soror, Regis filia natu maior hîc nominatur, vt Regni hæres à Patre & Ordinibus iteratò declarata.

Colmenares cap. 18. §. 3. & 4. an. 1181.

Roderic. Tolet. & Chronica gener. locis citatis.

IV. Pro Monasterio Sanctæ Mariæ de Baluanerâ: *Ego* ALDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, vnà cum vxore meâ* ALIENOR *Reginâ, &* BERENGARIA *Infantissâ, &c. Facta carta apud Burgos Erâ* M. CC. XXVII. *septimo Idus Maij*. Hanc Alphonsi VIII. Regis chartam ita describit Garibayus: *Dize la data suya ser fecha el año segundo despues que Don* ALONSO *Rey de Leon recibiò del caualleria, y le besò la mano. En esta misma escritura se haze mention como el Rey Don* ALONSO, *pocos dias despues, armò cauallero a* CVNRADO *hijo del Emperador, y le diò por muger a su hija Doña* BERENGVELA, *de la qual* SOLA *(llamandola* INFANTISSA, *que quiere dezir Infanta) haze mention en su priuilegio, y no de ningun otro hijo, ni hija*. Iterùm ergo Berengaria nàtu maior filia, & futura Regni hæres, sola prolium regiarum huic facto præsens interfuit.

Ant. Yepes. Io. Pineda, an. 1189.

Lib. 12. cap. 24.

V. De fundatione Placentiæ: *Ego* ALDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, vnà cum vxore meâ* ALIENOR *Reginâ, & filiabus meis Infantissis* BERENGARIA *&* VRRACA, *&c. Facta carta Erâ* M. CC. XXVIII. Præcedit Berengaria natu prior, & Regni futura hæres: sequitur Vrraca annis minor: Blanca bimula adhuc agebat in cunis.

Salazar in Vitâ S. Epitacij fol. 123. an. 1190.

VI. *Facta carta apud Palentiam* XVII. *Kal. Aprilis, Erâ* M.CC.XXVIII.

Colmenares cap. 18. §. 7. anno 1190.

eo anno quo natus est feliciter in ciuitate Concha Rex FERDINANDVS, *filius illustris Regis* ALDEFONSI, *& uxoris eius Reginæ* ALIENOR: *regnante Rege* ALDEFONSO, *cum Reginâ* ALIENOR *uxore suâ, in Castellâ, Toleto, & totâ Extremadurâ.* Sub nato Ferdinando, Regni futuro hærede, sorores eius in chartis non memorantur.

§. 8. anno 1190. VII. *Ego* ALDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, unâ cum uxore meâ* ALIENOR *Reginâ, & cum filio meo* FERRANDO, *vobis uniuerso Concilio Secouiensi, &c. Facta carta apud Palentiam Erâ* M. CC. XXVIII. *octauo Kalendas Aprilis: secundo anno postquam Serenissimus* ALFONSVS *Rex Castellæ & Toleti* ALFONSVM *Regem Legionensem cingulo militiæ accinxit; & ipse* ALFONSVS *Rex Legionis osculatus est manum dicti* ALFONSI *Regis Castellæ & Toleti: & consequenter, paucis diebus elapsis, sæpè dictus* ALFONSVS *Rex Castellæ & Toleti, Romani Imperatoris filium*, CONRADVM *nomine, in nouum militem accinxit, & filiam suam* BERENGARIAM *tradidit in uxorem*. Absunt sorores, vt in præcedenti chartâ.

§. 7. anno 1208. VIII. *Ego* ALDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, unâ cum uxore meâ* ALIENOR, *& cum filijs meis* FERRANDO *&* ENRICO, *&c. Facta carta apud Burgos* V. *Kal. Augusti, Erâ* M. CC. XLVI. Ferdinando maiori natu filio subiungitur Henricus, Alphonsi Regis alter filius, anno natus M. CC. III. eorum verò sorores vt antè prætermittuntur.

§. 9. anno 1208. IX. *Ego* ALDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, unâ cum uxore meâ* ALIENOR *Reginâ, & filijs meis* FERRANDO *&* HENRICO, *&c. Facta carta apud Secouiam Erâ* M. CC. XLVI. *decimotertio die Decembris.* Obijt Ferdinandus anno M. CC. XI. Henricus post patrem regnauit annis tribus; cui successit Berengaria Regina Legionis, sororum eius natu maxima.

Ad harum chartarum, quas Hispani *Priuilegia* vocant, maiorem vim & lucem, peritissimus Iuris D. Laurentius Ramirez iam laudatus hæc antiquæ legis Hispanicæ verba submisit:

Lege 2. tit. 18. partida 3. *Priuilejo tanto quiere dezir como Ley, que es dada o otorgada del Rey apartadamente a algun lugar o algun ome, para facerle bien e merced: e deuese fazer en esta manera, segun costumbre d'España: Primeramente debese començar en el nombre de Dios; e despues poner palabras buenas e apuestas, segun conuiene a la razon que fue dado: e de si debe dezir como aquel Rey, que lo manda facer en uno con su muger de bendicion, e con sus fijos que aya della, o de otra que aya auido, que fuese velada, nombrando primeramente* EL MAYOR, *que debe ser* HEREDERO, *e despues los otros fijos varones, y uno enpos de otro, segun que fuere mayor de dias. E si varon no ouiesse,* LA FIJA

MAYOR,

MAYOR, *y despues las otras, assi como diximos de los fijos.* Si ergo Blanca Berengariam ætate præcessisset, eius nomen illo nascendi ordine in chartis regijs expressum fuisset. Vnde fatearis necesse est, Dominice, cuniculos tuos, contra assertam à me Berengariæ Reginæ ortus prærogatiuam, ad veritatis lucem euanescere.

LVMEN XII.

Respondetur alijs Assertoris obiectionibus circa mediorum Hispaniæ Regum successiones.



LPHONSVS X. Rex Castellæ ex Violantâ Aragoniâ duos habuerat filios; *Ferdinandum I.* dictum *de la Cerda*, & *Sancium*. Ferdinandus ante patrem obijt, relictis ex Blancâ, S. Ludouici Regis filiâ, *Alphonso* & *Ferdinando II.* Cerdanis. Alphonsus autem X. Rex, prætermisso nepote Alphonso, Ferdinandi I. defuncti filio, SANCIVM, qui nepotem toto gradu antecedebat, Regnorum hæredem scripsit ex more tunc in Hispaniâ non prohibito; qui tamen sub Ferdinando & Elizabethâ, Catholicis Regibus, postmodum abrogatus est. Eiusdem moris apud Gallos aliàs vsitati exempla dedi suprà Lumine Salico vndecimo. Garibay l. 13. c. 14.

At obijcit Dominicus, Sancium ob ingratitudinem ab Alphonso X. patre exhæredatum posteà fuisse scriptis hæredibus Ferdinandi I. Cerdæ filijs, quos priùs prætermiserat; & si absque liberis decessissent, Regna sua Philippo Audaci, Francorum Regi, qui ab Hispano Rege procedebat, contulisse. Vin' scire, Assertor, quid Proceres Hispaniæ responderint Alphonso Casto Regi, qui bello inquietatus *secretè ad Carolum Magnum nuncios destinauerat, qualiter carebat filijs, & Regnum, si veniret in adiutorium, ipsi daret? Post nunciorum reditum innotuit legatio Magnatibus* ALDEFONSI, *qui æquanimiter non ferentes, suaserunt Regi cum instantiâ, vt quod mandauerat reuocaret; alioquin ipsum à Regno expellerent, & pacta eius nullatenus obseruarent, & sibi de alio Domino prouiderent:* MALEBANT *enim* MORI LIBERI, *quàm* IN FRANCORVM DEGERE SERVITVTE. Prætereà Regnum Castellæ, ex quo Regnum est, numquam redactum fuit in Prouinciam, neque gubernari potest præterquam à suo proprio Rege, exceptis quibusdam legitimis ad breue tempus absentijs, vt à Carolo V. Imp. & à Philippo II. eius filio legitur aliquando factum. p. 195. Roder. Tolet. lib. 4. c. 10.

Itaque quoniam postremæ Alphonsi X. tabulæ ab irâ commoto Rege conditæ fuerant (cui à Marianâ scribitur *fuisse ingenium varium, flexibile, multiplex, & pudendam actionum inconstantiam cum ætate* Lib. 14. c. 4. & 8.

 maiorem

maiorem effectum) Regni Ordines, *nullo prohibente*, SANCIVM, defuncto patre, regio solio Toleti magnâ pompâ sublimauerunt.

Zurita l. 5. c. 66. Garibay l. 13. c. 30. l. 14. c. 6.

Sancio IV. deinde successit *Ferdinandus IV.* isti *Alphonsus XI.* cui *Alphonsus de la Cerda*, dictus *de Hispaniâ*, Ferdinandi I. natu maior filius, ex compromisso cessit ius omne, quod habere poterat ad Regna Castellæ & Legionis, manum eius osculatus est, & eius se Vasallum professus. *Alphonsus* porrò XI. ex Lusitanâ vxore *Petri* pater fuit; ex Gusmanâ *Henrici* II. *Regum*. Henricus autem II. ex *Ioannâ Manuele de la Cerda* genuit *Ioannem I.* Regem.

Stemma Regum Castellæ & Legionis ab Alphonso VIII. vsque ad Ioannem primum.

1. Alphonsus VIII. Rex Castellæ, Imperator Hispaniæ: vxor Eleonora Anglica.

2. Berengaria Regina Castellæ, coniux Alphonsi IX. Regis Legionis.

3. Ferdinandus III. Rex Hispaniæ: vxor Beatrix, filia Philippi Romanorum Regis.

3. Alphonsus Infans, Molinæ Dynasta: vxor Maria Tellez de Meneses.

4. Maria, vxor Sancij IV. Regis.

4. Alphonsus X. Rex Hispaniarum: vxor Violanta Aragonia.

4. Manuel Infans Hisp. vxor Constancia Aragonia.

5. Ferdinandus I. de la Cerda, mortuus ante patrem: vxor Blanca, filia S. Ludouici Regis Franc.

5. Sancius IV. Rex Hispaniæ: vxor Maria, filia Alphonsi Infantis, Molinæ Dynasta.

5. Ioannes Manuel: vxor Blanca, Ferdinandi II. Cerdæ filia.

6. Alphonsus de la Cerda, dictus de Hispaniâ.

6. Ferdinãdus II. de la Cerda: vxor Ioanna de Larâ.

6. Ferdinãdus IV. Rex: vxor Constancia Lusitana.

6. Ioanna Manuel de la Cerda, vxor Henrici II. Regis.

7. Blanca de la Cerda, vxor Ioannis Manuelis.

7. Maria, vxor Caroli Com. Ebroicensis, deinde Caroli Comitis Alençonij.

7. Alphonsus XI. Rex Castellæ & Legionis; cui nati sunt,

8. Ioanna Manuel de la Cerda, vxor Henrici II. Regis.

8. Ex Mariâ Lusitanâ, Petrus Rex; cui ex Mariâ de Padillâ natæ,

8. Ex Leonorâ Gusmanâ, Henricus II. Rex, iunctus Ioannæ Manueli de la Cerda.

9. Ioannes I. Rex Hispaniæ: à quo cæteri Reges.

9. Constantia, vxor Ioannis Ducis Lancastriæ.

9. Isabella, iuncta Edmundo Duci Eboracensi.

9. Ioannes I. Rex Hisp. à quo alij Reges.

Habes

Habes in hac tabellâ seriem Regum traditam ab Historicis; quam tamen Ioannes I. Rex (vt Ioanni, Lancastriæ Duci, sceptrum Hispanicum vi armatâ obtendenti ex parte Constantiæ, vxoris suæ, aditum prohiberet) actiter impugnauit scripto apologetico; in quo ad Hispanos suos sic sermonem habuit Segobiæ anno M.CCC.LXXXVI.

Vosotros sauedes bien, como en este Reyno es publico è notorio, è aun creo por todo este mundo; que el Rey Don ALONSO *de Castilla ouo dos hijos legitimos, es a saber, el Infante Don* FERNANDO, *su hijo primero, è Don* SANCHO, *fijo segundo. Y este Infante Don* FERNANDO *casò con Doña* BLANCA, *hija del Rey san* LVYS *de Francia; è ouo dos hijos en vida de su Padre, de los quales al vno dixeron Don* ALONSO, *è al otro Don* FERNANDO. *E viuiendo el Rey Don* ALONSO *muriò el Infante Don* FERNANDO *su hijo, primero heredero: è ansi quedaron los dichos sus hijos, è el Infante Don* SANCHO *su Tio: a los quales hijos del dicho Infante Don* FERNANDO *pertenecian los dichos Reynos de Castilla, despues de la muerte de su Aguelo, è no al Tio Don* SANCHO, *segun derecho.* Ex M S. V. C. Lucæ Torrij. Alphonsus X. Rex.

Però este Don SANCHO *con codicia mala y desordenada de reynar fizo en tal manera, que desheredò a su Padre en vida; è despues de la muerte del dicho su Padre retuuo el Reyno, è el Señorio por fuerça a los dichos sus sobrinos. E porque este Don* SANCHO *fue desagradecido al dicho Rey Don* ALONSO *su Padre, desheredolo de los sus Reynos en vida, è con razon derecha, è notoria, è manifiesta, diolo por traydor, è desheredolo en su testamento, porque el, ni ninguno de los que descendiessen del, no pudiessin suceder, ni heredar los dichos Reynos, por razon del dicho Don* SANCHO, *segun claramente se contiene en el testamento.* Sācius IV. Rex.

Este Rey Don SANCHO *dexò a su hijo Don* FERNANDO, *paraque sucediesse en el Reyno; en el qual non pudo suceder por doz razones: la primera, porque el dicho su Padre no auia derecho en el Reyno, ni lo podia el auer: la segunda, porque el no era nacido de legitimo matrimonio, por quanto el dicho Don* SANCHO *su Padre siendo desposado con Doña** VIOLANTE, *hija del Conde de Bearne, por palabras de presente; & viuiendo la dicha* VIOLANTE, *casose otra vez de fecho, no lo pudiendo hazer de derecho, con Doña* MARIA *su Tia, prima de su Padre, hija del Infante Don* ALONSO *de Molina: el qual Don* ALONSO *era hermano del Rey Don* FERNANDO *su Aguelo: è ouo en ella al dicho Don* FERNANDO, *que por esto no fue legitimo, è no pudo auer los dichos Reynos.* Ferdinandus IV. Rex.

* Zurita l. 4. c. 47. vocat *Guillelmam de Moncada, filiam Gastonis, Vicecomitis Bearnæ.*

Este Don FERNANDO, *que se llamaua Rey deste Reyno, dexò a Don* ALONSO *su hijo, que casò con Doña* CONSTANZA, *hija de Don* IVAN *Manuel su Tio, por palabras de presente; è siendo casado con ella con acuerdo de su Aguelo, y de todos los mas de su Reyno; despues por consejo de* Alphonsus XI. Rex.

 algunos

algunos malos partiose della, è prendiola, è puzola en el castillo de Toro, en lo qual la tuuo luengo tiempo: de la qual prision la sacò el dicho Don IVAN *su Padre, è fizo guerra por ello al dicho Rey Don* ALONSO*: è despues que fue fuera, todauia se llamò Reyna, è labrò moneda en este Reyno, assi como Reyna puede fazer. E durante el dicho matrimonio entre el dicho Don* ALONSO*, que se llamò Rey, è Doña* CONSTANZA*, que se dezia Reyna, como su muger; el dicho Don* ALONSO *casò de hecho, è no de derecho, con la Infanta Doña* MARIA*, su prima dos vezes, hijos de dos hermanos, hija del Rey de Portugal: del qual casamiento naciò Don* PEDRO*, que se llamò Rey, no pudiendolo ser de derecho.*

Petrus Rex.

Este Rey Don PEDRO *casò con Doña* BLANCA*, hija del Duque de Borbon, publicamente por palabras de presente, è sin perjuiçio, en faz de la Yglesia, è consumiò el matrimonio, è tuuola por muger è Reyna gran tiempo, hasta que finò: è durando ansi el matrimonio ouo en Doña* MARIA *de Padilla estas dos hijas, que oy son viuas, Doña* CONSTANÇA *è Doña* ISABEL*; las quales no pueden auer herencia, ni sucession de los dichos Reynos, por tres razones: la primera, por ser ellas publica y notoriamente de ganancia ilicita, otramente ser auidas en este Reyno, en vida de la dicha su madre: la segunda, pues es notorio, que las dichas Doña* CONSTANÇA *è Doña* ISABEL *naciendo durando el matrimonio entre el dicho Don* PEDRO *è Doña* BLANCA*, por la qual razon ellas no eran capazes para heredar en el dicho Reyno, pues nacieron durante el dicho matrimonio: la terzera, porque pues su Padre no hauia derecho, è venia de aquella linea, que forçadamente tenia el Reyno contra derecho, è contra justicia, no podia auer mas del derecho, que el dicho su Padre auia; è por esto podedes bien ver, como el Duque de Lancastre por su muger, ni por si, no ha ningun derecho en esta demanda, que contra Nos trae.*

Esso mesmo deuedes ver, como Nos somos vuestro Rey natural, è de derecho, como descendimos legitimamente de la linea derecha; y que nos pertenece este Reyno de amas partes. E primeramente descendimos legitimamente de la linea del dicho Rey Don ALONSO*, è de su Fijo el Infante Don* FERNANDO*, è de sus hijos que fueron desheredados por el Infante Don* SANCHO*. E otrosi descendimos legitimamente por la linea derecha del Infante Don* MANVEL*, que fue hijo del Infante Don* FERNANDO*, que ganò a Seuilla. Y esso mismo, como descendimos desta otra linea del Rey Don* SANCHO*, è de Don* FERNANDO*, è de Don* ALONSO*, nuestros Abuelos.*

Henricus II. Rex.

E otrosi, por el Rey Don ENRIQVE *nuestro Padre, que Dios perdone, el qual ouo muy grandes derechos en este Reyno por algunas razones, señaladamente por ser casado con la Reyna nuestra Madre; è porque fue recebido y tomado por Rey è por Señor en este Reyno de España; despues que los*

Reynos fueron contra el Rey Don PEDRO, *por no hauer derecho en el Reyno, ò por sus merecimientos: por lo qual deuedes tomar grande esfuerzo a tener grande è firme esperança en Dios, que el, que es derechero, è vee el poco derecho, que los Inglesses tienen, è saue el derecho, que nos auemos, que el nos ayudarà, è quebrantarà è baxarà el orguello è soberuia, que este home, è gente, que con el viene, trae sin razon contra Nos: è deuedes trauajar è ayudarnos a todo vuestro poder; acordando vos en como soy vuestro Rey, è vuestro Señor natural, è quantas razones Nos auemos porque vos amar, entre quantos Reyes fueron en Castilla fasta oy: è este mismo, quantas razones ay porque deuedes amar a Nos: las quales razones serian muy largas de dezir de la vna parte è de la otra: otrosi acordandonos, como este home sin ningun derecho, con puro orguello è soberuia, trae contra Nos esta demanda.* Ioannes I. Rex.

Hactenus IOANNES I. Rex; de cuius patre HENRICO II. Rege scribit Salazar de Mendoza, Canonicus Toletanus, *non deesse qui affirment, matrem eius* LEONORAM *Gusmanam iustis nuptijs Alphonso XI. Regi copulatam fuisse.* Certè si optimo iure non regnasset HENRICVS, CAROLVS SAPIENS Franciæ Rex fœdus cum illo facilè non pepigisset: neque CAROLVS III. Rex Nauarræ LEONORAM eius filiam connubio sibi iunxisset. In Alphōso XI. Rege.

Præterea certum est, vxorem HENRICI II. Regis, IOANNAM *Manuelem de la Cerda*, duplici tramite, paterno & materno, proximum ad coronam ius habuisse: vnde IOANNES I. Rex eorum filius (qui, vt PETRI Regis filias excluderet, paternam à SANCIO IV. Rege lineam penitus reiecit) materno iuri præcipuè inhæsit, vt in Regni solio stabiliretur; quemadmodum OTHONI olim, vt ad Romanum Imperium proueheretur, non parum profuit, *quod Pater eius* L. OTHO *materno genere præclarus esset, multarumque & magnarum propinquitatum.* Sueton. in Othone, c. 1.

Cæterùm ex allatis Dominici obiectionibus docentur Hispani, affinitates cum Francis facilè non contrahere; quia isti falsa deinde Stemmata producunt, pacta inita non seruant, omnia turbant, bellaque ex bellis serunt.



LVMEN

LVMEN XIII.

Corona Hispanica ab externâ omni iurisdictione temporali libera est & immunis.

p. 186. & 197.  SSERTOR Gallicus, disertus aduersus iustitiam, erudirus pro falsitate, leuitatis temerè me arguit, quòd dixerim Reges Hispaniæ multa Regna simul possedisse, quæ nullum alium Superiorem agnoscebant; obiicitque Primò
L. 11. ep. 7. an. 1073. Gregorium VII. PP. quem affirmare dicit, *Hispaniam B. Petri feudum esse.* sed iniquè detorquet verba Summi Pontificis, qui solùm ait,
An. 701. n. 15. 16. 17. *Hispaniam ab antiquo proprij iuris S. Petri fuisse:* id quod Baronius à nemine Hispanicarum rerum Scriptore prodirum ingenuè fatetur: opinatur tamen illis Gregorij VII. verbis significari, *Regnum Hispaniarum, antequam inuaderetur à Saracenis, fuisse Romanæ Ecclesiæ traditum à possidentibus ipsum Gothorum Regibus maximè pijs; non ita quidem, vt illo ipsi caruisse voluerint, sed vt illud aliquo annuo persoluto tributo Ecclesiæ Romanæ possiderent.* Verùm (quod pace tanti viri dictum volo) nihil tale intellexit Gregorius VII. sed dumtaxat Hispaniam, quia ad Christianas leges ab ipsomet S. Petro Apostolorum Coryphæo traducta fuerat, ideò spiritualis S. Petri iuris fuisse: quod non obscurè
Anno 599. insinuat S. Gregorius Magnus Epistolâ in fine sexti sæculi scriptâ ad Alphonsum & Sancium Hispaniæ Reges, quam posteà referemus.

Lum. 15. Baron. an. 599. n. 25. Mariana l. 6. c. 1. Lib. 7. Ep. 128. Præterea, etsi verum sit, Recaredum, Hispaniarum Regem religiosissimum, misisse viros pios ad limina Apostolorum cum muneribus S. Petro offerendis; cui S. Gregorius vicissim misit pia dona, quæ recensentur in eius Epistolâ; non idcircò sequitur, munera Recaredi tributaria fuisse, quæ Rex piè & liberè miserat, *vt orarent viri Dei pro salute Regis & patriæ, & pro stabilitate Regni;* quemadmodum Pipinus & Carolus Magnus, Reges Francorum, loqui solebant in chartis, quibus aliqua bona Ecclesiis conferebant. Alioqui si Regum dona clientelæ cuiuspiam temporalis agnitiones essent, ipse Clodoueus Magnus coronâ, quam ad S. Petrum misit, Regnum Francorum Ecclesiæ Romanæ clientelare professus fuisset.

Verba ergo Gregorij VII. plana, & non vt à Dominico corrupta, nihil pugnant contra temporalem & supremam Regum Hispaniæ dominationem, qui se in spiritualibus Sedis Apostolicæ filios obedientes apertè profitentur, ab illâ gratias spirituales recipiunt, suaque Regna eo titulo Ecclesiasticæ iurisdictioni vltrò submittunt: quo modo

modo, & non aliter, dici potuit à Gregorio VII. *Hispaniam ab antiquo proprij iuris S. Petri fuisse.*

Obiicit Secundò Assertor, Alphonsum, Asturiarum & Galliciæ Regem, se *Caroli Magni proprium* dixisse; quâ voce *Vasallum* denotari ait. Hæc sunt verba Eginarthi typis excusa de Carolo Magno: *Auxit etiam gloriam Regni sui quibusdam Regibus & gentibus* PER AMICITIAM *sibi conciliatis: adeò namque* ADEFONSVM, *Galliciæ atque Asturiæ Regem, sibi* SOCIETATE *deuinxit, vt is cùm ad eum vel litteras vel Legatos mitteret, non aliter se apud illum quàm* PROPRIVM SVVM *appellari iuberet.* Ita libri editi, quos etsi amplectamur, non sequetur inde, Alphonsum Regem Caroli Magni Vasallum fuisse: sic enim Indenses Monachi, prope Aquisgranum, de Ludouico Pio Imperatore: *A quibusdam Monachus vocitatur, videlicet quòd Monachos (pro eius amore) semper* SVOS PROPRIOS *appellauit;* hoc est, suos ex animo amicos. Sed Albericus, qui ante annos quadringentos scripsit, saniori Eginarthi codice vsus, hoc modo legit de Carolo Magno: *Adeò namque* ALDEFONSVM, *Galliciæ atque Asturiæ Regem, in societatem deuinxit, vt is cùm ad eum litteras vel Legatos mitteret, non aliter se apud illum quàm* PROPRIVM FILIVM *appellari iuberet.* Ille autem Rex erat *Alfonsus Castus*, qui cùm adolescens esset, Caroli Magni ætate prouectioris PROPRIVM FILIVM se nuncupabat amicitiæ & fœderis causâ: de quo sic Poëta Saxonicus ad annum DCC. XCVIII:

p. 186.

In Vitâ Car. M.

Chesne Tom. 3. p. 388.

Ad annum 804.

Lib. 3. Annal.

—— HADEFONSI *Regis ab oris*
Hispanis venêre viri, qui munera MAGNO
Attulerant CAROLO, *renouantes* FOEDVS AVITVM
Semper AMICITIA *Reges quod iunxerat ipsos:*
Magnaq; quibus dederat susceptis DONA BENIGNE,
Ad patriam tali latos dimisit HONORE.

Non ergo fuit Rex Alphonsus Caroli Magni vasallus, sed amicus, fœderatus, & quasi *proprius filius;* quomodo amici Reges & ætate pares se *Fratres* appellare & inuicem muneribus honestare solent.

Obiicit Tertiò Assertor, *Hispaniam Franciæ esse obnoxiam iure feudi, vt ex clientelari Henrici II. Castellæ Regis erga Carolum V. Franciæ Regem anno* M. CCC. LXIX. *scriptâ professione constare asserit Hieronymus Bignonius in libello de Excellentiâ domus Regiæ; vbi chartam hanc in Archiuo Regio seruari testatur.* Cur tu ipse illud non affirmas, Dominice? cur chartam ipsam ex Archiuo Regio non edidisti, qui perillustris viri Petri Seguieri, Franciæ Cancellarij, familiaris aperta scrinia habere debuisti? sed cautè in alium culpam reijcis ex eo manifestam, quòd tabulæ, quas laudat, indicentur à Fratribus San-marthanis esse an-

p. 196.

Lib. 3. & 4.

Lib. 8. c. 4.

 ni

ni M. CCC. LXVIII. iisque Reges Henricum II. & Carolum V. inter se fœdus pepigisse, quo se contra omnes hostes iuuare polliciti sunt, exceptis Papâ, Imperatore & Rege Aragoniæ; iisdemque litteris ab Henrico Castellæ Rege promissam opem Carolo Francorum Regi
Lib. 9. cum instructis nauigiis aduersus Anglos; de quâ sic Æmylius: *Classis Francorum classi Hispanæ ab* HENRICO *auxilio missæ coniuncta expugnat quinque & triginta hostium naues apud Rupellam.* Et tu inde infers, Hispaniam Franciæ esse obnoxiam iure feudi. Tuæ nos pudet audaciæ, qui veritati calumnias sic struis. Quàm iniquus sis Assertor iudicabit eruditorum Senatus; sed præcipuè vbi statim ostendero, ex ipso antiquos Hispaniæ Reges sublimandi more eos nulli externæ po-
p. 197. testati subditos vnquam fuisse. Causam huic meæ ratiocinationi ipsemet præbuisti, vbi pessimè conclusisti, Ferdinandum III. Regem sua Castellæ & Legionis Regna soli Deo accepta non retulisse, eò quòd gladium accepisset ab altari, & manu propriâ se accinxisset cingulo militari. Ab ipsis initiis ritum repetam, qui te latuit.

L. Papyrius Cursor milites suos nobiliores religione sacramenti
Liuius lib. 10. sic obligabat: *Sacrificio perfecto, per viatorem Imperator acciri iubebat* NOBILISSIMVM *quemque genere factisque: singuli inducebantur. Erat tum alius apparatus sacri, qui perfundere animum religione posset. Tum in loco circà omni contecto aræ in medio, victimæque circum cæsæ, & circumstantes Centuriones* STRICTIS GLADIIS. *Admouebatur altaribus* MILES *magis vt victima, quàm vt sacri particeps; adigebaturque iureiurando, quæ visa auditaque eo in loco essent non enuntiaturum. Dein iurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem* CAPITIS FAMILIÆQVE *composito, ni isset in prælium quò Imperatores duxissent; & si hi, aut ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplò occidisset.* Iusiuran-
Lib. 21. dum illud sic arrigit Ammianus: *Iussique vniuersi in eius* [Iuliani Cæs.] IVRARE *nomen*, GLADIIS CERVICIBVS SVIS ADMOTIS, *sub execrationibus diris, verbis* IVRAVERE *conceptis*. Inde porrò ad Christianos mos fluxit Tyrones initiandi honore militiæ, gladio scilicet ceruici Tyronis admoto; (quod vulgò vocant *la Collée*;) & prætereà baltheo lateri eius accincto. Auctores modò vnum dumtaxat, modò vtrumque simul indicant. Promo exempla:

Anno 975. Ingulphus Abbas Croylandensis: *Dux Beneuentanus Imperatori illum dederat* [pollicem S. Bartholomæi] *cùm eum* BALTHEO MILITA-
Anno 1065. RI *primò iuuenem accinxisset*. Hermannus Contractus de Henrico IV. Imperatore: *Ibidem* [Gollariæ] ACCINCTVS EST GLADIO *anno Regni*
Lib. 1. c. 6. anno 1156. *sui nono, ætatis autem suæ decimoquarto.* Radeuicus de Gestis Friderici I. Imperatoris: *Indulgentiam & gratiam consecuti* [Legati Constantino-

stantinopolitani] *Fridericum Ducem Sueuiæ, filium Conradi Regis, adhuc adolescentem, in præsentiâ suâ* GLADIO ACCINGI, *& militiam profiteri postulant, & impetrant.*

Thomas Cantuariensis Balduino II. Comiti Guisnensi (qui eum hospitio exceperat) *in signum militiæ* GLADIVM LATERI *& calcaria pedibus adaptauit, &* ALAPAM *collo eius inflixit.* Lamb. Ardensis c.87. anno 1170.

Willelmo, Comiti Hollandiæ, in Romanorum Regem electo, *Rex Bohemiæ* ENSE NVDO *dedit* ICTVM IN COLLO, *dicendo: Ad honorem omnipotentis Dei* TE MILITEM ORDINO, *ac in nostro collegio te gratanter accipio.* Dinterus lib. 4. c.4. an. 1247.

Henricus Rex Angliæ *Eduardum filium suum primogenitum, cùm iam esset annorum quindecim, transmisit ad* ALDEPHONSVM *Regem Castellæ, vt cum nobili puellâ* ALIENORA, *eiusdem Regis sorore, iniret connubium: quem* ALDEFONSVS *Rex (ad ciuitatem Hispaniæ, quæ Burgos dicitur) venientem cum gaudio & honore suscipiens,* MILITARIBVS ARMIS CINXIT; *& nuptiarum celebratis solemniis, valdè honoratum cum vxore ad patriam remisit.* Walsing. in Ipodig. an. 1254.

Boamundus iunior Princeps Antiochenus, & Comes Tripolitanus, *consilio matris suæ & Episcopi Tortosæ iuit in Armeniam ad Regem Auunculum suum pro suscipiendo* BALTHEO *militari.* Moris erat etiam apud Longobardos, *vt Regis filius cum Patre non pranderet, nisi priùs ab externæ Gentis Rege* ARMA *suscepisset.* Sanutus l.3. p.12. c.14. anno 1275. P. Diaconus l. 1. Longob. c.15.

Ludouicus XI. Franciæ Rex, cùm Rhemis ad inaugurationem paratus esset, xv. die Augusti *Philippo Bono Burgundiæ Duci strictum ensem in manus dedit, vtque ictum in collo sibi daret rogauit; & sic eum Dux Equitem creauit.* Iac. du Clercq l.4. c.33. MS. anno 1461.

Petrus Bayardus, *tamquam longè pugnacissimus opinione omnium existimatus, à* FRANCISCO *Gallorum Rege promeruit, vt ante alios deligeretur, à quo* EQVESTRIS ORDINIS *insignia susciperet.* Ita Iouius: cui Champerius addit, *Bayardum id exerto ense suo perfecisse.* Anno 1516. Lib. 2. Vitæ Magni Consalui. In Histor. Bayardi.

Sed quod iam referam memoriâ dignum est: Hugo Tyberiadis Dominus & Galilææ Princeps Sultanum Saladinum militari baltheo cinxit; sed *de infligendo ictu gladij honestè se excusauit: quod si faceret,* inquit, *à Christianis omnibus temeritas eius improbaretur.* Ordre de Cheualerie.

Ceterùm ex allatis exemplis perspicuum est, ritum acquirendæ dignitatis militaris maximè constitisse in ictu gladij, & in baltheo femori accingendo: quod externâ manu semper factum legitur, propriâ numquam; præterquam ab Hispaniæ Regibus, quibus post omnem memoriam solemne fuit manu propriâ gladium de altari accipere, & cingulo militari seipsos accingere. Illud quippe docet vetus

I. Chron. Hispan. L. 13. c. 2. lex Suprarbiensis, quam refert Ambrosius Morales, inter Hispanos doctissimus, ex Autographo antiquissimo, quod ipsemet viderat. Eâ in lege postquam actum est de electione Pelagij in Regem, subijcitur modus in Hispaniâ obseruari solitus, cùm quis in Regem debet sublimari. Sunt autem hæc legis verba ex Aragoniensi linguâ veteri fideliter traducta: *La noche antes la vele toda en la Iglesia, y oyga su Missa, y offresca purpura, y algo de su moneda, y despues comulgue. Y quando lo quieran leuantar, suba sobre su escudo, teniendolo los Ricos hombres, y diziendo todos tres vezes en boz alta,* REAL, REAL, REAL. *Entonces manda derramar de su moneda sobre la gente hasta cien sueldos. Y para dar a entender,* QUE NINGUN OTRO HOMBRE DE LA TIERRA TIENE PODER SOBRE EL, *ciñase el mismo* LA ESPADA, *que es a semejança de cruz. E aquel dia no deue ser armado ningun otro cauallero.* Hoc est Latinè, vt omnes intelligant: *Præcedenti totâ nocte peruigilium celebret in Ecclesiâ, & Missam suam audiat, & purpuram offerat cum suis aliquot nummis, deinde communicet. Cùm autem volent ipsum eleuare, ascendat ipse supra scutum suum, tenentibus illud Ricis hominibus, & altâ voce ter dicentibus,* REGALE, REGALE, REGALE. *Tunc ipse mandat spargi monetam suam in plebem vsque ad solidos centum. Atque vt detur intelligi,* NVLLVM ALIVM HOMINEM IN ORBE TERRARVM POTESTATEM IN ILLVM HABERE, *seipsum accingat* ENSE, *facto in similitudinem crucis. Illâ autem die nullus alius militari cingulo accingi debet.* Ad illum ergo morem charta Ferdinandi III. Regis, pro Monasterio Cisterciensi de Sotos Aluos, sic est subscripta: *Facta carta apud Segouiam quinto Kal. Februarij, Erâ* M. CC. LVIII. *anno Regni mei tertio, quo ego memoratus* REX FERRANDVS *in Monasterio sanctæ Mariæ Regalis de Burgos* MANV PROPRIA *me accinxi cingulo militari: & tertiâ die pòst, Dominam* BEATRICEM *Reginam,* PHILIPPI *quondam Regis Romanorum filiam, duxi solemniter in vxorem.*

Colmenares Hist. Segob. cap 20. anno 1220.

Cap. 102. Ritum illum firmat egregiè Ioannes Nunesius Villasanus in Historiâ Regis Alphonsi XI. quam iussu eiusdem Regis scripsit anno M. CCC. LXVI. vbi sic loquitur: *Entrò el Rey assi de pie en la Ciudad, y en la Yglesia de Sant Iago, è velo bi toda esa noche, teniendo sus armas encima del altar: y en amanesciendo, el Arçobispo Don Iuan de Limia dixo le vna Missa, y bendixo las armas: y el Rey armose de todas sus armas, de yelmo, è de gambar, è de loriga, è de quixotes, è de cañiletas, è çapatos de fierro, è ciñose su espada,* TOMANDO EL POR SI MISMO TODAS LAS ARMAS DEL ALTAR *de Sant Iago, que ge las no daua ninguno, saluo* EL MESMO POR SV MANO. *Et la imagen de* SANT IAGO, *que estaua encima del altar, fizieron que la imagen mesma le diesse* LA PESCOÇADA *al Rey:*

Rey: y desta guisa recibiò CAVALLERIA *este Rey Don* ALFONSO *del Apostol* SANT IAGO. *E porque el Rey recibiò Cavalleria desta guisa estando armado, ordenò que todos que ouiessen recebir Orden de Cavalleria de alli adelante, que la recibiessen estando armados de todas sus armas.* Deinde vbi agit de Regis eiusdem coronatione in Burgensi Ecclesiâ Monasterij *de las Huelgas*, isthæc refert: *El Arçobispo* [Don Iuan de Limia] *y los otros Obispos* [de Burgos, Palencia, Calahorra, Mondoñedo, y Iaen] *bendixeron al Rey y a la Reyna con muchas oraciones y bendiciones; è descosieron al Rey los paños en el hombro derecho; &* VNGIOLO *el Arçobispo al Rey en la espalda derecha con* OLIO BENDITTO, *que el Arçobispo tenia para esto. E desque el Rey fue* VNGIDO, *tornose al altar. Los Prelados, el Arçobispo, y los Obispos, bendixeron* LAS CORONAS *que estauan en el altar: è desque fueron bendittas, el Arçobispo y los Obispos arredraronse del altar, y se fueron aßentar cada vno en su lugar. E desque el altar fue desembaraçado dellos;* EL REY *subiò al altar, è* TOMO LA SV CORONA DE ORO *con piedras preciosas, è de muy gran precio, è* PVSOSELA EN LA CABEÇA: *è tomò luego la otra corona, è pusola a la Reyna; è tornose a fincar los ynojos ante el altar, segun que antes estaua.* Cap. 103.

Itaque ex illo eodem ritu apud Hispanos antiquissimo FERDINANDVS III. Rex *gladium regalem ipsemet ab altari accepit, &* MANV PROPRIA *baltheo se accinxit;* siue, vt Zuritæ verbis vtar, *se armò Cauallero:* vt palàm ostenderet, sic accincto gladio (quod insigne Regni præcipuum quia Tyro nondum susceperat, cùm Vallisoleti in Solio sublimatus est) se regnandi bellandique potestatem nemini, præterquam soli Deo, acceptam referre; adeoque Regna sua mortalium nemini se debere. Quod etiam bellè stabilitur ex coronâ Regni, quam ab altari sumpsit ipsemet Rex Alphonsus XI. quod à nullo alio externo Rege factum legitur, præterquam à Friderico II. Imperatore; *qui cùm diadema Regni Hierosolymitani, quod ex coniugio Iolandis ad se spectare ostendebat, ritu solemni sibi ab aliquo Antistitum imponi rogaret; & cùm nemo esset, qui execrabilem consecrare, & diris deuotum caput coronâ regiâ ornare vellet, aut auderet; ipse ad aram maximam accedens, insignia regia manibus proprijs ex altari detraxit,* ENSEM ACCINXIT, *caput diademate operuit, & reliqua temerarius rapuit potiùs quàm accepit.* Bzouius an. 1229. Istis si minùs te satisfactum putas, Dominice, ad superius eruditorum tribunal iterùm te prouoco.

LVMEN XIV.

Pro tertiâ prærogatiuâ Catholici Regis vt præpotentis.



VM accuratiùs singula excutio, neque Auctoribus vtor aliunde adductis, sed passim, vt ita dicam, in Franciâ natis; domo relictâ foris desidet Dominicus, & me alicubi *sartorem* vocat Assertor parum prudens, cùm nempe *mangonem* agit, & adscititiæ Hugonis Capeti purpuræ alieni panni assuit segmenta. Attuli ex fide dignis Auctoribus, & Francis plerisque, Elogia potentiæ Catholici Regis cùm enumeratione Regnorum & Prouinciarum, quæ ad illum optimo iure spectant. Si consulat Assertor *Iacobum Mainoldum Galeratum*, qui *de Titulis Regis Catholici* librum edidit Bononiæ anno M. D. LXXIII. obseruabit nihil à me Regis mei purpuræ temerè adsutum; nec quod ipsimet Franci potentes rationis illi non adiudicarint. Plerisque à me iam adductis addo Iacobum Dalechampium Cadomensem, summum virum, cui Plinium emaculatum debemus. Ille PHILIPPVM II. Catholicum Hispaniæ Regem vocat *omnium Regum, quos Historia memorant*, POTENTISSIMVM; *Dominum vastissimarum & ditissimarum regionum, quæ ad Orientem & Occidentem extra cognitum veteribus Orbem iacent*. Affirmare tamen audet inuerecundus Assertor, Regem suum Catholico potentiorem esse: ad quod adducit hodierni belli euentus, qui ferè non tam Francorum potentiæ adscribendi sunt, quàm dolis pactisque illicitis, quibus infideles & hæreticos, in Orthodoxæ Religionis perniciem, aduersus Principes Austriacos, Fidei Catholicæ perpetuos defensores, vndequaque exciuêre, vt ipsi intereà in turbido piscarentur. Et hinc exultas ac insolescis, Dominice? Declamatorem audi apud Senecam Rhetorem: *Numquam in solido stetit superba felicitas; & ingentium Imperiorum magna fastigia obliuione fragilitatis humanæ collapsa sunt.*

p. 256. | In Dedicatoriâ ad Plinium. | p. 254.

Negat deinde Assertor, Philippo Bono, Burgundiæ Duci, nobiliorem attributam sedem in Concilio Basiliensi, quòd esset Ducum potentissimus; sed quòd Francorum Regem propinquiori gradu attingeret. En tabellam consanguinitatis Principum ex Regio Francorum sanguine, qui tunc agebant in viuis.

1. Ioannes

1. Ioannes II. Rex Franciæ.

2. Carolus V. Rex Franciæ.	2. Ludouicus Dux Turoniæ.	2. Philippus Audax Dux Burgundiæ.	2. Ioanna vxor Caroli II. Regis Nauarræ.
3. Carolus VI. Rex Franciæ.	3. Ludouicus Dux Aureliani.	3. Ioannes Intrepidus Dux Burgundiæ.	3. Ioanna vxor Ioan. V. Ducis Britanniæ.
4. Carolus VII. Rex Franciæ.	4. Carolus Dux Aureliani.	4. Philippus Bonus Dux Burgundiæ.	4. Ioannes VI. Dux Britanniæ, masculinâ serie oriundus à Ludouico Grosso Rege Franciæ.

Carolus Dux Aurelianensis, Caroli VII. Regis patruelis, Philippum Bonum Burgundiæ Ducem in coronæ proximitare antecedebat; ille tamen Philippo Duci loco cedebat, quia potentiori & nobiliori, vt alibi probauimus. Philippus enim Bonus, quatenus Burgundiæ Dux, nobilitatis in Franciâ prærogatiuam habebat, quia Burgundiones in Galliâ priùs Regem habuerunt quàm Franci: vnde in publicis honoribus Marescallus Burgundiæ præcedebat Marescallum Franciæ. Audi Alienoram de Pictauiâ Gallicè sic disserentem: *I'ay ouy dire, que à vn honneur le Mareschal de Bourgougne va deuant cestuy de France. Et pour le debat, qui a esté dernierement entre le Mareschal de France & cestuy de Bourgougne à l'entrée du Roy* CHARLES *à present* [erat Carolus VIII.] *a esté ordonné, que par tout ils iroyent l'vn deuant l'autre; puis l'vn, puis l'autre. Ce qu'a esté faict au grand regret du Mareschal de Bourgougne; car il disoit que continuellement il debuoit aller deuant. Le Roy n'en auoit point ordonné, parce que son entrée fut trop subite; & pource ils alloyent par tout l'vn deuant l'autre. Et au soir, quand le Roy souppa à la table de marbre au Palais, il fut ordonné que les deux Mareschaux n'y soupperoyent pas, pour leur debat. Et fut dit que Monsieur le Mareschal de Bourgougne iroit soupper auec Madame de Beaujeu, sœur aisnée du Roy; & l'autre auec Madame d'Orleans, Mere de Monsieur d'Orleans d'à present. Monsieur le Mareschal de Bourgougne ne fut pas content de ceste ordonnance; toutesfois la cause demeura ainsi pour ceste fois. Et fut ceste entrée du Roy l'an* M. CD. LXXXIV. 1484.

[Margin: Vindic. c. 14. — In lib. Ms. de Aulicis honoribus.]

Præterea Philippus Bonus Burgundiæ Dux nobilitatis excellentiam præferebat in clamore militari, qui erat: MON IOYE AV NOBLE DVC: hoc est: *Meum gaudium Nobilis Ducis*: quamquam & isto vsus

vsus est postquam Aurei Velleris Ordinem instituit: MON IOYE SAINT ANDRIEV: hoc est: *Meum gaudium Sanctus Andreas.* Atque ex illo Burgundicæ Nobilitatis ac potentiæ iure præcipuo auus eius, *Philippus Audax*, fratri suo natu maiori Ludouico Turonum Duci in
Volum. 3. c.130. anno 1388. Regni Comitiis præsedisse legitur. Habes quoque apud Froissartum, Iuliaci Ducem Guillelmum à Carolo VI. Franciæ Rege festis epulis aliquando acceptum, vbi mensæ assidebant Principes hoc ordine: *Leodiensis & Coloniensis Præsules: Rex*: DVX BVRGVNDIÆ: *Dux Turoniæ: Dux Iuliaci: Dux Borbonij.* Ludouicus tamen Dux Turoniæ Philippum Audacem, Burgundiæ Ducem, fratrem suum ætate superabat, adeoque coronæ proximior erat.

Ad hæc, Philippus Bonus, quatenus Dux Brabantiæ, hoc alio vtebatur clamore militari: LOVAIN AV RICHE DVC: hoc est: *Louanium Diuitis Ducis.* His si addas amplissimos alios magno numero Ducatus & Comitatus, præpotentem illum Ducem fuisse non inficiabetis; cum quo Carolus VII. Franciæ Rex aliquando congressus,
Polydor. Vergil. lib. 23. dixit *eum esse* PRINCIPEM, *quem secundùm Regem Franci habebant* POTENTISSIMVM; *nec pluris se facere hominem omnium neminem.*

Anno 1466. Auctor Commentarij de Itinere D. Leonis, fratris Reginæ Bohemiæ, notat Principes & Magnates, qui Philippum Bonum Ducem adibant, *flexo ter poplite illum salutasse; nec vllum Regem Christianum tam splendidam & magnificam aulam habuisse.*

Insuper, Ioannes VI. Dux Britanniæ præcedebat in Franciâ Ducem Aureliani, etsi coronæ proximiorem, vt Britanni Orator exposuit in Concilio Basileensi; cui nemo contradixit. Quia ergo eiusdem Concilij sententiâ Philippus Bonus præcessit Britanniæ Ducem, qui Aurelianensem antecedebat, etsi coronæ magis propinquum; non est dubium Patres potentiæ rationem habuisse, non coronæ proximitatis, in assignando priori loco Duci Burgundiæ; cuius hoc elogium
Lib. 12. Comm. reliquit Pius II. Papa: *Ditissimus Principum* MAXIMIS ÆQVANDVS REGIBVS; *cui opes & deliciæ omnes affluunt; cui tot latissimæ prouinciæ, tot clarissimæ vrbes, tot validæ gentes, tot ditissimi populi seruiunt; cui præstò adsunt cuncta, quæ mortales maxima ducunt.* Quâ de causâ Pon-
In Præfat. ad librum de Belgio. tus Heuterus affirmat, ALBERTVM *Austriæ Archiducem, cum* ELISABETHA *Austriacâ, Philippi II. Hispaniarum Monarchæ filiâ, Inferiorem Germaniam seu Belgicam in dotem accipiente, se Principem aut* REGEM *Inferioris Belgij appellare potuisse.*

Numquid etiam in Comitiis Augustanis Legati Caroli Burgun-
Papiensis Epist. 375. diæ Ducis, *ob* POTENTIAM *sui Principis in Galliâ & Germaniâ maximam, inter Oratores Regios locati sunt*? Ex eodem igitur à potentiâ petito

petito iure optimè intuli, Regi Catholico, vt potentiori, primum ante Regem Franciæ locum adiudicandum esse. Sed & alia congessi validissima argumenta, quibus Assertor non nisi obliquè respondit.

Ille verò, vt potentiam Hispanicam deprimat, sic exclamat insulsissimè: *Hispaniæ quid maximâ sui parte, nisi arenosi saltus? Quid Belgium, nisi vliginosæ plerisque locis paludes? Quid Africa & America, in quibus perpaucos occupant portus Hispani, nisi deserta & inuia loca? si quid optimum, Italia est, quæ iniustè possidetur.* P. 257.

Quidquid in Italiâ (quam *Naturæ principatum obtinere* Plinius tradit) possidet Rex Catholicus, id omne iure perquam optimo ad illum spectat. Deinde, prima laus totius Orbis (Italiâ exceptâ) à Plinio Hispaniæ tribuitur; de quâ ita Solinus: *Terrarum plaga comparanda optimis, nulli posthabenda frugum copiâ, & soli vbere, siue vinearum prouentus respicere, siue arborarios velis. Omni materiâ affluit, quæcumque aut pretio ambitiosa est, aut vsu necessaria. Argentum vel aurum requiras, habet. Ferrariis numquam defecit: nec cedit vitibus: vincit olea. Nihil in eâ otiosum; nihil sterile. Quidquid cuiuscumque modi negat messem, viget pabulis. Etiam quæ arida sunt ab sterilitate, rudentum materies nauticis subministrant.* Lib. 37: c. 13. Cap. 23.

Posidonius apud Strabonem Hispaniæ diuitias referens affirmat, *omnem in eâ montem, & omnem collem, locupletissima cuiusdam Fortunæ dono,* NVMISMATIS *esse materiam. Et omnino,* inquit, *videns aliquis ista loca, dixerit* THESAVROS *esse* PERENNIS NATVRAE, *aut* PRINCIPATVS ÆRARIVM PERPETVI. *Non enim diues modò Terra illa est, sed & infra se opes habet conditas. Et reuerà apud istos homines infra Terram non orcus, sed Plutus, id est, Dis ipse, opulentiæ Deus, inhabitat.* Lib. 3. Geograph.

Latinus Pacatus, gente Aquitanicus, Theodosium Magnum Imp. Romæ adiens sæculo quarto exeunte sic de Hispaniâ eius patriâ dixit: *Nam primùm tibi mater* HISPANIA *est*, TERRIS OMNIBVS TERRA FELICIOR; *cui excolendæ, atque adeò ditandæ, impensiùs quàm cæteris Gentibus supremus ille rerum Fabricator indulsit; quæ nec Austrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subiecta frigoribus, mediâ fouetur axis vtriusque temperie: quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æstibus, inde Thyrreni maris littoribus coronata, naturæ solertis ingenio velut* ALTER ORBIS *includitur. Adde tot egregias ciuitates: adde culta incultaque, omnia vel fructibus plena, vel gregibus: adde* AVRIFERORVM *opes* FLVMINVM: *adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas Poëtarum auribus mulcendis repertas aliqua nonnullis Gentibus attribuisse miracula, quæ dum sint vera, sint singula; nec ia mexcutio veritatem. Sint (vt dicitur) Gargara prouentu læta tritici; Meuania memoretur armento; Campania censeatur* In Paneg. Theodosij.

censeatur monte Gaurano; Lydia prædicetur amne Pactolo; dum HISPANIÆ *vni quicquid laudatur assurgat. Hæc durissimos milites, hæc expertissimos Duces, hæc fœcundissimos Oratores, hæc clarissimos Vates parit; hæc iudicum mater, hæc Principum est. Hæc* TRAIANVM *illum, hæc deinceps* HADRIANVM *misit Imperio: huic Te debet Imperium.*

In laud. Serenæ. Claudianus Alexandrinus sæculo quinto ineunte in hunc modum cecinit:

Quid dignum memorare tuis, HISPANIA, *Terris*
Vox humana valet? Primo lauat æquore Solem
INDIA: *Tu fessos exactâ luce iugales*
Proluis, inque tuo respirant sydera fluctu.
Diues equis, frugum facilis, pretiosa metallis.
Principibus fœcunda pijs: Tibi sæcula debent
TRAIANVM: *series his fontibus* ÆLIA *fluxit.*
Hinc senior PATER, *hinc iuuenum diademata Fratrum.*
Namque aliæ Gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in vsus
Imperij: Phariæ segetes, & Punica messis
Castrorum deuota cibo: dat Gallia robur
Militis, Illyricis sudant equitatibus alæ:
Sola nouum Latijs vectigal IBERIA *rebus*
Contulit AVGVSTOS. *Fruges, æraria, miles*
Vndique conueniunt, totoque ex Orbe leguntur.
HÆC GENERAT QVI CVNCTA REGANT.

Hispaniæ præterea fertilitatem & abundantiam exprimunt numi veteres, quos auersos propono: prior argenteus, & alter aureus, GALBÆ; tertius æneus HADRIANO, Imperatoribus cusi sunt.







Ant. Aug. Dial. 3. & 7. Hemelarius. Clypeus, & hamata duo tela (Hispanorum propria, quibus hodieque in ludicrâ pugnâ vtuntur) indicant bellicosam gentem, expeditæ militiæ, & leuis armaturæ artibus, agilitate corporum instructam.

ctam: Gemina autem tela Hispaniæ tribuuntur, vt magnis olim Ducibus. Virgilius de Æneâ, & etiam de Turno: Æneid. 1. & 12.

BINA *manu lato vibrans* HASTILIA *ferro.*

Spicæ denotant annonæ vbertatem, & frugum copiam, quam Iustinus ex Trogo in Hispaniâ sic obseruat: *In omnia frugum genera fecunda est adeò, vt non ipsis tantùm incolis, verùm etiam Italis, vrbique Romanæ, cunctarum rerum abundantiâ sufficiat.* Lib. 44.

Papaueris caput, quod inter spicas dextrâ tenet Hispaniæ stans simulacrum, vbertatis etiam & fecunditatis typus est; tum quia *papauer cereale* passim nascitur inter segetes, abundans semine; tum quia edulijs olim permiscebatur, *vescum* idcircò à Marone dictum. Dioscorides de illo: *Cuius semen in panem densatum, qui sanis in vsu fit, & cum melle, pro sesamo illo vtuntur.* Plinius in eumdem sensum: *Cuius semen tostum in secundâ mensâ cum melle apud antiquos dabatur.* Iterùm alio loco: *Simplex quidem & antiqua illa salubritas* PAPAVERE *& melle constat.* Virgil. 1. & 4. Georg. Lib. 4. c. 63. Lib. 9. c. 8. l. 20. c. 19.

Insuper oleæ ramum protendit HISPANIA oliuetis diues. Solinus iam laudatus de illâ: *Nec cedit vitibus*, VINCIT OLEA. Plinius de Bæticâ: *Vberrimas messes inter* OLEAS *mittit.* c. 23. Lib. 17. c. 12.

Cuniculus denique Hispaniæ iacentis & Pyrenæis montibus innixæ pedibus adstat, vel ob fecundissimi animalis in eâ frequentiam; cuius causâ *Celtiberia* à Catullo *Cuniculosa* dicitur; vel certè *ob subterraneos cuniculos venasque, quibus metalla* AVRI *&* ARGENTI *ferrique effodiunt. Tunc enim Romanis* AVRI *eam vim copiamque suppeditare* HISPANIA *solebat, quam hodie Hispaniæ præbet India.* Ant. Aug. Dial. 3.

Prosequitur Assertor, ac de obscuro aliquo & ignoto Terrarum tractu, apud Cannadenses in altero Orbe sito, agere se existimat, dum adeò contemptim de Belgicâ Terrâ loquitur. Atqui vel ex solo Thuano, in supremâ Francorum Curiâ Præside, eius Terræ præstantiam discere potuisset. ille ad omnium Regnorum inuidiam de Belgicis Prouincijs sic pronunciat: *Nullas populosiores aut opulentiores Prouincias toto Terrarum orbe esse; vt in quibus* DVCENTÆ ET OCTO VRBES *mœnibus clausæ;* CENTVM QVINQVAGINTA OPPIDA, *quæ vrbibus clausis magnitudine & opibus paria sunt;* SEX MILLE ET TRECENTÆ PAROECIÆ *numerentur; cùm ambitu non plus quàm trecenta & quadraginta milliaria Flandrica totus ille tractus complectatur.* Hæc Thuanus. Iulius verò Cæsar Scaliger in Epitaphio eorum qui ad Viennam pro libertate Christianâ bello Turcico ceciderunt: *Quid est*, inquit, *fuitve nobilius, fortius, excellentius toto Belgio?* Hoc tamen, si Dominico credimus, nihil aliud quàm *vliginosa plerisque locis paludes.* Lib. 40. sub init. Extat inter Scaligeri Epistolas à Raphelengio editas an. 1600.

ludes. Adeóne apud te tot nobilissimarum Prouinciarum maiestas euiluit? non dubitabis fortè, quin & Belgæ omnes *Ranæ* sint, iam Tacitus Histor. 1. & 4. olim ipso Cæsaris testimonio *omnium Gallorum fortissimi*. Et Ciuilis suffragio *Gallorum robur*: quin etiam, inuidente Germanico, *idonei & validi subuenire Romano nomini, comprimere Germaniæ populos*. Audi Epist. 39. Centur. 4. Miscell. Lipsium de Belgicâ loquentem ex omnium sensu: *Illa superat, si homines, industriam, comitatem, mores, bona terræ nata aut inuecta respicis: superat, inquam, nec Europæ solùm tractus, sed Orbis vniuersi.* Existimo certè Assertorem ita contemptim de Belgio loqui, vt insatiabilem Francorum ὄρεξιν, quâ Prouincias istas iam pridem deuorare nituntur, magis occultet; vt Gnatho ille apud Plutarchum, qui cùm exquisitissimas optimique saporis epulas solus ipse obligurire arderet, immundum oris sui excrementum in eas exspuebat.

Iam pridem nouimus immensam dominandi libidinem, quâ Franci Belgio vniuerso inhiant; ob quam & hodie Cælum Terræ miscent. Pontus Heuterus ad annum M. D. LII. de Henrico II. Re- Lib. 13. Rer. Belg. ge agens ita scribit: *In secreto Regis Concilio erat decretum proferre Franciæ limites ad vsque Rheni ripas*. Idem quoque & copiosiùs exprimit ipse Franciæ Cancellarius Michaël Hospitalius, vbi eumdem Henricum II. Regem sic alloquitur:

Lib. 2. Serm.
I fœlix, quò Te tua, Regum maxime, virtus
Et fortuna iuuat, MOSAM, SCALDIMque, SABINque
Inter, & extremas BATAVORVM littoris oras,
Ereptos priscis repetitum Regibus agros.
I fœlix, quò Te veterani militis ardor,
Quò Tua mens inuicta rapit; BELGAMque rebellem,
Conatum malè se iustis subducere Regnis,
Coge recusantem GALLORVM antiqua subire
Imperia, & Dominos tectis inducere CELTAS.

p. 255. Ad extremum Dominicus affirmat soli Francorum Regi nomen *Regis* conuenire; & *Regis* appellatione simpliciter factâ, *Francorum Regem* subintelligi: quod probat ex Suidâ & Bonifacio de Vitalinis. Verùm si examinemus Suidæ mentem, Assertoris ἀπειρίαν illicò detegemus. Viuebat Suidas sæculo vndecimo, non diu post Othonem I. Cæsarem; cuius æuo apud Græcos Germania tota *Franciæ* nomine audiebat. Vnde Constantinus Porphyrogenitus Othoni æqua- Lib. de Admin. Imperij, c. 30. lis illum vocat Ῥῆγα Φραγγίας, *Regem Franciæ*: & ipsemet Magnus Otho Miræus in Cod. Don. piar. c. 32. in Diplomatis *Regem Francigenum* se inscribebat, id est *Germanorum*. Suidas ergo Græcus (quem non intellexit Bonifacius de Vitalinis) Porphyrogeniti vestigijs insistens, per *Regem Francorum* intellexit *Regem*

Regem Germanorum; qui quòd Imperatoris dignitate simul frueretur, essetque alijs Regibus superior culmine maiestatis, solo *Regis* nomine apud Græcos medios intelligebatur.

Adducit deinde Assertor in Franciccæ gentis commendationem p. 156.
ipsiusmet Constantini Porphyrogeniti auctoritatem, quem scribere ait, *Constantinum Magnum Imp. decreto prohibuisse, ne eius successores Imperatores Constantinopolitani cum cæteris peregrinis, præter Francos, connubia miscerent*. Sed ista sunt germana decreti verba, quod Assertor mutilauit: *Ne vnquam Imperator Romanus affinitatem contrahat* c. 13.
cum gente, quæ peregrinis & à Romano statu diuersis moribus vtatur, maximè quæ fidei alterius, & baptizata non sit, exceptis dumtaxat Francis. Addit Porphyrogenitus: *Hos enim solos excepit Magnus ille vir sanctus Constantinus, tum quòd ex illis partibus esset oriundus; tum quòd propinquitas isti genti & commercia magna erant cum Romanis.* Atqui Cedreno teste Constantinus Magnus natus est apud Dacos; quos Suidas suo tempore PATZINACITAS nuncupatos fuisse scribit. Sic autem Porphyrogenitus loquitur initio capitis iam laudati: *Turcis hæ gentes adiacent; ad Orientem* FRANCIA; *ad Septentrionem Patzinacitæ* (id est Daci;) *& ad Meridiem magna Morauia*. Tum de Chrobatis albis: *Vltra Turciam, prope* FRANCIAM *habitant, & Slauis contermini sunt;* c. 31.
quos addit *frequentibus incursionibus infestari* FRANCORVM, *Turcarum*, PATZINACITARVM; *& triginta dierum itinere à mari remotos esse*. Iterùm de Chrobatis alio loco: *Tanta in eos crudelitate vtebantur* c. 30.
FRANCI, *vt lactentes adhuc eorum pueros occidentes canibus obijcerent.* Illi ergo Franci, qui Constantini Magni natali solo vicini erant, longissimè distabant ab alijs Francis, qui eiusdem Imperatoris temporibus ad Rhenum, & ad Oceani littora commorantes, Gallicas Prouincias occupauêre. Francorum nomen olim valdè æquiuocum erat, & ad Germaniæ vtriusque populos plerosque extendebatur. Vnde quidquid de Francis vbicumque sitis scriptum Dominico occurrit, id omne ad Occiduos suos ineptè transfert.

Cæterùm de Regiæ Hispanorum Domus splendore & opulentiâ præ alijs nullum haberi potest luculentius testimonium quàm LVDOVICI VII. Francorum Regis; qui cùm iter instituisset ad S. Iacobum; ac deinde apud Toletum soceri sui ALFONSI VII. Hispaniarum Imperatoris Curiam peruidisset; *Procerum cultum & elegantiam* Mariana
contemplatus, negauit se CVRIAM SPLENDIDIOREM *in Europâ atque* l. 11. c. 3.
Asiâ (quas Prouincias præsens obierat quo tempore sacram expeditionem an. 1154.
susceperit) elegantioremque vnquam vidisse; gratiasque pro diuino munere agere dixit, quòd ALFONSI *filiam, Raymundi Aragonij sorore genitam,* vxorem

l. 7. c. 9. *vxorem haberet*. Eadem referunt Rodericus Toletanus & Lucas Tu-
Lib. 4. densis. apud istum hæc sunt Ludouici Regis verba: *Per Deum*, inquit, *iuro, quòd non est gloria similis huic in toto mundo.*

LVMEN XV.

Pro quartâ prærogatiuâ Catholici Regis, à Christianitatis antiquitate, quâ Hispani Gallos, Gothi superarunt Francos.



CHRISTIANÆ fidei susceptio vel intelligitur facta nascente Ecclesiâ & Apostolicis temporibus; vel Ecclesiâ libertati iam assertâ æuo Constantini Magni; hoc est, vel à populis indigenis, vel ab aduenis. Atqui vtroque modo Hispania ante Galliam Christi fidem suscepit: ergo ex illo primùm receptæ fidei fundamento Hispaniæ Rex Franciæ Regem præcedere debuit.

Minoris propositionis primum caput probatur ex sacrâ Historiâ & temporum characteribus. De S. Iacobo Apostolo, Zebedæi filio, qui martyrio affectus est anno Christi XLIV. sic Cæsar Baronius:
Anno 44. n. 1. *Hispaniarum Ecclesiæ omnes ex æquo profitentur, eumdem Apostolum anteà in Hispanias esse profectum, illicque primùm prædicasse Euangelium, & aliquot collegisse discipulos.* Id probauerat alibi Baronius ex libro S. Isi-
In Notis ad Martyr. Roman. 25. Iulij. dori de Vitâ & morte Sanctorum; ex eiusdem Sancti Breuiario Toletano; ex Ioanne Turpino Remensium Archiepiscopo, Caroli Magni in Hispaniâ socio; ex Venerabili Bedâ, & ex Callisto II. Papâ.
Anno 816. n. 49. & 50. Sententiam tamen posteà visus est suspendisse argumentis quibusdam inficialibus ductus, quibus inter alios probè respondit Iacobus Valdesius in Prærogatiuâ Hispaniæ capite sexto, & post libri finem in prætermissis; sed longè accuratiùs Ioannes Velasquius, Comes Stabuli Castellæ in Vindicijs Hispaniarum tutelaribus, quas Latinitate
Anno 1608. donauit, & Louanij edidit Eryeius Puteanus.

Illis addo obseruationem hanc non vulgarem: In Actis Apostolorum *S. Paulus* vocatur *Saulus* vsque ad caput XIII. vbi versu nono incipit vocari *Paulus*, quando narratur *Sergij Pauli* Proconsulis conuersio ad fidem per magnum Apostolum facta, frustrà renitente mago Elymâ. Itaque priùs *Sauli* siue *Saülis*, Israëlitici olim Regis, contribulis sui nomine vtebatur; postmodum adiuncto ad fidelium gregem *Paulo* Proconsule *Paulus* appellari cœpit, quasi in fœlix omen
In Epist. ad Philemonem. reliquarum victoriarum de mundi huius principe reportandarum. *Vt Scipio*, inquit D. Hieronymus, *subiectâ Africâ Africani sibi nomen assumpsit;*

assumpsit; *& Metellus Cretâ subiugatâ Cretici cognomentum reportauit*; *& Imperatores nunc vsque Romani ex subiectis gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita &* PAVLVS *ad prædicationem Gentium missus*, PRIMO ECCLESIAE SPOLIO, *Proconsule* SERGIO PAVLO, *victoriæ suæ trophæa retulit, accepitque vexillum, vt* PAVLVS *diceretur à* SAVLO. Eodem planè sensu Augustinus: *Minimus*, inquit, *Apostolorum, cùm Paulus Proconsul per eius militiam debellatâ superbiâ sub leue Christi iugum missus esset, Regis magni prouincialis effectus, ipse quoque ex priore Saulo* PAVLVS *vocari amauit ob tam magnæ insigne victoriæ*. Lib. 8. Confess. c. 4.

Non absimilem ob causam S. IACOBVS, propterea quòd in Hispaniâ PRIMVS Christum annunciarat, cognominatus est DE HISPANIA, id est HISPANICVS. Clarè Albericus in Chronico: *Facta est inuentio corporis Beatæ Mariæ Salomæ (quæ fuit mater beati* IACOBI DE HISPANIA, *& beati Ioannis Euangelistæ, & fuit soror Dominæ nostræ) in ciuitate Campaniæ Verulanâ, prope Abbatiam de Casa Marij, vltra Romam*. Ad an. 1212.

Præterea Paulum Apostolum, solutum vinculis, anno Christi LXI. profectum esse in Hispaniam tam Græci quàm Latini Patres testatum reliquerunt. Hippolytus, in libello de Septuaginta duobus discipulis, aduentus Pauli in Hispanias firmus est assertor. Athanasius ad Dracontium scribens hæc ait: *Studium fuit sancto viro* [Paulo] *vsque ad Illyricum Euangelium prædicare, neque segnescere, neque omittere, quin Romam iret, & in* HISPANIAS *ascenderet, vt pro grauiori labore, maiore frueretur mercede laboris*. Cyrillus Hierosolymorum Episcopus hæc in eamdem sententiam: *Ab Hierosolymis vsque ad Illyricum disseminauit Euangelium: qui Regiam quoque Romam instituebat, & in* HISPANIAM *vsque promptitudinem prædicationis extendit*. Epiphanius etiam: *Paulus*, inquit, *in* HISPANIAM *profectus est*. Ioannes Chrysostomus idipsum sæpiùs profitetur: *Videas*, ait, *eum Hierosolymis ad* HISPANIAM *vsque currentem*. Alibi: *Verùm nec ibi* [Romæ] *stare contentus, etiam in* HISPANIAM *percurrit*. Ac rursus: *Deinde in* HISPANIAS *profectus, inuisit illic Iudæos quoque; ac tunc fortasse Romam reuersus est, quando & supplicium iussu Neronis pertulit*. Theodoretus, Sophronius, aliique idem narrant. Baron. an. 61. n. 3. 4. Cath. 17. Hær. 27. Homil. in Math 76. De Laude Pauli, Hom. 7. In Math. 78.

Ex Latinis D. Hieronymus eius sententiæ grauissimus reperitur auctor, vt in primis cùm ait: *In* HISPANIAM *alienigenarum portatus est nauibus*. Et alibi: *Vsque ad* HISPANIAM *tenderet, & à mari Rubro, imò ab Oceano vsque ad Oceanum curreret*. S. Gregorius Magnus sic idipsum confirmat: *Paulus cùm nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc* In Isaiam c. 11. Lib. 31. Moral. c. 12.

Ephesum,

Ephesum, nunc Romam, nunc HISPANIAS *peteret, vt in peccati morte iacentibus æternæ vitæ gratiam nunciaret, quid se aliud quàm esse Aquilam demonstrabat?* Beda insuper, Ado Viennensis, aliíque idipsum professi

Lib. 2. Registri ep. 64. sunt. Sed & Gregorius quoque VII. PP. epistolam, quam scripsit ad Alphonsum & Sancium Hispaniæ Reges, sic exorditur: *Cùm B. Apostolus* PAVLVS HISPANIAM *se adiisse significet; ac posteà septem Episcopos ab vrbe Româ ad instituendos* HISPANIAE *populos à* PETRO *&* PAVLO *Apostolis directos fuisse, qui destructâ idololatriâ christianitatem fundauerunt, Religionem plantauerunt, ordinem & Officium in diuinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicauêre, vestra diligentia non ignorat, quantam concordiam cum Romanâ vrbe* HISPANIA

12. die Sept. *in Religione & ordine diuini Officij habuisset, &c.* Denique Græcorum Menologium id clarè testatur: *Memoria sanctarum mulierum,* XANTIPPAE *&* POLIXENAE *sororum: hæ fuerunt ex regione* HISPANORVM *Claudij Cæsaris* [scilicet Neronis] *temporibus: quarum quidem* XANTIPPE *vxor fuit Probi, qui prouinciam illam administrabat. Ipsa autem erudita fuit ab Apostolo* PAVLO *cùm eam regionem peragraret, &*

Anno 816. n. 51. *vnà cum multis alijs vir eius.* Hinc porrò Baronius sic fatur: *Vnde magis magisque* HISPANIARVM *Ecclesia illustretur, vt quæ ab ipsis Apostolorum Principibus sacrum acceperit Euangelium. Hæc nos docent Patres, & Acta magni Concilij affirmare suadent.*

In Galliâ autem S. Dionysius missus à S. Clemente Papâ anno Christi XCVIII. primus fuisse creditur Parisiensium Episcopus, &

Baron. an. 109. n. 41. Galliarum Apostolus, truncatus capite anno Traiani Imp. X. hoc est Christi CIX. adeoque diu pòst Euangelium ab ipsismet Apostolis in Hispaniâ prædicatum. Hispania igitur ante Galliam Christi

Cap. 7. & 8. contra Iudæos. Fidem suscepit: cuius rei gnarus Tertullianus, Auctor secundi sæculi, de Gentibus quæ in Christum crediderunt agens, Hispanias Gallijs anteposuit: HISPANIARVM, ait, *omnes termini, &* GALLIARVM *diuersæ nationes, & Britanniarum inaccessa loca.* Eodem quoque sæculo

Lib. 1. contra Hæreses c. 3. S. Irenæus, Lugdunensis in Galliâ Archiepiscopus, sic locutus est: *Etsi in mundo loquelæ dissimiles sint; tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ quæ in Germaniâ sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ quæ in* IBERIS; (en Hispanias;) *neque hæ quæ in* CELTIS; en Gallias.

Venio ad alterum caput, nempe ad felicissima tempora, quæ Con-

Cap. 15. stantinum Magnum proximè secuta sunt. Docui in Vindicijs Hispanicis, Burgundiones ab Hispanis, Francos Occiduos à Burgundionibus publicæ fidei lumen suscepisse; adeoque liberæ Christianitatis in Occidente prærogatiuam non Francorum, sed Hispanorum & Bur-

gundionum

gundionum propriam esse: vnde ab ipsis liberratis Ecclesiæ primordiis constat, Hispaniam in generalibus Conciliis Galliæ prælatam fuisse.

Constantinus Magnus in Oratione ad Patres Magni Nicæni: *Ipse etiam in me recepi, vestram sapientiam facilè assensuram, vos videlicet, quod in Vrbe Româ, in Italiâ, in Africâ, in Ægypto, in* HISPANIA, GALLIA, *& Britanniâ, vnâ & consentiente sententiâ confirmatur, hoc etiam vestrâ prudentiâ libentes approbaturos.* Euseb. l. 3. de Vitâ Constant. c. 18. anno 1325.

Apud Theodoretum litteræ Synodicæ Sardicensis sic incipiunt: *Sanctum Concilium ab Episcopis Romæ,* HISPANIAE, GALLIAE, *Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, &c. Sardicæ celebratum, omnibus vbique Episcopis, & ministris Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, dilectis fratribus in Domino salutem.* Lib. 2. c. 8. anno 347.

S. Athanasius contra Arianos: *Fuêre in magno Sardico Concilio plures quàm trecenti Episcopi, qui ex multis Prouinciis, Ægypti, Libyæ, &c.* HISPANIARVM, GALLIARVM, *Britanniarum eò se ad Concilium contulerunt.* Apolog. 2.

Seuerus Sulpicius Gallus de conuocatione Concilij Ariminensis: *Missis per Illyricum, Italiam, Africam,* HISPANIAS, GALLIASQVE *magistris Officialibus, aceiti atque tracti quadringenti, & aliquot amplius, Occidentales Episcopi, Ariminum conuenêre.* Anno 355.

D. Hieronymus eodem quo Concilia ordine: *Hoc in Ecclesiis suis faciunt, quod Roma, &c. quod in* HISPANIA, *quod etiam ex parte per* GALLIAS, *quod in omnibus locis, vbi humilitas perseuerat.* Epistolâ ad Ruffin.

Denique Iustinianus Imp. C. de Officio Præfecti prætorio Africæ, iubet, *Quæcumque in partibus* HISPANIAE, *vel* GALLIAE, *seu Francorum, aguntur, viro spectabili Duci denunciare.* L. 2. §. Iubemus.

Iam de nouis hospitibus, Gothis Hispaniæ, Francis Galliæ: Fusè docet Baronius contra Sozomenum, *Gothos* Constantini Magni temporibus Christianos iàm fuisse; ipsorumque Episcopum *Theophylum* interfuisse atque subscripsisse Nicæno Magno Concilio anno CCC. XXV. prout Index Episcoporum eidem subscriptorum apertè significat. Anno 370. n. 108. & seq.

Rex deinde Athanaricus Christianos Gothos apud se agentes ipse Ethnicus persequi cœpit Valentiniani & Valentis anno VII. hoc est, anno Christi CCC. LXX. quâ de re Orosius clarè: *Athanaricus Rex Gothorum Christianos in gente suâ crudelissimè persecutus, plurimos Barbarorum ob fidem interfectos ad coronam martyrij sublimauit; quorum tamen plurimi ad Romanum solum, non trepidi velut ad hostes, sed certi quòd ad fratres, pro Christi confessione fugerunt.* Contigit hæc persecutio ante- Num. 5. Lib. 7. c. 7.

quam Gothi Arianæ hæresis labe conspergerentur, adeò vt qui apud eos passi sunt, Catholici omnes habiti fuerint: quod quidem S. Augustinus testatur his verbis: *Rex Gothorum in ipsâ Gothiâ persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cùm ibi non essent nisi Catholici; quorum plurimi martyrio coronati sunt, sicut à quibusdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, & se vidisse incunctanter recordabantur, audiuimus.*

Lib. 8. de Ciuit. Dei c. 52.

Lib. 4. c. vlt. Deceptos autem à Valente Imp. Gothos Theodoretus sic affirmat, quòd falsò iactaret, nullam inter sectam vtramque differentiam intercessisse, sed verbalem potiùs inter Catholicos & Arianos controuersiam extitisse. *Sicque nihil dubij remanet*, addit Baronius, *Gothos antehac fuisse Catholicos; subditos verò Phritigerni hoc anno cum ipso deuiare cœpisse.* Vnde patet Gothorum omnem Ecclesiam Arianorum labe fœdatam non fuisse. Sanctus enim Hieronymus agens de propagato apud Barbatos Christi nomine hæc habet: GETARVM *rutilus & flauus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria; & ideò forsitan contra nos æquâ pugnant acie, quia* PARI RELIGIONE *confidunt.* Hîc *Getæ* Hieronymo sunt *Gothi*, vt etiam Ennodio, Orosio, Iornandi, Sidonio, Dudoni, & aliis. Rursum anno CD. V. GOTHI Catholici à S. Ioanne Chrysostomo petierunt & acceperunt sacratos Episcopos, vt ipsemet testatur.

Anno 370. n. 109.

Epist. 7. Baron. anno 396. n. 13.

Epist. 14.

Alaticus Gothorum Rex à P. Æmylio fuisse scribitur *à Christi nomine non alienus*: quippe qui cùm Romam obsideret, teste Orosio, *præceptum priùs dedit, vt qui in sancta loca, præcipuéque in SS. Apostolorum* PETRI *&* PAVLI *Basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos securosque esse finerent.* Vnde Isidoro tradente *euaserunt multa millia Romanorum, quibus* GOTHI *propter Christum misericorditer pepercerunt.* Addit Iornandes, *Gothos Sanctorum locis in aliquo penitus iniuriam irrogari passos non fuisse.* quod profectò ab hæreticorum moribus longè abest.

Lib. 1. Lib. 7. c. 39. Baron. an. 410. n. 23. In Chron.

Cap. 30.

Baron. anno 501. n. 2. Denique Theodoricus in Italiâ & Hispaniâ Gothorum Rex, vt Orthodoxos Antistites ad Synodum Romæ conuocaret, auctoritate Symmachi Papæ id perficiendum curauit, Apostolicæ Sedis culmen sic veneratus, cuius se potiùs protectorem quàm persecutorem exhibuit, vt ipsius Synodi Acta indicant.

Sed fingamus Gothos-Reges ante Recaredum Catholicum Arianos in Hispaniâ fuisse. Quinto sæculo Christianus Orbis totus sub hæreticorum aut infidelium Principum dominio constitutus erat, nullusque planè Catholicus Rex alicui saltem exiguæ Prouinciæ dominabatur. *Italiam Rex Arianus dominio occupabat: Gallias Principes Burgundiones, & Gothi itidem Ariani*, FRANCIQVE ADHVC GENTI-

Baron. an. 476. n. 6.

LES *partiti sunt: Hispaniæ pariter Gothos Arianos Dominos patiebantur.* Ex quo rerum statu perspicuum est, Gothos priùs Catholicos fuisse quàm Francos Occiduos: isti enim Gentiles sub Clodoueo Rege dumtaxat, anno Christi CD. XCIX. baptizati fuerunt: illi verò tempore Constantini Magni, anno CCC. XXV. Catholici iam erant; quamuis posteà à Valente Imp. decepti, à rectâ viâ deflexerint vsque ad RECAREDVM Regem, qui anno D. LXXXV. *Catholicæ legi se subdidit, & accepto signaculo beatæ Crucis cum Chrismatis vnctione, credidit* IESVM CHRISTVM *Filium Dei æqualem Patri, cum Spiritu sancto regnantem in sæcula sæculorum.* Vnde à Patribus Concilij Toletani tertij acclamatus est GLORIOSISSIMVS, PIISSIMVS, DEO FIDELISSIMVS, CATHOLICVS ET ORTHODOXVS REX RECAREDVS. quibus elogiis ornatum Regem nullum in totâ antiquitate reperire est. Gregor. Tur. l. 9. c. 15. Anno 589.

At illo eodem sæculo CHILPERICVS I. Franciæ Rex (quem Gregorius Turonensis NERONEM & HERODEM *sui temporis* appellat) hæreticus Sabellianus erat, deque diuinâ Triade malè sentiebat. Vigebat etiam tunc in Gallijs Simoniaca hæresis, cui eradicandæ totis viribus incumbebat S. Gregorius Magnus scribens ad Episcopos Gallicanos, & ad ipsos Francorum Reges, qui sinebant eiusmodi vepribus repleri agrum Dominicum, illasque non extirpabant. An idcircò debuit obliterari gloria Francorum, qui primi à S. Remigio rectam fidem acceperant? Pari ratione ex eo quòd Reges aliquot Arianos Gothi habuerint, antiqua eorum gloria deleri non debet, qui Martyres pro Christi fide, qui Doctores Ecclesiæ, qui Religione excellentes erant, cùm Franci falsis dijs adhuc addicti essent. Baron. anno 583. n. 56. Greg. Tur. lib. 5. c. 44. Aimoinus l. 3. c. 41. & 57. Baron. an. 599. n. 23. 601. n. 15.

Addo quæ de Alphonso I. Rege Catholico, Pelagij genero, refert Lucas Tudensis: *Erâ septingentesimâ septuagesimâ sextâ* ADELFONSVS CATHOLICVS *ab vniuerso populo Gothorum in Regem eligitur.* Tum de illo Rege maximè pio pergit: *Humilis Rex fuit, & hominibus amabilis extitit; Ecclesias, nefando Mahometi nomine remoto, in nomine Christi consecrare fecit; Episcopos vnicuique ciuitati, quos capere potuit & retinere, præposuit secundùm traditionem sacrorum Canonum; atque Ecclesias auro, argento, lapidibus pretiosis & sacræ legis libris decorare studuit.* Lib. 4.

His subiungit Cæsar Baronius: *Quod spectat ad nobilem, insignem & egregium gloriæ titulum, vt dici voluerit* REX ALPHONSVS *cognomento* CATHOLICVS, *sic accipe:* QVI À RECAREDO CATHOLICO REGE *ducebat originem, eius quoque gloriæ æmulus, quam ille sibi iustè peperit ex propagatâ Catholicâ Fide in Gothos Gentiles suos; ob quam causam in Episcoporum Concilio* REX CATHOLICVS *est acclamatus: iste sicut* Anno 778. n. 9.

gni vtriusque Regis legitimus & proximior est hæres, vt dilucidè probauimus: ergo & ob illa etiam Maiorum suorum ex illo Stemmate decora præferri debet Capetino Franciæ Occiduæ Regi, qui remotiori gradu Principes illos attingit.

LVMEN XVI.

Franci Occidentales non sunt in possessione Ordinis honoratioris.

I. *Non ex rescripto S. Gregorij Magni.*



Lib. 6. ep. 5. HÆC sunt S. Gregorij PP. verba ad Childebertum Regem: *Quantò cæteros homines Regia dignitas antecedit, tantò cæterarum gentium Regna Regni vestri profectò culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alij, non mirum est; sed esse Catholicum, quod alij non merentur, hoc satis est.* S. Gregorius Magnus (qui sedit ab anno D. XC. ad annum DC. III.) epistolam illam scripsit anno D. XCV. ad *Childebertum*, qui Francorum Orientalium Rex erat, non Occidentalium. Vnde hîc operam ludit, vt passim, Dominicus, dum verba Pontificis detorquet ad Occidentale Franciæ Regnum; cui Clotarius II. tunc præerat.

Baron. anno 595. n. 70. p. 167.

Insuper, quia Gregorius Magnus *Childebertum* Regem laudat, eò quòd *Catholicus* esset; inde colligitur, comparationem Regnorum, quam instituit cum Childeberti Regno, non attinere ad Orthodoxa, sed ad ea dumtaxat, quæ hæreseos labe contaminata erant. Atqui priusquam S. Gregorius ad Childebertum scriberet, *Recaredus* Rex Hispaniæ *Catholicus* & *Orthodoxus* iam erat, omnemque Gothorum gentem in Hispaniâ primo Regni sui anno (nempe Christi D. LXXXV.) ad veram fidem conuerterat. Vnde patet, excellentiam Regni Childeberti, ex S. Gregorij mente, non fuisse super Hispaniæ Regna, quæ Catholica iam erant. Nihil igitur hoc fune Dominicus ad se trahit; cùm insuper palàm sit, Capetinos Reges, stirpe extraneos, ad Orientalis Franciæ Regnum ius numquam habuisse; quippe quod Otho I. Imperator Romano coniunxerat Imperio, cum in Ortiuâ Franciâ nulli Principes ex stirpe Carolinâ superessent.

Lucas Tud. Ioan. Biclarius. Baron. anno 585. n. 9. & 10.

II. *Non ex libro Prouinciarum Romæ edito.*

HVIVS libri Auctor (cuius se patrocinio tutum fore frustrà confidit Dominicus) vel Regum in dignitate ordinem ignorauit, vel certè malitiosè inuertit: postposuit enim Hispaniæ Regem Angliæ

Angliæ Regi: quod vti nusquam in alio Scriptore reperias; ita nullam meretur fidem, vbi Francum Hispano Regi anteponit.

III. *Non ex colloquiis Regum à Dominico productis.*

AGE igitur, Dominice, quandoquidem huiusce obiectionis ducem habes Theodorum Gothofredum, ob oculos apertè ponatur ipsius locus: *Cùm*, inquit, PHILIPPVS *Pulcher Franciæ, & SANCIVS IV. Castellæ ac Legionis Reges mutuò se videre decreuissent anno* M. CC. XC. SANCIVS *Philippo deferens, illum adiuit Bayona, Galliæ vrbe.* De Prærog. Regum c. 1. Anno 1290.

Sancius & Philippus Reges consobrini erant, duarum sororum filij. Sancius consanguineum suum fidenter & amicè conuenit: quid, amabo, prærogatiui inde iuris accessit Philippo? Ludouicus XI. Franciæ Rex Carolum Burgundiæ Ducem Peronæ agentem adiuit: an idcircò Carolus maior erat Ludouico? Ad rem Pius II. refert, *vidisse se* CAESAREM *sæpè Ducibus ac Marchionibus ad se venientibus occurrisse: fugiendam arrogantiam cunctis odiosam; humilitati, quam nemo non laudat, inseruiendum.* Quare nihil omnino detraxit magnitudini Sancij Regis illa ad familiarem propinqui consalutationem aditio. Anno 1468. Lib. 3. Comm.

Sic deinde Gothofredus: *Cùm* LVDOVICVS XI. *Franciæ, &* HENRICVS IV. *Castellæ ac Legionis Reges simul colloqui deberent in Regnorum confinio anno* M. CD. LXIII. HENRICVS LVDOVICO *cedens, traiecit fluuium, qui separat Regnum Castellæ à Regno Franciæ inter Fontarabiam & Endayam; & venit in partem Regni Franciæ.* Cap. 2. anno 1463.

Henrico IV. Castellæ ac Legionis Regi ab initio propositum fuerat, vt in terrâ Franciæ Ludouicum XI. Regem amicè conueniret: à quo illum reuocauit Hispanorum isthæc adhortatio: *Rex Franciæ cum exercitu venit, & expedito milite: Te togati sequuntur: cauendæ insidiæ sunt. Nulla coërcet honestas regnandi cupiditatem.* TV OMNIVM REGVM MAXIMVS *es, aut certè* SECVNDVS (scilicet ab Imperatore Romanorum, Germaniæ Rege.) *Quis non appetat tuo loco regnare? si tuas opes suis accumulet alter, quis illo maior erit? aut quid illi ad Orbis imperium deerit? cogitare animo quæcumque possunt occurrere pericula, prudentis est, eaque declinare. Quid præterea necessitatis habet iste conuentus? Ad pompam quæritur, non ad vtilitatem. Ingredieris alienum Regnum; minor videberis: gloriabitur te hospitem accepisse, & in Annalibus adnotari iubebit Rex Franciæ, Castellæ Regem sese olim adoratum venisse: atque vtinam non peiora intercidant. Pulchra est Castella nostra, & gloriosa, & magna; fruamur nos bonis nostris, & Galli fruantur suis.* NOS TE MAIOREM NOVIMVS NEMINEM. *Nulla dispar societas diuturna est.* Pius II. lib. 11. Comm.

Hæc

Hæc & his similia Regis Castellæ auribus inculcata aliquamdiu animum eius in diuersa rapuêre. Ac tandem (subdit post nonnulla Pius II.) *conuenerunt* CASTELLAE & FRANCIAE REGES IN IPSIS REGNO-

Lib. 2. c. 8. RVM FINIBVS. Addit Cominæus: *In ripâ fluuij, quæ vtrumque Regnum dirimit.* sic enim Gallica eius verti debent: *Sur le bord de la riuiere, qui depart les deux Royaumes.* Quia non solùm Vedasus fluuius totâ latitudine suâ, sed eius etiam ripa Orientalis, quæ Oceani æstu

Petrus Mantuanus. alluitur, Hispaniei iuris est. Vnde cùm inuicem traditæ sunt Reginæ nouæ nuptæ anno M. DC. XV. quia Franci tabulata super Ostiuâ Vedasi orâ construxerant, eoràm protestati sunt Fontarabienses, illa in

Lib. 17. c. 9. solo Hispaniæ ædificata esse. Videsis, Dominice, Garibayum à te alibi laudatum, ab illo disces, & quidem ex Ludouici XI. Franciæ Regis propriâ confessione, *Vedasum fluuium ad Regem Hispaniæ pertinere totum.*

Sed fingamus, Henricum Hispaniæ, vt Ludouico Franciæ Regi colloqueretur, augustis vestigiis alienum pressisse solum: amicæ profectò aditiones (vt iam dictum) nihil detrahunt maiestati, quinimò omnem inerentur ab hospite vrbanitatem atque honorem. Cùm

Iter D. Leonis, anno 1466. D. Leo, Baro de Rosmital & Biatna, ad aulam Bruxellensem PHILIPPI Burgundiæ Ducis accessisset, *mensæ accumbere iussus est cum aliquot Ducibus, videlicet Cliuensi, Geldrio, tribus filiis nothis Ducis Burgundiæ, & Comitibus quibusdam: sed Domino* LEONI *supremus locus supra Duces concessus est;* quia nempe externus erat, & PHILIPPI Ducis

Gothofredus in Congressu, c. 3. an. 1507. M. Carillus anno 1623. hospes. Ita Ludouicus XII. Franciæ Rex Ferdinando Regi Atagoniæ (qui eum Sauonæ agentem adierat) primas vbique detulit, *sciens honorem reciprocum esse, & ad honorantem reuerti.* Sic Philippus IV. Rex Catholicus Carolo Walliæ Principi, vti Madriti in Hispaniâ hospiti, primos honores concessit. Quòd nimirum solemne sit Principibus officij deferendi curam omni humanitate compensare.

Sed vrget Gothofredus, *Ludouicum XI. Franciæ Regem, ex more Maiorum Principum, in assignatum colloquio locum se priorem contulisse, vt Sancium Hispaniæ Regem expectaret: qui mos etiamnum obseruatur inter Principum Legatos, qui de Pace sunt acturi: maioris enim Legati ad locum designatum priores accedunt.* Certè si mos ille quidpiam adiiceret Maiestati, Franci de prætenso iure suo multoties decessissent. Namque Ludouicum XI. Regem Peronæ præstolatus est Carolus Burgundiæ Dux anno M. CD. LXVIII. Ad conuentum Atrebatensem anno M. CD. XXXV. Oratores Anglici primi accessêre, quos proximè insecutus est Philippus Bonus Burgundiæ Dux: tum postremi aduenêre Dux Borbonius & Comes Richemontius nomine Caroli VII.

Regis

Regis Franciæ; vti fusè refertur à Ioanne Fabro, S. Remigij Toparchâ, Ordinis Aurei Velleris primo Fœciali. In conuentu Mantuano anno M. CD. LIX. comparuere Principum Oratores hoc ordine; Burgundiones, Poloni, Sabaudi, Veneti, Hungari, Franci, Germani. Denique in nupero Monasteriensi diuersis se stetêre temporibus; primùm Cæsarei, deinde Hispani, *ramis velati Palladis omnes*: tum Venetus, ac post illum Nuncius Apostolicus, Pacis conciliatores: vltimique omnium Franci. In MS. Comm. Pius II. in Comm. Vitæ suæ.

LVMEN XVII.

Occidentales Franci non præcessêre Castellanos in Concilijs recentioribus.

I. Non in Constantiensi.

IN Constantiensi Concilio plures fuêre subselliorum hemicycli, vbi sedêre Patres numero CCL. quibus absente Summo Pontifice præsidebat Ioannes Episcopus Ostiensis, S. R. E. Cardinalis & Vicecancellarius. Et quemadmodum Constantinus Magnus in Nicæno Magno, Constantinus Pogonatus in Constantinopolitano tertio, medij sedebant; ita etiam Sigismundus Imperator in Principum & Legatorum Constantiensis hemicyclo *medius in sede suâ regiâ erat, indutus vestimentis imperialibus, coronam in capite habens, adstantibus illi Rodulpho Duce Saxoniæ in ense, Ludouico Bauariæ in pomo, & Friderico Marchione Brandeburgensi in sceptro, & habitibus consuetis, ipsi seruientibus.* Anno 1416. Eusebius de Vitâ Const. l. 3. c. 10. Theodoretus l. 1. c. 7. Sessione 14. 17. 33. 40.

Ad Imperatoris Sigismundi dextram sedebant *Didacus Conchensis Episcopus, & Ferdinandus Petri de Ayala, maior Præfectus Guipuscoæ, Regis Castellæ Consiliarij; Ioannes Episcopus Parcensis; Martinus Fernandi, Domicellorum Præses; Ferdinandus Martini de Daualos Segobiensis, & Didacus Ferdinandi Palentinensis Ecclesiarum Decani, Decretorum Doctores; Frater Ludouicus de Valle Oleti, Ordinis Prædicatorum, in Theologiâ Magister Parisiensis; Ioannes Ferdinandi de Rupeflore Decretorum Doctor; Oratores & Procuratores Ser*^mi^ *D.* IOANNIS *Regis Castellæ & Legionis, ac Ser*^mæ^ *Dominæ Reginæ matris & tutricis eiusdem, Regnorum gubernatricis*. Hos verò sequebantur in eadem dextrâ parte Legati Ioannis Burgundiæ Ducis. Sess. 35.

Dixi Legatos Ioannis II. Regis Castellæ sedisse ad dextram Imperatoris; Primò, quia Ægidius Gonçalez de Auila refert, in eo Concilio *Didacum Conchensem Episcopum, Regis Castellæ Oratorem, vi occupasse locum* Lib. 3. Histor. Salmantic. c. 14.

locum Legati Ducis Burgundiæ; qui absque dubio Constantiam prior aduenerat, & in scamni capite se collocarat. Dextrum autem fuisse illud scamnum ex eo colligitur, quod in Concilio Basileensi petierunt Oratores Philippi Ducis Burgundiæ, *ut ipsis daretur locus statim & immediatè post Reges, ut obseruatum fuerat in Constantiensi, & alijs Concilijs:* qui locus ipsis iam quæsitus in parte dextrâ, sententiâ Patrum Basileensium concessus illis fuit.

Vide Vindic. Hispan. c. 14. Sess. 22.

Insuper *Oratores Iacobi & Ioannæ, Regis & Reginæ Hierusalem & Siciliæ, requisiti fuerunt* (in eodem Constantiensi Concilio) *ut quoniam expectarentur Oratores Regis Castellæ & Legionis, placeret Oratoribus dictorum Regis & Reginæ dimittere locum, quem in sessione tenebant, tamquam qui eisdem Oratoribus dicti Regis Castellæ venientibus debebatur; & durante præfato Concilio vaderent* AD PARTEM SINISTRAM *post Ambassiatores Regis Angliæ.* Sederunt ergo post Anglos in parte sinistrâ Siculi, qui dextram priùs occupauerant; quæ venturis Castellanis seruabatur & debebatur.

Oratores porrò Caroli VI. Francorum Regis ad sinistram consedisse colligo ex ijs quæ in laudatâ sessione paucis interiectis referuntur: *Quibus sic peractis, prædicti Domini Ambassiatores Regis Aragonum descenderunt ambonem, & iuerunt in scamnum in quo sedebant Domini Ambassiatores Regis Franciæ, & interpositi fuerunt* (nota mixturam) *inter eosdem in hunc modum: Primò enim in primo loco sedebat egregius vir Ioannes de Gersono, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, sacræ Theologiæ Professor, Ambassiator Francorum Regis: & post eum sedebat Dominus Ioannes Raimundus Folk, Comes Cardonæ, Ambassiator Aragonum Regis; & sic de singulis.* Quia Oratores Alphonsi V. Regis Aragoniæ mixtim sedebant cum Francis; si à parte dextrâ sedissent Franci ante Castellanos; isti quoque Aragonijs, qui Francis permisti erant, fuissent inferiores: quod nullibi factum reperitur. Sedebant ergo à parte sinistrâ Franci permisti Aragonijs, deinde Angli & Siculi; dextrâ hemicycli parte à Castellanis & Burgundis occupatâ.

Denique, ex Actis Concilij Constantiensis nullo modo constat Francos præsedisse Castellanis: quinimò cum Francis ipsis de loco Aragonenses iure potuissent contendere; quorum Rex *Iacobus* in Lugdunensi II. in ipsis Galliæ visceribus celebrato anno M. CC. LXXIV. *sedebat iuxta Gregorium X. Summum Pontificem; Nuncij autem Imperatoris Græcorum sedebant à latere dextro post Cardinales.*

Sess. 1.

Verùm ne Legatorum ille consessus aliquid turbarum adferret, optimo consilio statuit Constantiensis Synodus, *ut nihil omnino excellentiæ seu præeminentiæ, aut cuiuscumque alterius iuris, proprietatis aut possessionis,*

Sess. 26.

possessionis, vel quasi, alicui nationi per præmissa, vel aliquod eorum acquiratur, seu acquisitum sit, seu quouis modo accrescat, seu accreuisse censeatur, circa prioritatem aut posterioritatem; *illaque prohibuit in futurum quomodolibet allegari.*

II. Non in Basileensi.

INCHOATVM fuerat hoc Concilium Senis in Hetturiâ: sed cùm iustâs ob causas Martinus V. PP. illud in aliùm locum censuisset transferendum, Basilea, prouinciæ Bisontinæ ciuitas, electa est. *Quo loco taliter electo, & pronunciato, & assignato, & deputato* (verba sunt Synodi Basileensis) *vocati fuerunt in locum dictæ congregationis Reu^mi Patres & Domini, DD. Ioannes Archiepiscopus Toletanus, nationis* HISPANAE *Præsidens; Ioannes Archiepiscopus Rothomagensis, nationis* GALLICANAE *Præsidens; Ricardus Eboracensis,* ANGLICANAE *nationis Præsidens: in quorum præsentiâ dicti loci electio fuit solemniter publicata.* Quid clatius pro Hispanæ nationis prætogatiuâ supra Gallicam? Eumdem nationum ordinem firmat Platina: *Quòd Basileense Concilium iam inchoatum Martini decreto augeri in dies cerneret, concurrentibus ex* HISPANIAE, GALLIAE, *Germaniæ Pannoniæque Principibus, qui communem Christianæ Reipub. causam in arbitrio Concilij disponebant.* Anno 1431. Sess. 1. In Vitâ Eugenij PP.

Eo vsque legitima & Oecumenica fuit Basileensis Synodus, Pontificum auctoritate indicta & inchoata: sed postquam sub præsidio Cardinalis Arelatensis continuata, inuitoque Pontifice prorogata est, non tantùm Oecumenica, sed etiam legitima esse desijt; vnde à Concilio Lateranensi sub Leone X I. appellatur *Conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis.* Huius gesta Æneas Syluius descripsit duobus libris: in primo agitur de Eugenij Papæ legitimi depositione; in secundo de Fœlicis pseudopontificis electione; nullusque ibi ordo in Oratorum suffragijs seruatus, vti ostendo exemplis. Sess. 11.

Æneas Syluius paginâ quintâ: *Archiepiscopus* PANORMITANVS (Legatus Regis Siciliæ) *primus dixit; plurima etiam Prælatorum decus* BVRGENSIS *Episcopus, Orator Regis Castellæ.* Edit. Basil. an. 1551.

Paginâ septimâ: *Sequenti die generalis congregatio fuit, & post prandium ad capitulum omnes redierunt. Rogatusque sententiam* LVGDVNENSIS *Archiepiscopus, Orator Regius: at* BVRGENSIS *Episcopus, Orator Hispanus, conclusiones bifariàm diuisit.*

Paginâ XXIII: *Vt ad generalem deuentum est quæstionem, è vestigio Principum Oratores affuerunt.* PRIMVS *igitur* BVRGENSIS *Episcopus suadebat, &c. post eum Panormitanus Archipræsul, &c.*

Paginâ XXV: *Ludouicus Cardinalis Arelatensis* (Præses Concilij) *versus primitus ad* CASTELLANOS, *plurima de ipsorum erga Concilium deuotione dixit. Rex Christianissimus Francorum* LVGDVNENSEM *inter disputantes habuit.*

Paginâ XXXVI: *Intereà complures grauissimi viri Panormitanum exhortabantur, vt suâ conclusione discederet: instabatque maximè* BVRGENSIS *Episcopus* (Legatus Regis Castellæ.) *Quam inter contentionem paululum nactus audientiæ* LVGDVNENSIS (Orator Regis Franciæ) *conclusionem Panormitani nullius esse momenti dixit; vtilem tamen sibi videri dilationem, si forsitan, vti* BVRGENSIS *dixerat, agi de concordiâ Patrum posset.*

Vides interdum Franco priorem Hispanum, interdum Hispano Francum; ita vt loquendi nullus seruaretur ordo. Verùm obijcies, vbi agitur de Oratorum profectione ad ciuitatem Moguntinam, hunc
Pag. 2. ordinem ab Æneâ obseruari: *Ex Oratoribus Cæsaris, Lubecensis, & Georgius miles: ex Gallicis, Archiepiscopus Turonensis, & Trecensis Episcopus, ac collegæ alij, præter Lugdunensem Archiepiscopum: ex Castellanis, tantùm Concensis Episcopus; nondum enim deliciæ Hispaniarum Burgensis ex legatione ad Cæsarem erat reuersus: ex Aragonensibus nemo*. Sed aberat Hispanicæ legationis Princeps Episcopus Burgensis; quem suprà vidimus ante Lugdunensem Gallum quandoque sententiam tulisse:
Pag. 4. aberat etiam *Ebrunensis Episcopus, Serenissimi ac potentissimi Regis Ca-*
p. 25. *stellæ Orator:* quem *Regem* alio loco Æneas vocat *magnum & potentissimum.* Ex quibus clarè colligitur, propositionem à Patribus factam
Lib. 14. Legatis Regis Castellæ (apud Zuritam) vt sederent, & sententiam
c. 24. ferrent post Legatos Regis Franciæ, à Castellanis non fuisse admissam.

Prætereà Æneas Ioannem Castellæ Regem Carolo VII. Francorum Regi datâ operâ non postposuit, qui ad Summum Pontificatum
Lib. 2. euectus, & PIVS II. dictus, scripsit, *inter Henricum IV. Castellæ, &*
Comm. *Ludouicum XI. Franciæ Reges, parem de gloriâ contentionem fuisse.*

Sess. 1. Basileensis ergo Concilij, cùm per initia legitimum fuit, partibus adhærere iustius est, vbi nationem Hispanicam Gallicanæ antepesuit; nec propterea eius hoc de honoribus decretum est omittendum: *Sancta Synodus statuit ac decernit, quòd per honoris exhibitiones tam* IN SEDE, *quàm in alijs quibuscumque* DICTIS *aut* DICENDIS, *factis aut faciendis in hoc Concilio, per quoscumque Prælatos, Principes, vel eorum Nuncios & Legatos, nullum ius acquiratur, nullique præiudicium generetur.*

III. Non

III. Non in Lateranensi.

HIERONYMVS Wichius huic Concilio interfuit nomine Ferdi- Anno
nandi Aragonum Regis, non autem Regis Castellæ. Quam- 1511.
uis enim in mandato, quod datum est Burgis anno M. D. XI. Ferdi-
nandus Rex Aragonum dicatur *administrator Regnorum Castellæ, Le-* Sess. 2.
gionis & Granatæ pro Reginâ IOANNA, *filiâ suâ;* certum est, manda-
tum illud validum non fuisse, quòd Regina iam à quinquennio pa-
rum mente valeret, ita vt consilij exsors illud approbare non posset.
Audi Pontum Heuterum sub anno M. D. LIV: *In Hispaniâ obijt* Lib. 13.
IOANNA *Aragonia, Caroli Cæsaris ac Ferdinandi Romanorum Regis ma-* Rer. Austr.
ter, à morte mariti PHILIPPI *(qui obijt anno* M. D. VI.) *numquam
mentis compos, sed corpore valido, nugis rebusque ridiculis instar puerorum
tempus ad extremum vsque spiritum terens.* Wichius itaque Orator
Ferdinandi Aragonum Regis, si locum cessit Legato Ludouici XII.
Regis Franciæ, obesse non potuit iuri Regum Castellæ & Legionis.

IV. Non in Tridentino.

IN Concilio Tridentino anno M. D. LXIII. Claudius Fernandez Anno
de Quiñones, Comes Lunæ, PHILIPPI II. Hispaniarum, India- 1563.
rum, aliarumque plurium Coronarum Catholici & Potentissimi
Monarchæ Legatus, coram Patribus protestatus est, *locum sibi deberi
in Concilio primum post Romani Imperatoris Oratorum sedem.* Ille nihilo-
minùs, ob contentionem cum Regis Franciæ Oratore ortam, ne in
Ecclesiæ fideique detrimentum sacra Synodus turbaretur, accepit se-
dem in medio conclaui, solus, & separatim ab omnibus alijs Orato-
ribus, iuxta R[mum] Angelum Massarelum, Episcopum Thelesinum,
sacri Concilij Secretarium. Vnde Franco cessisse dici non potest:
præterquam quod, maximè huius controuersiæ causâ, palàm testa-
tum voluerit Oecumenica Synodus, *ex loco assignato Oratoribus in se-* Sess. 25.
*dendo, incedendo, aut quibuscumque alijs actibus, nullum cuiquam eorum
factum fuisse praeiudicium; sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Re-
rumpublicarum, ac Principum suorum iura & prærogatiuas illæsas & sal-
uas esse, in eodemque statu permanere, prout ante præsens Concilium repe-
riebantur.*

Illud prætereà notatu dignum, ab annis dumtaxat centum &
quinquaginta, Reges ac Principes in Romanâ Curiâ, alijsque Princi-
pum & Rerumpublicarum aulis, Legatos ordinarios habuisse; pri-
mosque huiusce consuetudinis Francos fuisse auctores, qui passim, er-
roris nixi vetustate, Reges suos à Caroli Magni stirpe solos, & directo
tramite, oriundos iactarunt; vti & Petrus Danesius in Tridentino Anno
1546.

Regni, ita & tituli voluit esse successor, atque dici cognomento CATHOLICVS. *Quod intermissum à successoribus*, FERDINANDVS *Aragonius*, HISPANIAE REX, *cùm ex omnibus titulis Regumque coronis nihil gloriosius fulgere sciret, quàm ex illibatâ custoditâ Religione comparatum* CATHOLICVM *cognomentum; precibus à* IVLIO II. *Romano Pontifice impetrauit, vt eiusmodi titulus* HÆREDITARIVS *esset omnium Regum Hispaniarum: quod Dei benignitate, etiam* CVM AVGMENTO DOMINII, *feliciter in posteris perseuerat.* Vt verò id Catholici munus ad nostra vsque tempora à nostris Regibus sanctè obseruatum fuerit, declarat alio lo-

Anno 563. n. 17. co Baronius istis quidem verbis: *Hoc planè sibi laudis vendicauit semper Ecclesia Catholica in* HISPANIA, *vt non ab erroribus tantùm, sed & ab suspicionibus suos voluerit esse immunes. Quo factum est, vt & hoc ipso nostro sæculo, cùm longè latèque facibus hæreticorum Orbis inflammaretur, ipsa illæsa perstiterit, accurrentibus summâ celeritate Dei ministris, si vel tenuem suspicionis scintillam, vel si non ignem, fumum saltem viderint, latentis ignis indicium, ipso præcipuè* CATHOLICO REGE *super omnes in opus nauiter incumbente.*

Hoc profectò in antiquæ nobilitatis Hispanicæ & populorum indigenarum laudem audacter proferre possum, quòd quamuis DCCC. circiter annorum spatio fuerint à Saracenis, Mauris & Arabibus vexati, & subacti, eorum tamen fides numquam defecerit; vt patet ex Concilijs Episcoporum ibidem continuò celebratis, & ex sanctis Martyribus, qui, vt inuiolatam Christi fidem seruarent, maximos cruciatus & horribilia tormenta pertulere, ne vllam rectæ fidei maculam inurerent.

Sed iam audi, Dominice, quid ante annos CD. de Gallæcis, latè

Ad annum 720. diffusis olim populis, Albericus scripserit: *Saraceni ex Africâ, Duce* ABRIAMA, *filio* MAHACVE AMIREI, *in Hispaniâ transfretant, eamque sibi vendicant. Ita Regnum VVisigothorum & Sueuorum destructum est, & redactum sub Saracenis, annis plus minùs* CCC. XLIV. *euolutis, ex quo ab Scythiâ expulsi sunt ab Hunis; ex quo verò, cedentibus Vandalis, & deuictis Sueuis, cœperunt regnare in Hispaniâ, annis circiter* CC. LVI. *euolutis.* REGNVM *verò tertiæ partis Hispaniarum, quod dicitur* GALICIENSIVM, *quod nec tunc VVisigothi, nec posteà Saraceni potuerunt subigere,* ADHVC *viget incolume, &* DEI PROTEGENTE FIDE *manet inexpugnabile.*

Audi prætereà Ioannem Pistorium natione Germanum, Vratisla-

In Præfat. ad Tom. 3. Hisp. Illustr. anno 1606. uiensem in Silesiâ Præpositum: *In Religione diuinoque cultu quanta, bone Deus! hodie laus* HISPANORVM *floret, floruitque* SINE INTERMISSIONE, *post semel susceptam ab Apostolis*, S. IACOBO *&* S. PAVLO, *eorumque*

torumque socio S. MANCIO (*Religionis per* HISPANIAM *satoribus*) *Christi fidem*; *quam ita constanter amplexa* HISPANIA *fuit*, *vt cùm hæretici Reges puritatem fidei contaminarent*, *ipsi vitam opponerent*, *nec facerent finem*, *nisi conuulsâ funditus & vno die deletâ sectâ*, *sicut Mauris*, *ex Dei in Reges vindictâ*, *in Hispaniam inundantibus*, *inter arma semper* CATHOLICA *conseruata defensaque* RELIGIO *fuit*, *extructis Monasteriis & templis*, *quæ supersunt*, *& gerendis contra fidei hostes perpetuis bellis. Hodie verò an vlla natio & ab hæresi liberior*, *& in fide Catholicâ Christi constantior? vocatis statim in capitis iudicium*, *qui adiuncti errori hæretico*, *vel affines perfidiæ Sarracenicæ*, *minimo indicio deprehenduntur. Inde Dei in Regem & Regnum beneuolentissima propensio*, *& in dilatando longissimeque per totum mundum proferendo Imperio concessa felicitas.* Audi verbis paucioribus Lucium Marineum Siculum: *In Orbe toto terrarum nulla gens hodie Hispanâ*, *vt ita dicam*, *Christianior.* Item Ludouicum Nonnium: *De Religione quid attinet dicere? cùm nuspiam penè terrarum plus sanguinis pro Christo sit effusum*; *nec puriùs alibi seruata*, *aut feliciùs in remotissimas Orbis plagas propagata sit.* Lib.5.c.6. Hispan. cap.6.

Itaque non immeritò PHILIPPVM IV. Regem non modo verâ Religione, quâ cæteris prælucet, sed etiam magnitudine dominationis CATHOLICVM seu *vniuersalem* ostendit Mathematicâ demonstratione Athanasius Kircherus, Germanus Fuldensis, qui Horoscopium magneticum per totum Orbem construxit: *Ex quo colliges*, inquit, *quota hora sit vbiuis terrarum*, *& Catholicæ Religionis functiones Ecclesiasticas ita sibi mutuo succedere*, *vt nullo planè tempore*, *siue noctu*, *siue interdiu interrumpantur.* Iterùm; *Regi Catholico Solem numquam occidere.* L.2. Artis magneticæ p.3. probl. 5.

Idipsum iam antè Claudius Richardus Burgundus, Mathematicarum in Collegio Imperiali Madritano regius Professor, Sole ipso clariùs demonstrauerat; vt non immeritò Grayaci, apud Sequanos meos, in vnâ vrbis portâ emineat eleganti opere perfectum Regis Catholici insigne scutarium cum hac desuper epigraphe: CVI SOLI SOL SEMPER. hoc est, Tam longè lateque diffusum esse sui Principis Imperium, vt (quod nulli Principum cum illo commune est) semper Sol luceat in aliquâ parte Orbis, vbi ipse imperet. Vnde fit, vt in qualibet anni tempestate illi perpetuò alicubi seratur, metatur; illi sit continua vindemia, continua oliuitas: & quod mirabilius est, *qualibet diei horâ iuge sit in eius ditione Missæ Sacrificium.* Cl. Clemens l. 1. Musæi, sect. 3.

Cæterùm glorientur quantum voluerint Franci Occidui de Clodouei Regis primâ Christianitate: iactent Caroli Magni Imp. præclara pro Christianâ Religione gesta, ob quæ à Leone III. Papâ proclamatus est *Defensor Romanæ Ecclesiæ*: Philippus IV. Rex Catholicus ma-

gni vtriusque Regis legitimus & proximior est hæres, vt dilucidè probauimus: ergo & ob illa etiam Maiorum suorum ex illo Stemmate decora præferri debet Capetino Franciæ Occiduæ Regi, qui remotiori gradu Principes illos attingit.

LVMEN XVI.

Franci Occidentales non sunt in possessione Ordinis honoratioris.

I. *Non ex rescripto S. Gregorij Magni.*



Lib. 6. ep. 5. HÆc sunt S. Gregorij PP. verba ad Childebertum Regem: *Quantò cæteros homines Regia dignitas antecedit, tantò cæterarum gentium Regna Regni vestri profectò culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alij, non mirum est; sed esse Catholicum, quod alij non merentur, hoc satis est.* S. Gregorius Magnus (qui sedit ab anno D. XC. ad annum DC. III.) epistolam illam scripsit anno D. XCV. ad *Childebertum*, qui Francorum Orientalium Rex erat, non Occidentalium. Vnde hîc operam ludit, vt passim, Dominicus, dum verba Pontificis detorquet ad Occidentale Franciæ Regnum, cui Clotarius II. tunc præerat. (Baron. anno 595. n. 70.; p. 267.)

Insuper, quia Gregorius Magnus *Childebertum* Regem laudat, eò quòd *Catholicus* esset; inde colligitur, comparationem Regnorum, quam instituit cum Childeberti Regno, non attinere ad Orthodoxa, sed ad ea dumtaxat, quæ hæreseos labe contaminata erant. Atqui priusquam S. Gregorius ad Childebertum scriberet, *Recaredus* Rex Hispaniæ *Catholicus* & *Orthodoxus* iam erat, omnemque Gothorum gentem in Hispaniâ primo Regni sui anno (nempe Christi D. LXXXV.) ad veram fidem conuerterat. Vnde paret, excellentiam Regni Childeberti, ex S. Gregorij mente, non fuisse super Hispaniæ Regna, quæ Catholica iam erant. Nihil igitur hoc sunt Dominicus ad se trahit; cùm insuper palàm sit, Capetinos Reges, stirpe extraneos, ad Orientalis Franciæ Regnum ius numquam habuisse; quippe quod Otho I. Imperator Romano coniunxerat Imperio, cùm in Ortiuâ Franciâ nulli Principes ex stirpe Carolinâ superessent. (Lucas Tud. Ioan. Biclarius. Baron. anno 585. n. 9. & 10.)

II. *Non ex libro Prouinciarum Romæ edito.*

HVIVS libri Auctor (cuius se patrocinio tutum fore frustrà confidit Dominicus) vel Regum in dignitate ordinem ignorauit, vel certè malitiosè inuertit: postposuit enim Hispaniæ Regem Angliæ

Angliæ Regi: quod vti nusquam in alio Scriptore reperias; ita nullam meretur fidem, vbi Francum Hispano Regi anteponit.

III. *Non ex colloquiis Regum à Dominico productis.*

AGE igitur, Dominice, quandoquidem huiusce obiectionis ducem habes Theodorum Gothofredum, ob oculos apertè ponatur ipsius locus: *Cùm*, inquit, PHILIPPVS *Pulcher Franciæ, &* SANCIVS IV. *Castellæ ac Legionis Reges mutuò se videre decreuissent anno* M. CC. XC. SANCIVS *Philippo deferens, illum adiuit Bayonæ Galliæ vrbe.* De Prærog. Regum c. 1. Anno 1290.

Sancius & Philippus Reges consobrini erant, duarum sororum filij. Sancius consanguineum suum fidenter & amicè conuenit: quid, amabo, prærogatiui inde iuris accessit Philippo? Ludouicus XI. Franciæ Rex Carolum Burgundiæ Ducem Peronæ agentem adiuit: an idcircò Carolus maior erat Ludouico? Ad rem Pius II. refert, *vidisse se* CAESAREM *sæpè Ducibus ac Marchionibus ad se venientibus occurrisse: fugiendam arrogantiam cunctis odiosam; humilitati, quam nemo non laudat, inseruiendum.* Quare nihil omnino detraxit magnitudini Sancij Regis illa ad familiarem propinqui consalutationem aditio. Anno 1468. Lib. 3. Comm.

Sic deinde Gothofredus: *Cùm* LVDOVICVS XI. *Franciæ, &* HENRICVS IV. *Castellæ ac Legionis Reges simul colloqui deberent in Regnorum confinio anno* M. CD. LXIII. HENRICVS LVDOVICO *cedens, traiecit fluuium, qui separat Regnum Castellæ à Regno Franciæ inter Fontarabiam & Endayam; & venit in partem Regni Franciæ.* Cap. 1. anno 1463.

Henrico IV. Castellæ ac Legionis Regi ab initio propositum fuerat, vt in terrâ Franciæ Ludouicum XI. Regem amicè conueniret: à quo illum reuocauit Hispanorum isthæc adhortatio: *Rex Franciæ cum exercitu venit, & expedito milite: Te togati sequuntur: cauendæ insidiæ sunt. Nulla coërcet honestas regnandi cupiditatem.* TV OMNIVM REGVM MAXIMVS *es, aut certè* SECVNDVS (scilicet ab Imperatore Romanorum, Germaniæ Rege.) *Quis non appetat tuo loco regnare? si tuas opes suis accumulet alter; quis illo maior erit? aut quid illi ad Orbis imperium deerit? cogitare animo quæcumque possint occurrere pericula, prudentis est, eaque declinare. Quid prætereà necessitatis habet iste conuentus? Ad pompam quæritur, non ad vtilitatem. Ingredieris alienum Regnum; minor videberis: gloriabitur te hospitem accepisse; & in Annalibus adnotari iubebit Rex Franciæ, Castellæ Regem sese olim adoratum venisse: atque vtinam non peiora intercidant. Pulchra est Castella nostra, & gloriosa, & magna; fruamur nos bonis nostris, & Galli fruantur suis.* NOS TE MAIOREM NOVIMVS NEMINEM. *Nulla dispar societas diuturna est.* Pius II. lib. 11. Comm.

Hæc

Hæc & his similia Regis Castellæ auribus inculcata aliquamdiu animum eius in diuersa rapuêre. Ac tandem (subdit post nonnulla Pius II.) *conuenerunt* CASTELLAE & FRANCIAE REGES IN IPSIS REGNORVM FINIBVS. Addit Cominæus : *In ripâ fluuij, quæ vtrumque Regnum dirimit.* sic enim Gallica eius verti debent : *Sur le bord de la riuiere, qui depart les deux Royaumes.* Quia non solùm Vedasus fluuius totâ latitudine suâ, sed eius etiam ripa Orientalis, quæ Oceani æstu alluitur, Hispanici iuris est. Vnde cùm inuicem traditæ sunt Reginæ nouænuptæ anno M. DC. XV. quia Franci tabulata super Ortiuâ Vedasi orâ construxerant, coràm protestati sunt Fontarabienses, illa in solo Hispaniæ ædificata esse. Videsis, Dominice, Garibayum à te alibi laudatum, ab illo disces, & quidem ex Ludouici XI. Franciæ Regis propriâ confessione, *Vedasum fluuium ad Regem Hispaniæ pertinere totum.*

Lib. 2. c. 8. Petrus Mantuanus. Lib. 17. c. 9.

Sed fingamus, Henricum Hispaniæ, vt Ludouico Franciæ Regi colloqueretur, augustis vestigiis alienum pressisse solum: amicæ profectò aditiones (vt iam dictum) nihil detrahunt maiestati; quinimò omnem merentur ab hospite vrbanitatem atque honorem. Cùm D. Leo, Baro de Rosmital & Biatna, ad aulam Bruxellensem PHILIPPI Burgundiæ Ducis accessisset, *mensæ accumbere iussus est cum aliquot Ducibus, videlicet Cliuensi, Geldrio, tribus filiis nothis Ducis Burgundiæ, & Comitibus quibusdam: sed Domino* LEONI *supremus locus supra Duces concessus est*; quia nempe externus erat, & PHILIPPI Ducis hospes. Ita Ludouicus XII. Franciæ Rex Ferdinando Regi Aragoniæ (qui eum Sauonæ agentem adierat) primas vbique detulit, *sciens honorem reciprocum esse, & ad honorantem reuerti.* Sic Philippus IV. Rex Catholicus Carolo Walliæ Principi, vti Madriti in Hispaniâ hospiti, primos honores concessit. Quòd nimirum solemne sit Principibus officij deferendi curam omni humanitate compensare.

Iter D. Leonis, anno 1466. Gothofredus in Congressu, c. 3. an. 1507. M. Carillus anno 1623.

Sed vrget Gothofredus, *Ludouicum XI. Franciæ Regem, ex more Maiorum Principum, in assignatum colloquio locum se priorem contulisse, vt Sancium Hispaniæ Regem expectaret: qui mos etiamnum obseruatur inter Principum Legatos, qui de Pace sunt acturi: maioris enim Legati ad locum designatum priores accedunt.* Certè si mos ille quidpiam adiiceret Maiestati, Franci de prætenso iure suo multoties decessissent. Namque Ludouicum XI. Regem Peronæ præstolatus est Carolus Burgundiæ Dux anno M. CD. LXVIII. Ad conuentum Atrebatensem anno M. CD. XXXV. Oratores Anglici primi accessêre, quos proximè insecutus est Philippus Bonus Burgundiæ Dux: tum postremi aduenêre Dux Borbonius & Comes Richemontius nomine Caroli VII. Regis

Regis Franciæ; vti fusè refertur à Ioanne Fabro, S. Remigij Toparchâ, Ordinis Aurei Velleris primo Fœeiali. In conuentu Mantuano anno M. CD. LIX. comparuere Principum Oratores hoc ordine; Burgundiones, Poloni, Sabaudi, Veneti, Hungari, Franci, Germani. Denique in nupero Monasteriensi diuersis se stetêre temporibus; primùm Cæsarei, deinde Hispani, *ramis velati Palladis omnes*: tum Venetus, ac post illum Nuncius Apostolicus, Pacis conciliatores: vltimique omnium Franci.

In MS. Comm. Pius II. in Comm. Vitæ suæ.

LVMEN XVII.

Occidentales Franci non præcessêre Castellanos in Concilijs recentioribus.

I. *Non in Constantiensi.*



IN Constantiensi Concilio plures fuêre subselliorum hemicycli, vbi sedêre Patres numero CCL. quibus absente Summo Pontifice præsidebat Ioannes Episcopus Ostiensis, S. R. E. Cardinalis & Vicecancellarius. Et quemadmodum Constantinus Magnus in Nicæno Magno, Constantinus Pogonatus in Constantinopolitano tertio, medij sedebant; ita etiam Sigismundus Imperator in Principum & Legatorum Constantiensis hemicyclo *medius in sede suâ regiâ erat, indutus vestimentis imperialibus, coronam in capite habens, adstantibus illi Rodulpho Duce Saxoniæ in ense, Ludouico Bauariæ in pomo, & Friderico Marchione Brandeburgensi in sceptro, & habitibus consuetis, ipsi seruientibus.*

Anno 1416. Eusebius de Vitâ Const. l. 3. c. 10. Theodoretus l. 1. c. 7. Sessione 14. 17. 33. 40.

Ad Imperatoris Sigismundi dextram sedebant *Didacus Conchensis Episcopus, & Ferdinandus Petri de Ayala, maior Præfectus Guipuscoæ, Regis Castellæ Consiliarij; Ioannes Episcopus Pareensis; Martinus Fernandi, Domicellorum Præses; Ferdinandus Martini de Daualos Segobiensis, & Didacus Ferdinandi Palentinensis Ecclesiarum Decani, Decretorum Doctores; Frater Ludouicus de Valle Oleti, Ordinis Prædicatorum, in Theologiâ Magister Parisiensis; Ioannes Ferdinandi de Rupestore Decretorum Doctor; Oratores & Procuratores Ser*^mi^ D. IOANNIS *Regis Castellæ & Legionis, ac Ser*^mæ^ *Dominæ Reginæ matris & tutricis eiusdem, Regnorum gubernatricis*. Hos verò sequebantur in eadem dextrâ parte Legati Ioannis Burgundiæ Ducis. Sess. 35.

Dixi Legatos Ioannis II. Regis Castellæ sedisse ad dextram Imperatoris; Primò, quia Ægidius Gonçalez de Auila refert, in eo Concilio *Didacum Conchensem Episcopum, Regis Castellæ Oratorem, vi occupasse* Lib. 3. Histor. Salmantic. c. 14.

 locum

locum Legati Ducis Burgundiæ; qui absque dubio Constantiam prior aduenerat, & in scamni capite se collocarat. Dextrum autem fuisse illud scamnum ex eo colligitur, quod in Concilio Basileensi petierunt Oratores Philippi Ducis Burgundiæ, *ut ipsis daretur locus statim & immediatè post Reges, ut obseruatum fuerat in Constantiensi, & alijs Concilijs:* qui locus ipsis iam quæsitus in parte dextrâ, sententiâ Patrum Basileensium concessus illis fuit.

Vide Vindic. Hispan. c. 14. Sess. 22.

Insuper *Oratores Iacobi & Ioannæ, Regis & Reginæ Hierusalem & Siciliæ, requisiti fuerunt* (in eodem Constantiensi Concilio) *ut quoniam expectarentur Oratores Regis Castellæ & Legionis, placeret Oratoribus dictorum Regis & Reginæ dimittere locum, quem in sessione tenebant, tamquam qui eisdem Oratoribus dicti Regis Castellæ venientibus debebatur; & durante præfato Concilio vaderent* AD PARTEM SINISTRAM *post Ambassiatores Regis Angliæ*. Sederunt ergo post Anglos in parte sinistrâ Siculi, qui dextram priùs occupauerant; quæ venturis Castellanis seruabatur & debebatur.

Oratores porrò Caroli VI. Francorum Regis ad sinistram consedisse colligo ex ijs quæ in laudatâ sessione paucis interiectis referuntur: *Quibus sic peractis, prædicti Domini Ambassiatores Regis Aragonum descenderunt ambonem, & iuerunt in scamnum in quo sedebant Domini Ambassiatores Regis Franciæ, & interpositi fuerunt* (nota mixturam) *inter eosdem in hunc modum: Primò enim in primo loco sedebat egregius vir* ***Ioannes de Gersono, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, sacræ Theologiæ Professor, Ambassiator Francorum Regis: & post eum sedebat Dominus Ioannes Raimundus Folk, Comes Cardonæ, Ambassiator Aragonum Regis; & sic de singulis.*** Quia Oratores Alphonsi V. Regis Aragoniæ mixtim sedebant cum Francis; si à parte dextrâ sedissent Franci ante Castellanos; isti quoque Aragonijs, qui Francis permisti erant, fuissent inferiores: quod nullibi factum reperitur. Sedebant ergo à parte sinistrâ Franci permisti Aragonijs, deinde Angli & Siculi; dextrâ hemicycli parte à Castellanis & Burgundis occupatâ.

Denique, ex Actis Concilij Constantiensis nullo modo constat Francos præsedisse Castellanis: quinimò cum Francis ipsis de loco Aragonenses iure potuissent contendere; quorum Rex *Iacobus* in Lugdunensi II. in ipsis Galliæ visceribus celebrato anno M. CC. LXXIV. *sedebat iuxta Gregorium X. Summum Pontificem; Nuncij autem Imperatoris Græcorum sedebant à latere dextro post Cardinales.*

Sess. 1.

Verùm ne Legatorum ille consessus aliquid turbatum adferret, optimo consilio statuit Constantiensis Synodus, *ut nihil omnino excellentiæ seu præeminentiæ, aut cuiuscumque alterius iuris, proprietatis aut possessionis,*

Sess. 26.

possessionis, vel quasi, alicui nationi per præmissa, vel aliquod eorum acquiratur, seu acquisitum sit, seu quouis modo accrescat, seu accreuisse censeatur, circa prioritatem aut posterioritatem; illaque prohibuit in futurum quomodolibet allegari.

II. *Non in Basileensi.*

INCHOATVM fuerat hoc Concilium Senis in Hetturiâ: sed cùm iustas ob causas Martinus V. PP. illud in alium locum censuisset transferendum, Basilea, prouinciæ Bisontinæ ciuitas, electa est. *Quo loco taliter electo, & pronunciato, & assignato, & deputato* (verba sunt Synodi Basileensis) *vocati fuerunt in locum dictæ congregationis Rev^mi^ Patres & Domini, DD. Ioannes Archiepiscopus Toletanus, nationis* HISPANAE *Præsidens; Ioannes Archiepiscopus Rothomagensis, nationis* GALLICANAE *Præsidens; Ricardus Eboracensis*, ANGLICANAE *nationis Præsidens: in quorum præsentiâ dicti loci electio fuit solemniter publicata.* Quid clarius pro Hispanæ nationis prærogatiuâ supra Gallicam? Eumdem nationum ordinem firmat Platina: *Quòd Basileense Concilium iam inchoatum Martini decreto augeri in dies cerneret, concurrentibus ex* HISPANIAE, GALLIAE, *Germaniæ Pannoniæque Principibus, qui communem Christianæ Reipub. causam in arbitrio Concilij disponebant.* Anno 1431. Sess. 1. In Vitâ Eugenij PP.

Eo vsque legitima & Oecumenica fuit Basileensis Synodus, Pontificum auctoritate indicta & inchoata: sed postquam sub præsidio Cardinalis Arelatensis continuata, inuitoque Pontifice prorogata est, non tantùm Oecumenica, sed etiam legitima esse desijt; vnde à Concilio Lateranensi sub Leone X I. appellatur *Conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis.* Huius gesta Æneas Syluius descripsit duobus libris: in primo agitur de Eugenij Papæ legitimi depositione; in secundo de Fœlicis pseudopontificis electione; nullusque ibi ordo in Oratorum suffragijs seruatus, vti ostendo exemplis. Sess. 11.

Æneas Syluius paginâ quintâ: *Archiepiscopus* PANORMITANVS (Legatus Regis Siciliæ) *primus dixit; plurima etiam Prælatorum decus* BVRGENSIS *Episcopus, Orator Regis Castellæ.* Edit. Basil: an. 1551.

Paginâ septimâ: *Sequenti die generalis congregatio fuit, & post prandium ad capitulum omnes redierunt. Rogatusque sententiam* LVGDVNENSIS *Archiepiscopus, Orator Regius: at* BVRGENSIS *Episcopus, Orator Hispanus, conclusiones bifariàm diuisit.*

Paginâ XXIII: *Vt ad generalem deuentum est quæstionem, è vestigio Principum Oratores affuerunt.* PRIMVS *igitur* BVRGENSIS *Episcopus suadebat, &c. post eum Panormitanus Archipræsul, &c.*

Paginâ XXV: *Ludouicus Cardinalis Arelatensis* (Præses Concilij) *versus primitus ad* CASTELLANOS, *plurima de ipsorum erga Concilium deuotione dixit. Rex Christianissimus Francorum* LVGDVNENSEM *inter disputantes habuit.*

Paginâ XXXVI: *Intereà complures grauissimi viri Panormitanum exhortabantur, vt suâ conclusione discederet: instabatque maximè* BVRGENSIS *Episcopus* (Legatus Regis Castellæ.) *Quam inter contentionem paululum nactus audientiæ* LVGDVNENSIS (Orator Regis Franciæ) *conclusionem Panormitani nullius esse momenti dixit; vtilem tamen sibi videri dilationem, si forsitan, vti* BVRGENSIS *dixerat, agi de concordiâ Patrum posset.*

Vides interdum Franco priorem Hispanum, interdum Hispano Francum; ita vt loquendi nullus seruaretur ordo. Verùm obijcies, vbi agitur de Oratorum profectione ad ciuitatem Moguntinam, hunc ordinem ab Æneâ obseruari: *Ex Oratoribus Cæsaris, Lubecensis, & Georgius miles: ex Gallicis, Archiepiscopus Turonensis, & Trecensis Episcopus, ac collegæ alij, præter Lugdunensem Archiepiscopum: ex Castellanis, tantùm Concensis Episcopus; nondum enim deliciæ Hispaniarum Burgensis ex legatione ad Cæsarem erat reuersus: ex Aragonensibus nemo.* Sed aberat Hispaniex legationis Princeps Episcopus Burgensis; quem suprà vidimus ante Lugdunensem Gallum quandoque sententiam tulisse: aberat etiam *Ebrunensis Episcopus, Serenissimi ac potentissimi Regis Castellæ Orator:* quem *Regem* alio loco Æneas vocat *magnum & potentissimum.* Ex quibus clarè colligitur, propositionem à Patribus factam Legatis Regis Castellæ (apud Zuritam) vt sederent, & sententiam ferrent post Legatos Regis Franciæ, à Castellanis non fuisse admissam.

Pag. 2. Pag. 4. p. 25. Lib. 14. c. 24.

Prætereà Æneas Ioannem Castellæ Regem Carolo VII. Francorum Regi datâ operâ non postposuit, qui ad Summum Pontificatum euectus, & PIVS II. dictus, scripsit, *inter Henricum IV. Castellæ, & Ludouicum XI. Franciæ Reges, parem de gloriâ contentionem fuisse.*

Lib. 2. Comm.

Sess. 1. Basileensis ergo Concilij, cùm per initia legitimum fuit, partibus adhætere iustius est, vbi nationem Hispanicam Gallicanæ antepofuit; nec propterea eius hoc de honoribus decretum est omittendum: *Sancta Synodus statuit ac decernit, quòd per honoris exhibitiones tam* IN SEDE, *quàm in alijs quibuscumque* DICTIS *aut* DICENDIS, *factis aut faciendis in hoc Concilio, per quoscumque Prælatos, Principes, vel eorum Nuncios & Legatos, nullum ius acquiratur, nulliqúe præiudicium generetur.*

III. Non

III. Non in Lateranensi.

HIERONYMVS Wichius huic Concilio interfuit nomine Ferdinandi Aragonum Regis, non autem Regis Castellæ. Quamuis enim in mandato, quod datum est Burgis anno M. D. XI. Ferdinandus Rex Aragonum dicatur *administrator Regnorum Castellæ, Legionis & Granatæ pro Reginâ* IOANNA, *filiâ suâ*; certum est, mandatum illud validum non fuisse, quòd Regina iam à quinquennio parum mente valeret, ita vt consilij exsors illud approbare non posset. Audi Pontum Heuterum sub anno M. D. LIV: *In Hispaniâ obijt* IOANNA *Aragonia, Caroli Cæsaris ac Ferdinandi Romanorum Regis mater, à morte mariti* PHILIPPI *(qui obijt anno* M. D. VI.*) numquam mentis compos, sed corpore valido, nugis rebusque ridiculis instar puerorum tempus ad extremum vsque spiritum terens*. Wichius itaque Orator Ferdinandi Aragonum Regis, si locum cessit Legato Ludouici XII. Regis Franciæ, obesse non potuit iuri Regum Castellæ & Legionis.

Anno 1511.

Sess. 2.

Lib. 13. Rer. Austr.

IV. Non in Tridentino.

IN Concilio Tridentino anno M. D. LXIII. Claudius Fernandez de Quiñones, Comes Lunæ, PHILIPPI II. Hispaniarum, Indiarum, aliarumque plurium Coronarum Catholici & Potentissimi Monarchæ Legatus, coram Patribus protestatus est, *locum sibi deberi in Concilio primum post Romani Imperatoris Oratorum sedem*. Ille nihilominùs, ob contentionem cum Regis Franciæ Oratore ortam, ne in Ecclesiæ fideique detrimentum sacra Synodus turbaretur, accepit sedem in medio conclaui, solus, & separatim ab omnibus alijs Oratoribus, iuxta R^mum Angelum Massarelum, Episcopum Thelesinum, sacri Concilij Secretarium. Vnde Franco cessisse dici non potest: præterquam quod, maximè huius controuersiæ causâ, palàm testatum voluerit Oecumenica Synodus, *ex loco assignato Oratoribus in sedendo, incedendo, aut quibuscumque alijs actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præiudicium; sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum suorum iura & prærogatiuas illæsas & saluas esse, in eodemque statu permanere, prout ante præsens Concilium reperiebantur.*

Anno 1563.

Sess. 25.

Illud prætereà notatu dignum, ab annis dumtaxat centum & quinquaginta, Reges ac Principes in Romanâ Curiâ, alijsque Principum & Rerumpublicarum aulis, Legatos ordinarios habuisse; primosque huiusce consuetudinis Francos fuisse auctores, qui passim, erroris nixi vetustate, Reges suos à Caroli Magni stirpe solos, & directo tramite, oriundos iactarunt; vti & Petrus Danesius in Tridentino Anno 1546.

Patrum confessu falsò pronunciauit; eademque leuitate Michaël Su-
In Relat. Franc. anno 1562. rianus inter Regni Franciæ prærogatiuas hanc recensuit: *Perche fu il primo, che per i meriti del* GRAN CARLO *(il quale per la grandezza delle cose fatte, fu chiamato il Magno) fu honorato del grado è dignità del Imperio*. Nunc laruâ detractâ aliter loqui licet: nec enim Capetini Reges à Carolo Magno, nec ab eius stirpe, cum natalium prærogatiuâ dimanant: neque Occidentalis Franciæ Regnum, quod ex vsurpatione possident, vmquam fuit nisi pars antiqui Francorum Regni, quod sub Carolo Magno Imperij dignitate honestatum fuit, vt
Cap. 9. ostendimus in Vindicijs Hispanicis.

Denique nullis vmquam probabitur monumentis, Hispaniarum & Indiarum Regis Legatos, in Concilijs aut Comitijs, Oratoribus Regum Franciæ Occiduæ postpositos fuisse.

LVMEN XVIII.

Lis de prærogatiuâ inter Reges Hispaniæ & Franciæ non est decisa.

Tomo 3. in Carolo IX.



SCIPIO Dupleix, Ludouico XIII. Regi ab Historijs, Pium. IV. Summum Pontificem acerbè carpit, quòd Regibus Franciæ bis iniquus fuerit: Primùm quidem in eo, quòd cùm intermissum Tridenti Concilium reuocasset diplomate dato XIX. Nouembris anni M. D. LX. se id fecisse declararit *post monitum Imperatorem* FERDINANDVM, *aliosque Reges & Principes*; haud expresso nominatim Francisco II. Franciæ Rege. Deinde, quòd anno M. D. LXIV. idem Pontifex Legatis Hispaniæ & Franciæ pares honores decreuisset.

p. 163. Assertor contrà laudat Pium IV. Pontificem, quòd *de Cardinalium sententiâ litem inter Reges apertè definierit solemni decreto an.* M.D.LXIV. *quo statuit, vt Legatus Franciæ solitam sedem occuparet.* Quo loci iniustè me arguit Dominicus, quòd affirmare ausus sim litem sub iudice adhuc versari. At ego assertionem meam testimonijs extra reprehensionem firmo: nullam enim sententiam latam, nec litem decisam constat: Primò, ex Actis Aulæ Romanæ consistorialibus, in quibus hæc leguntur.

PIVS PP. IV. *in Consistorio die* XVIII. *Augusti* M. D. LXIV.

SANCTISSIMVS *D. N. fecit verbum de reuocatione Oratoris à Ser^mo Catholico Rege factâ, dicens credere Regem reuocasse illum, vt gratum faceret Sanctitati suæ, quæ id petierat, ob excessum & grauissimum delictum*

ab

ab ipso Oratore commissum. Nam OB PRAECEDENTIAM *cum Christianissimo Rege Sanctitatem suam nihil fecisse, quod iustè Regi Catholico displicere potuerit,* NVLLAM SENTENTIAM TVLISSE; *locum tamen solitum Oratori Christianissimi Regis negari non potuisse, & id sine alicuius præiudicio; paratum esse iustitiam ministrare, & causam (si petierint) committere vel Collegio Cardinalium, vel Auditorio Rotæ: non posse credere, Regem ægrè tulisse, id quod Sanctitas sua omittere sine magnâ iniuriâ non poterat; sperare omnia à Regis pietate, quem sibi carissimum filium futurum, remotis malis consilijs, non dubitabat: & multa dixit in Regis laudem, conijciens culpam omnem tam factorum quàm verborum in hunc Oratorem, & ministros.*

Nullam sententiam fuisse latam constat præterea ex Pontificijs codicillis Pij PP. V. quorum hoc exemplum ex Archiuo Regio Simancensi ad nos misit vir de omni litterarum genere benè meritus, D. Laurentius Ramirez de Prado, in supremo Castellæ Concilio dignissimus Senator.

PIVS PP. V.

AD futuram rei memoriam. Cùm nos ad vniuersalis Ecclesiæ solicitudinem, licet insufficientes, diuinâ disponente Clementiâ vocati, nihil sanè potius aut antiquius habuerimus, quàm vt, tamquam Pastores seduli, fauente Domino prouideremus, ne, suadente illo, cuius est proprium pacem turbare, pax & concordia inter Christianos Principes, & præsertim Charissimos in Christo filios nostros PHILIPPVM *Hispaniarum Catholicum, &* CAROLVM *Francorum Christianissimum, Reges, perturbaretur; sed illa, nostro potissimùm tempore, conseruaretur: & propterea considerantes, quòd ex prætensione & differentiâ, quæ super præcedentiâ inter Oratores eorumdem Regum orta iam erat, grauia, & maxima damna & scandala excitari poterant; cupientesque damnis & scandalis huiusmodi, quantum cum Deo possumus, obuiare; statim, à nostri Pontificatus initio ad eundem* PHILIPPVM *Regem scripsimus, ab eoque enixè petijmus, vt ex causis honestis, & dignis respectibus, tempus præsens concernentibus, differentiam ipsam in præsenti suspenderet, atque differret; Oratoremque suum, ad Maiestatis Regiæ amplissimorumque Regnorum suorum commoditatem, nostramque & sanctæ Apostolicæ Sedis dignitatem tuendam, apud Nos permanere iuberet: qui quidem* PHILIPPVS *Rex pro suâ singulari bonitate, & ob reuerentiam, quâ Nos & eandem Sedem filiali amore prosequitur, huic petitioni nostræ benignè annuit; seque differentiam eandem, dummodò & in iure suo (quod sibi in petitorio, & forsan possessorio, occasione differentiæ huiusmodi competere prætendit) præiudicium aliquod non fiat, pro nunc suspendere, Nobis per*

suas

suas litteras respondit. Nos igitur attendentes, præfatum PHILIPPVM *Regem pro suâ spectatâ & innatâ benignitate petitioni nostræ libenter obsecutum fuisse; & ideò, ne ex suâ erga Nos propensâ voluntate, & obedientiâ, in vtroque sibi occasione prætensionis ac differentiæ huiusmodi competentia, aliquod præiudicium ad præsens, seu in futurum generari contingat, opportunè prouidere volentes,* MOTV PROPRIO, *& ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolicâ per præsentes decernimus, volumus, declaramus, atque mandamus, quòd eidem* PHILIPPO *Regi, ob non prosecutionem prætensionis, ac differentiæ huiusmodi, de præsenti, neque in futurum, nec vllo vmquam tempore, tam in petitorio, & proprietate, quàm possessorio, vt præfertur, vbique locorum, aliquod præiudicium non fiat, nec inferatur, aut generetur, neque fieri, inferri, aut generari possit; sed ius, quod vtrique Regi in hac ipsâ prætensione & differentiâ quomodolibet competit, & competere poterit, omnino illæsum, intactum & integrum remaneat; liceatque eidem* PHILIPPO *Regi illud, quando tranquilliora tempora successerint (quæ vt eueniant vehementer optamus) vbilibet prosequi, determinari, & decidi facere, & sic ab omnibus Iudicibus, & Commissarijs, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & quibusuis alijs, iudicari, definiri, ac terminari debere: irritum quoque & inane quidquid secùs super his à quoque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus priuilegijs, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vltimâ Aprilis* M. D. LXVI. *Pontificatus nostri anno primo. Cæs. Glorierius.*

In hoc Diplomate seriò aduertendum, Pium V. Pontificem, etsi prærogatiuæ litem haud decisam esse clarè significet, primas tamen, velut ex anticipato iudicio, PHILIPPO Regi deferre; vt passim fecit in Epistolis, quas in Vindicijs Hispanicis designauimus.

Cap. 14. p. 259. Verùm adhuc insurgit Dominicus, & ait, *Dum Romæ ageretur de vindicatione S. Didaci ab Alcala, anno* M. D. LXXXVIII. *Legatum Hispaniæ Franci concursum vitasse, & sic loco cedentem proprio damnatum fuisse præiudicio.* Sed idcircò abfuit prudens Hispanus, vt scandalum vitaret: mansitque nihilominùs in suo iure, quia lis terminata non erat. Quinimò pro Hispani iure planè facit secuta decennio pòst Clementis VIII. Summi Pontificis declaratio, die XV. Aprilis anni M. D. XCVIII. in quâ sub finem PHILIPPVM II. Regem antepofuit HENRICO IV. Franciæ Regi: illam suprà adduximus Lumine IX. Salico, exemplo XIX.

CON-

CONCLVSIO.

Vaticinium Rabani Mauri ineptè Dominicus applicat Capetinis Franciæ Occidentalis Regibus: quod totum est è re nostrâ, atque omnino ad Austriacos Reges & Imperatores pertinet.

ASSERTOREM suum Gallicum Dominicus concludit antiquorum Doctorum sententiâ, qui scripsêre, non antè Mundum hunc aspectabilem periturum, quàm vnus ex Regibus Francorum, Romani ex integro possessor Imperij, Hierosolymam aduenïens, in monte Oliueti coronam & sceptrum deponat: ad quod adducit Auctorem Tractatus de Antichristo, suppositi Augustino; cuius hæc sunt germana verba: *Dicit Apostolus Paulus, Antichristum non anteà in mundum venturum, nisi venerit primùm discessio; hoc est, nisi discesserint omnia Regna à Romano Imperio; quæ priùs subdita erant: Hoc autem tempus nondum aduenit; quia licet videamus Romanum Imperium magnâ ex parte destructum; tamen quamdiu Reges Francorum durauerint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romani dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus suis stabit. Quidam verò Doctores nostri dicunt, quòd* VNVS EX REGIBVS FRANCORVM ROMANVM IMPERIVM EX INTEGRO TENEBIT, *qui in nouissimo tempore erit; & ipse erit* MAXIMVS, *& omnium Regum vltimus; qui postquam Regnum suum feliciter gubernauerit, ad extremum Hierosolymam veniet, & in monte Oliueti sceptrum & coronam suam deponet. Hic erit finis & consummatio Romanorum Christianorumque Imperij; statimque, secundùm prædictam sententiam Apostoli Pauli, Antichristum dicunt futurum.* Pag. 271.

In primis, Dominice, illud Regnum, & Reges Francorum, Theophilus Raynaudus, acutissimi vir ingenij, ac doctrinæ singularis, explicat de Romano Imperio, & Romanis Imperatoribus, non de Capetinis Franciæ Occidentalis Regibus; etsi Francos eo loci acriter tuetur aduersus eum, qui scripsit, *carnifices, qui Christum in Iudæâ cruci affixerunt, Francos fuisse.* In Iudâ cap. 1.

Præterea, vt Vaticinii sensum assequamur, sciendum quis ille fuerit, & quâ ætate vixerit. Rupertus Tuitiensis Auctorem libri de Antichristo agnoscit fuisse *Rabanum Maurum*, Fuldensem primùm in Franconiâ Abbatem, deinde Archiepiscopum Moguntinensem, anno DCCC. XLVII. qui è viuis excessit anno DCCC. LVI. Florebat ergo in Franciâ Transrhenanâ Rabanus sub Lothario I. Imperatore, filio Ludouici Pij, Caroli Magni nepote, qui vetus & amplissimum Athanas. ad Antiochum quæst. 108. In cap. 8. Apocal.

tunc temporis Francorum Regnum Imperij Romani titulo possederunt; non per tyrannidem quidem, sed ex Summi Pontificis Stephani auctoritate, quâ iussit, *vt omnis* ALIENIGENA *ab eius Regni inuasione Apostolico anathemate interdiceretur; néve* DE ALTERA STIRPE *alius in Regem Francorum eligeretur.* Atqui Reges & Imperatores Austriaci, Caroli Magni & successorum eius legitimi sunt hæredes; Reges autem Capetini, Occidentalis Franciæ aliorumque Regnorum noti sunt vsurpatores. Vnde colligi datur, Rabanum de legitimis & proximioribus è Caroli Magni stirpe Regibus locutum, non de vsurpatoribus.

Sigeb. anno 752. Regino anno 753.

Insuper, cùm Romanum Imperium in Orientale & Occidentale dispertitum fuerit, vbi dixit Rabanus, *fore vnum ex Regibus Francorum, qui Romanum Imperium* EX INTEGRO *tenebit*; haud dubiè intellexit Regem, qui iure optimo vtrumque possessurus esset. Atqui Reges & Imperatores Austriaci non tantùm ius habent primarium, & cum natalium prærogatiuâ, ad Occidentalem Caroli Magni Imp. hæreditatem, sed etiam ad Imperium Orientale Constantinopolitanum, vt suprà ostendimus. Itaque par est credere, in fine sæculi, cùm Dei Iustitia maximè effulgebit, vnum ex legitimis vtriusque Imperij posteris (qui nunc sunt Austriaci) Romanum Imperium integrè possessurum.

Lum. 9.

Hæc sunt AVIA quæ PERAGRO LOCA, Dominice, NVLLIVS ANTE TRITA SOLO, vt canit Poëta physicus; non vt tu, qui TRIVIA & commentitia passim consectaris. *Assertor* tuus *Gallicus*, cœnotaphio similis, præter inane nomen deinceps nihil retinebit. Ideoque pluribus tecum non agam, ne claris & conspicuis per se rebus argumentorum fumos prætendere velle videar; & magis de spernendis obtrectationum aculeis, quàm de profligatâ errorum Odisseâ triumphare.

Lucretius.

De cætero, hîc ad finem monitum te cupio, mi Lector, clariss. viros San-marthanos fratres à me passim dilaudatos in hoc Opere; me non mutare mentem, sed explicare. Illi genealogicam Regum Francorum Historiam typis ter euulgarunt. Prior editio anni M. DC. XIX. imperfecta est, & specimen potiùs quàm absolutum Opus. Altera anni M. DC. XXVIII. longè amplior, instructior, & vtcumque sincera; quia tunc ambo Reges altâ fruebantur Pace. Tertia, quæ iamiam prodiit, hoc anno M. DC. XLVII. nouis Boucheti & Dominici commentis atque fabulis, vitio tempestatis, inquinata est & corrupta. Mediam me secutum, à tranquillis animis institutam, scire te volui: bellis namque ingenia sic deprauantur, vt quod iniusta causa excitauit, intemperantia litterarum velut fuco aspergat. Errores suos quia amant, defendunt hostes, maluntque excusare illos, quàm excutere.

APPEN-

APPENDIX.

AD LVMINA NOVA.

CAPVT PRIMVM.

De matrimonio ANSBERTI & BLITILDIS, *aduersus Fabrum.*



DVM editioni huius Operis intentus essem, prodiit Lutetiæ V. C. Ludouici Canterelli Fabri *Historica Dissertatio*; quâ contendit probare, nuptias ANSBERTI & BLITILDIS fabulosas, & vtrumque coniugem suppositititum esse: quia verò me ille non vno loco perstrinxit, & *fabulæ* (vt loquitur) *fautorem* insimulauit, propterea quòd Carolinam Regum nostrorum originem ab Ansberto & Blitilde deduxerim; haud abs re visum, ab iniquâ eius criminatione me eximere, & adducti Stemmatis solida fundamenta proferre. Anno 1647.

Cùm ex medio vitæ instituto in excelsiorem dignitatis gradum quispiam euehitur, solent illicò Scriptores ex publicis priuatisque documentis Maiores eius elicere, vt ipse non virtute propriâ, aut fortunæ fauore duntaxat, sed splendore Natalium etiam fultus, ad id fastigium elatus agnoscatur. Id planè contigit sæculo octauo, cùm PIPINVS Breuis, è suâ stirpe primus, Regale solium conscendit; nam ab eo tempore constanter assertum est, ipsum, & omnes Reges ab eo progenitos, ab Ansberto, Senatoriæ stirpis illustri viro, & Blitilde, filiâ Clotarij Regis, duxisse prosapiam.

TESTIMONIA SÆCVLI OCTAVI.

ELECTVS est à Francis in Regem Pipinus Breuis anno Christi DCC. LI. statimque, tertio pòst annò, Scriptores duo, vt illum à Merouingis Regibus oriundum ostenderent, eius texuêre Genealogiam. Primus fuit is, qui scriptum dedit *de Maioribus Domus Regiæ*; quod P. Pithœus ex vetustissimo exemplari Floriacensi, ac deinde Andreas Chesneus in lucem protulêre. sic autem ille: *Post transmigrationem generationis, ex filiâ* CLOTARII *Regis* ANSBERTVS *genuit* ARNOLDVM: *Arnoldus genuit sanctissimum* ARNVLFVM, *pòst Metensem Episcopum: Arnulfus quoque sanctus genuit* ANCHISEM: Baronius an. 754. n. 1. & 2. Tomo 2. pag. 1.

Anchises genuit PIPINVM *Maiorem Domus: Pipinus genuit* CAROLVM *Martellum: Carolus verò genuit* PIPINVM, *posteà Regem effectum.* Tum paucis interiectis: *Fuerunt autem Maiores Domus, à quibus* REGALIS GENERATIO *processit: primus quidem* ANSBERTVS *Senator, qui ex* BLITILDE *filiâ secundâ* (non *secundi*, vt malè in libris editis) CLOTHARII *genuit* ARNOLDVM, *patrem* S. ARNVLFI, *tandem Metensis Episcopi; qui genuit* ANCHISEM, *patrem* PIPINI.

Postremam hanc seriem iisdem pænè verbis retulit alter *Auctor Genealogiæ Regum Francorum*, quem Chesneus edidit ex MS. Codice Regis Britanniarum. Quinam autem essent illi Maiores Domus explicat Hugo Monachus, qui ad annum vsque DCCC. LV. Historiam suam perduxit: *Reges Franciæ*, inquit, *negotia Regni per* MAIORES AVLÆ REGIAE *administrabant, id est, per Dapiferum, Constabularium & Camerarium.* Ansbertus absque dubio munere quopiam simili apud Reges fungebatur; vnde inter Maiores Regiæ Domus meritò numeratus est. Quia porrò Scriptor iam laudatus, *de Maioribus Domus Regiæ*, desinit in vnctione Pipini Regis, quæ à Stephano III. Summo Pontifice peracta est anno DCC. LIV. colligi datur illum tunc temporis vixisse, & nouam Regum familiam eo Stemmate illustrare voluisse; vt de Pipini ortu à Clodoueo I. Rege per Blitildem palàm constaret. Clarè Claudius Fauchetus in Gallicis antiquitatibus: *Il ne faut doubter, que* PEPIN *ne cherchast touts les aduantages pour rendre plus auguste & plus aggreable l'election de sa personne, iusques à mettre en auant, qu'il estoit issu des anciens Roys, affin d'oster l'opinion du peuple, qui sans telle persuasion eust pensé la couronne estre tombée sur la teste d'vn estranger; puis que* LES AVTHEVRS DE SON TEMPS, *& de ses enfants, tant qu'ilz peurent, s'efforcerent de le faire croire, & tirer sa genealogie de* CLOVIS *premier Roy Chrestien.*

Tomo 1. pag. 795.

Apud Albericum an. 695.

Baron. loc. cit.

Volum. 2. lib. 1. fol. 409.

Alius Auctor tempore proximus (quippe qui gesta Francorum epitomata ad Carolum Magnum perduxit) idem perspicuè ostendit; vbi refert PIPINVM à Francis inauguratum, *ne conturbaretur* ORDO REGALIS, *quia erat* DE SANGVINE REGALI *Francorum.* Ille ordo regalis non erat alius quàm *mos gentis Francorum* à Fulcone memoratus; *vt Rege decedente, alium de Regiâ stirpe vel successione eligerent*; lineâ nempe muliebri non exclusâ; quandoquidem alium Pipini à Regibus ortum Scriptores non indicarint nisi per Blitildem; quam Clotarij I. Regis filiam fuisse ordine natiuitatis secundam docemur ab Auctore antiquo Vitæ S. Arnulphi Metensis Episcopi, qui de Clotarij I. Regis filiis iam enumeratis ita loquitur: *Habuerunt etiam duas sorores,* CLOTILDEM & BLITILDEM. ALBVIN *Rex Longobardorum* CLOTILDEM *duxit*

Laudatur à Dominico in Mensa suâ explicatâ. Flodoard. l. 4. c. 5.

Lib. 2. cap. 37.

duxit vxorem : ANSBERTVS *Aquitanorum nobilissimus* BLITILDEM *sibi oppigneravit in matrimonium* : *& ex præfatâ* BLITILDE, *filiâ* CLOTARII *Regis, trium suscepit liberorum decorem*, FERREOLVM, MODERICVM, BVRGISVM [aliàs Arnoldum] *ac vnius filiæ florem*, TARSICIAM *nomine*. Clotildis illa, Clotarij Regis natu maior filia, à Gregorio Turonensi vocatur *Chlotsinda*; quam Chesneus etiam vt maiorem præposuit Blitildi eius sorori. Lib. 2. cap. 3. Tomo 1. in Geneal. Merouingorum.

Epitaphium ROTHAIDIS, *filiæ Pipini Regis, sepultæ in Oratorio B. Arnulphi apud Metensem vrbem.*

Ante annum 800.

HIC *ego quæ iaceo*, ROTHAIDIS *nomine dicor*,
Quæ GENVS EXCELSO *nimiùm* DE GERMINE *duco:*
Nam mihi germanus, gentes qui subdidit armis
Ausonias, fretus KAROLVS *virtute Tonantis:*
PIPINVS *pater est* CAROLO *de Principe cretus*,
Agarenum strauit magnâ qui cæde Tyrannum:
PIPINVS *proauus, quo non audacior vllus:*
Ast abauus ANSCHISE *potens, qui ducit ab illo*
Troiano Anchisâ longo post tempore nomen:
Hunc genuit Pater iste sacer Præsulque beatus
ARNVLPHVS, *miris gestis qui fulget vbique:*
Hic me spe cuius freti posuere parentes.

Hoc tumuli elogium scripsit octauo sæculo Paulus Warnefridus, Diaconus Foroiuliensis: postquam enim recensuit Pipini Regis filias, statim subiicit: *Quarum epitaphia à nobis iussu gloriosi* REGIS KAROLI *composita, vt de eis liquidò Lectori satisfieret, subter annotare curaui.* In libro de Episco. pis Metens. Tunc ergo Rex solùm erat Carolus Magnus, qui deinde vnctus est & coronatus Romanorum Imperator anno DCCC. Notat portò Diaconus *Rothaidem excelso de germine genus ducere*; neque tamen vltra S. Arnulphum ascendit; quia nempe notum erat, beatum hunc Præsulem à Metouingis Regibus prosapiam duxisse. Illud enim non obscurè significat Paulus idem Diaconus, vbi affirmat, *sanctum* ARNVLPHVM *fuisse virum per omnia lumine sanctitatis &* SPLENDORE GENERIS CLARVM, *qui* EX NOBILISSIMO FORTISSIMOQVE FRANCORVM STEMMATE *ortus erat.* Libro eodem. Nec aliter Auctor Vitæ S. Arnulphi, quam scripsit mandante S. Clodulpho eius filio, vt in huius Actis legitur: sic enim coætaneus ille & familiaris Scriptor: *Beatus* ARNVLPHVS *Episcopus*, FRANCORVM PROSAPIA *ortus, altus sanè & nobilis parentibus, & rebus sæculi opulentissimus fuit.* Surius 16. Aug. Quæ vtriusque

verba de aliâ origine præterquam Regiâ intelligi non debent. Eodem enim sensu ALBERTVS II. Namurcensis Comes in libro veteri Euangeliorum S. Albani dicitur *matre genitus Francigenâ* ERMENGAR-
Anno 597. DE, *nobilissimam* FRANCORVM *progeniem trahente*. Apud Albericum de Edelberto Cantuariorum Rege legitur: *Habebat uxorem Christianam nomine* BERTAM *de* GENERE FRANCORVM: Filia erat Chari-
Anno 1024. berti Parisiorum Regis. Apud eumdem CONRADVS II. Salieus Imperator scribitur fuisse *ex parte matris* DE GENERE FRANCORVM.
Anno 1063. Item Petrus Hildesinsus & Fernandus Hispani fratres *ex matre* DE GENERE FRANCORVM. Apud Pium II. Papam Ludouicus XI.
Lib. 9. Comm. Franciæ Rex, FRANCORVM SANGVINE *natus*. Denique apud P. Æ-
Lib. 3. mylium Berengarius & Wido *per matres* FRANCIS *cognatione iuncti*. Quibus eloquendi modis Regale Francorum stemma non priuatæ cuiuspiam familiæ significatur. Vbi ergo sanctus Arnulphus dicitur *Francorum prosapiâ* & *Francorum stemmate ortus*, Regia intelligenda est origo, quam non aliunde ducebat sanctus Præsul quàm à Blitilde, Ansberti vxore, vt Auctores Pipini Regis æquales iam testati sunt, & qui sequuntur firmant.

TESTIMONIA SÆCVLI NONI.

Stemma Caroli Magni Imp. ex Chronico MS. *Franco-Saxonico, bibliotheca Collegij Societatis Iesu Treuiris.*

Circa annum 815. ANSPERTVS, *ex genere Senatorum*, PRÆCLARVS *vir atque nobilis, in multis diuitiis pollens, accepit filiam* LOTHARII *Regis Francorum coniugem nomine* BLICHTILT; *& habuit ex eâ filios tres, & filiam vnam: primogenitus ipsius* ARNOLDVS *nominatus; secundus, Feriolus; tertius, Modericus; & filia, Tarsicia. Feriolus quidem Episcopus ordinatus in Vncianâ ciuitate martyrio coronatus est: ibi requiescit in pace. Modericus verò in Harisio Episcopus ordinatus, ibi confessor Christi requiescit; vbi Deus per eius merita multa miracula operatur. Tarsicia verò virgo Christi in virginitate suâ perseuerans, in Rodanis ciuitate requiescit; per cuius merita ibidem Christi virtus cottidie ostentatur; quæ fertur etiam mortua mortuos suscitasse.* ARNOLDVS *primogenitus eius genuit* ARNOLFVM: ARNOLFVS *genuit Fludolfum &* ANCHISVM. *Fludolfus verò diuinâ largiente elementiâ Episcopus ordinatus est.* ANCHISVS *autem* PIPINVM *genuit*: PIPINVS *genuit* KAROLVM; KAROLVS *verò* PIPINVM *Regem*: PIPINVS *verò genuit gloriosum & nobilissimum*
* Lege XIV. *Cæsarem* KAROLVM. *Anno* DCCC* XV. *ab incarnatione Domini Magnus*

KAROLVS,

KAROLUS, *& Augustorum optimus, Aquisgrani v. Kal. Februarij, horâ diei tertiâ, de hoc sæculo migrauit, Amen. Regnauit annis* XLVIII. *decessit annis* LXXII. Quia desinit iste Genealogus in Carolo Magno Imp. quem magnis commendat elogijs, & obitus eius circumstantias adfert; non est dubium quin hoc Stemma ab eo sit descriptum statim ab Imperatoris excessu; hoc est circa annum DCCC. XV.

THEGANUS Chorepiscopus Treuirensis, Ludouici Pij Imp. contemporaneus, ad annum DCCC. XIII: *Qui est*, inquit, *annus Regni gloriosi & orthodoxi Imperatoris* KAROLI, *qui de* PROSAPIA *sancti* ARNULFI *Pontificis Christi ortus est, sicut paterno relatu didicimus, &* MULTÆ *testantur* HISTORIÆ. *Sanctus* ARNULFUS, *cùm esset in iuuentute Dux, genuit* ANCHISUM *Ducem:* ANCHISUS *Dux genuit* PIPINUM *seniorem & Ducem:* PIPINUS *senior & Dux genuit* KAROLUM *seniorem & Ducem:* KAROLUS *senior & Dux genuit* PIPINUM *Regem:* PIPINUS *Rex genuit* KAROLUM. De regali origine S. Arnulphi vide suprà quæ annotaui ad Epitaphium Rothaidis, filiæ Pipini Regis. Anno 837.

De Origine gentis Francorum Carolina carmen antiquissimum, quod R. P. Thomas Aquinas Carmelita excalceatus typis primus euulgauit anno M. DC. XLIV.

CLARA *tibi celsæ referam* PRIMORDIA *Gentis*, Anno 840.
KAROLE, *tantorum titulis insignis auorum,*
Quos pietate probos, meritis actuque verendos,
Conspicuos armis, firmos & fœdere pacis,
Collocat in solium rerum Regumque Creator,
Iure legens proauos veteres ab origine Reges,
Sis decus omne tuis, vnusque habearis vt omnes;
Hos referens armis, illos pietate secundans.
Cùm tibi PROSA TUAM *celebraret in ordine* GENTEM,
VERSIBUS *hanc nostræ libuit cecinisse Camœnæ,*
Vt sine lege, probis quæ non est indita, viuens,
Et cum lege Dei fælix serueris in æuum.
Incipe, Cæsareas versemus ab ordine cunas:
ILLE IUBET, *parêre decet te fistula nostra:*
Quæ celebranda forent præmissis INTULIT IPSE:
Quæ tibi sunt comperta modò tu carmine pande.
AUREA *cùm totum regnaret* ROMA *per Orbem*
Consilijs, sublime caput solenniter astris

Extulit,

Extulit, ac tonitru sonuit per climata mundi,
Horrida permiscens nimbosis fulmina bellis:
GALLIA *tunc tanto fremuit concussa fragore,*
In medioque sui tenuit tum fortè SENATVM,
E SENIBVS *natu sapiens quem* ROMA *coëgit:*
Ipsa feros inter referens moderamina mores,
Procubuit tandem multo de sanguine fessa;
ROMANOSQVE SENES *licet indignata recepit.*
SVRGIT *ab his igitur* NITIDO *de* * VERTICE *splendor,*
Lucifer vt reliquis assurgit blandior astris,
ANSBERTVS GENERIS *portans* INSIGNIA CLARI,
Nobilius sed corde iubar specimenque rependens,
Diues opum largusque manu fulgebat in auro.
Bellipotens tunc dura tui CLOTHARIVS *arma,*
Sceptraque victrici retinebat forte valenter,
FRANCIA *nomen habens proprio de nomine Franci:*
Huius erat plenis iam FILIA *nubilis annis,*
ROMA *tibi* CLAROS *quæ posset ferre* NEPOTES:
Copulat hanc thalamo vir diues & INCLYTVS *ille:*
Nomen erat BLITHILD, *multorum linea Regum.*
Sic igitur sic ROMA *tuos adcresce triumphos;*
IVNGE *quod æterno maneat sub fœdere* PIGNVS.
Viderat hoc certè Domini sententia longè,
CONNVBIO TALI *proles quòd surgeret alta,*
Quæ Romam ditione suâ præscriberet amplam,
Francorumque simul duras agitaret habenas.
Tu IVVENIS, *tu pulcher eras in semine tali*
KAROLE, *multorum non improuise laborum.*
Denique sic GENERIS *testatur in ordine* PROSA,
Et Regale Duces paulatim NOMEN *adornant.*
Suscipit ANSBERTVS *clarâ de coniuge natos*
Tres; & nata fuit fœlici dote virago:
E quibus ARNOLDVM *primogenitum vocitauit:*
FERREOLVM *sic deinde videns iubet esse secundum:*
Tertius assurgit MODERICVS *in ordine frater:*
Quarta puella Dei THARCISIA: *dicere semper*
Queis honor atque decus, pandam, memorabile mansit.
Præsul eras, sed Martyr ades FERIOLE *perempte,*
Sanguine fœda tuo testatur VCETIA *palmam,*
Quæ retinet cineres, repetit sed spiritus astra.

* al. *sanguine*

ANSBERTVS.

CLOTARIVS I. REX.

BLITILDIS.

Incipit Genealogia.
I. ANSBERTVS Blitildi iunctus.
II. ARNOLDVS.

Tu quoque fraternos MODERICE *imitaris honores,*
Iuris Apostolici culmen sublimiter ornans,
HARISIDO *confessor abis, ibidemque quiescis;*
Multaque pro meritis Christi miracula virtus
Est operata tuis: seruantur & hactenus ista.
Virgo Dei castis adolens altaria donis,
Virgineumque decus seruans THARSICIA, *fructu*
Centeno cumulata tenet memorabile nomen
RODINIS, *& cuius prestas insignia Christe*
Pro meritis fieri iugiter; nam mortua fertur
Ad Superos, mirum dictu, reuocasse cadauer:
Accipe virginitas dignam pro munere laudem,
Et potiora vale, dum mortua cerneris esse:
Virginis hoc nullo potuit de semine natus.
Vos quia celsorum cumulastis Regna Deorum,
Et tria scripsistis cœlesti nomina libro;
Tu benedicte dabis sobolem ARNOLDE *beatam,*
Quæ teneat terras, quæ cælum vertice tangat;
Quæ IVVENEM NOSTRVM *hinc vsque ad sidera tollat.*
Te genitore pijs ARNVLFVS *moribus exit,* III. S. ARNVLPHVS.
Pontificisque gradum meritis sortitur & actu:
Hoc patre * FLODVLFVS *superas despexerat auras,* *al. *Clodulfus*
Iura Sacerdotij patris de more frequentans
Filius, atque gradum tenuit de more paternum.
Huic erat ANSCHISVS *frater memorabilis æuo,* IV. ANSCHISVS.
Viribus infractis surgit quo Patre PIPINVS:
PIPINVSQVE *virum genuit cognomine* KARLVM: V. PIPINVS Herstalius.
KAROLE, *tu Regem referes in stirpe* PIPINVM;
PIPINVSQVE *senex* KAROLVM *de moribus offert:*
Hic vir, hic est nobis toto laudabilis æuo: VI. CAROLVS Martellus.
Suscitet hic validas in te, sua viscera, vires,
Optime REX NOSTER, *nomenque insigniter aptet:* VII. PIPINVS Breuis Rex.
Huius in obtentu breuiabo magna relatu:
Ecclesiam Christi puro veneratus amore
Ornauit, coluit, semper prouexit, & auxit: VIII. CAROLVS Magnus Imp.
Finibus à longis sophiâ te FRANCIA *compsit:*
Belliger indomitas deuincens vndique gentes
Transtulit ad formam sanctæ pietatis honestam,
Aut sibi subiectos faciens seruire Tonanti,
Finibus in proprijs firmos sub fœdere pacis,

Inde vel euulsos latum transmisit in Orbem.
SAXO *dira fremens poteris tu dicere vera,*
Mitia qui miti modo subdis colla potenti.
HVNNE *quid insanos iuuit cumulasse labores?*
Huius in aspectu vires cecidere superbæ,
Et semel attritæ nequeunt consurgere demum.
Vidit & extimuit vacuis NORMANNVS *arenis*
Arma Ducis, hæsitque mari, nec littora vastat,
Qui tua Regna modò ferro populatur & igni.
Historiæ pandent reliquas ex ordine Gentes,
Quas AVVS *ille* TVVS *sensu perfregit & armis:*
Hic senium longâ produxit pace dierum,
*Nomen habens astris, liquit * memorabile terris.*

* Magni

IX. LVDOVICVS Pius.

FILIVS *hinc scandit solium* HLVDVICVS *auitum,*
Pacificus, cultorque Dei, patiensque laborum;
Digna ferens, indigna simul, clementior extat,
Sanguinis immunem retinens à funere dextram:
Hic DECRETA *Patris* BENEDICTI *lege tenenda*
Sancit, & antiquæ renouat legalia normæ,
Cuius erat fautor deuotâ mente fideque.
Multa sub Imperio passum discrimina linquo,
Vltio quæ forsan rediuiuo tempore punit
Iusta Dei, montesque cadunt, vallesque leuantur.
Pòst vbi multiplices compleuit in Orbe labores,
TRANSIIT *ad Christum, vitamque remisit in astra:*
Tu modò, quem robur Regni comitatur ab annis,

X. CAROLVS Caluus.

KAROLE, SCANDE THRONVM, *Regum successor auorum,*
In medioque tenens æquo discrimine libram,
Hinc AVVS, *hinc* GENITOR *vires moresque ministrent.*
KAROLVS *inuicto feriat mucrone rebelles:*
HLVDVICVS *foueat deuotâ mente* SODALES:

a Carolus Magnus. b Ludouicus Pius.

Arma tibi [a] DAVID *durum consciscat in hostem;*
At [b] SALOMON *charum semper coniungat amicum.*
His eris illæsus dextrâ læuâque magistris;
Consilio tutus, prudenti pectore cautus,
Cùm scribenda TIBI *fuerint insignia gesta,*
Et MATVRA *suis* ÆTAS *adoleuerit annis,*
Prosequar vlteriùs. Iam carmina parcite venis,
Cùm teneam præclara quidem fastigia rerum,
Quæ decus & nomen celebrant animosque viriles,

Et

Et tibi festiuis applaudunt ritè choræis;
Vt tamen ad finem fuerint deducta, citentur.
Alta IVBET *nunc alta sequi sapientia vestri,*
Scilicet vt Christi referam miracula versu,
Dictaque vel HOMINIS *forma, vel scripta* LEONIS,
Aut VITVLI *specie, pennis* AQVILÆVE *rapacis.*
Quatuor en libros numero meritòque sacratos
Percurrent celeres, Domino præstante, Camœnæ.

NOTATIONES.

SCRIPTVM est istud Carmen statim ab obitu Ludouici Pij Imp. qui contigit XX. die Iunij anni DCCC. XL. cuius filio Carolo Caluo, regnate tum primùm incipienti, inscriptum, vt Auctor indicat, vbi de Ludouico parente ad filium Carolum canit:

TRANSIIT *ad Christum, vitamque remisit ad astra:* v. 113.
TV MODO, *quem robur Regni comitatur ab annis,*
KAROLE, SCANDE THRONVM, *Regum successor auorum.*

Tunc autem Carolum iuuenem fuisse (natum quippe Francofurti ad Mœnum anno DCCC. XXII.) sic docet Poëta:

TV IVVENIS, *tu pulcher eras in semine tali* v. 45.
KAROLE, *multorum non improuise laborum.*

Tum alio loco:

Tu benedicte dabis sobolem ARNOLDE *beatam,* v. 75.
Quæ teneat terras, quæ cælum vertice tangat;
Quæ IVVENEM NOSTRVM *hinc vsque ad sydera tollat.*

Præterea Caroli Calui iussu scriptum hoc carmen ex ordinatâ Maiorum serie; quam solutâ oratione descriptam ipsemet Poëtæ dederat, apertè restatur Scriptor, vbi Principem sic alloquitur:

Cùm TIBI PROSA *tuam celebraret* IN ORDINE GENTEM, v. 9.
VERSIBVS *hanc nostræ libuit cecinisse Camœnæ.*
Incipe, Cæsareas versemus ab ordine cunas:
ILLE IVBET, *parêre decet te fistula nostra:*
Quæ celebranda forent præmissis INTVLIT IPSE: v. 15.
Quæ tibi sunt comperta modò tu carminè pande.

Tum ante Genealogiæ explicationem:

Denique sic GENERIS *testatur in ordine* PROSA, v. 47.
Et REGALE *Duces paulatim* NOMEN *adornant.*

De Auctore Carminis haud facile est statuere: quamuis enim alicubi reperiatur insertum versibus magni Columbani, Luxouiensis in Burgundiâ Abbatis; non poterat illud scripsisse anno DCCC. XL.

Albericus in Chron. qui obierat Bobij in Italiâ anno DC. XXII. Neque huius Carminis Auctor fuit Herricus Autissiodorensis Monachus, qui, *cùm recens* Herricus in epist. ad Carolum Caluum. *scholis emergeret*, iussu Lotharij, Caroli Calui filij, scripsit versu heroico Vitam sancti Germani, quam habemus: quod opus incœperat ipso adhuc viuente Lothario: sic enim ille in præfatione libri primi:

GERMANO titulum parare laudis
Vrget materies, amor coarctat.
In te mirificus, PVER LOTHARI;
Cui fas non fuerit negare quidquam,
Non OS, non animum, nec illa certè,
Quæ sunt officijs amica pulchris.

In cit. epist. Sed vix Herricus *primas operis sui partes attigerat, cùm LOTHARIVS, teneros excedens artus, intempestiuâ sæculum morte deseruit*. Lotharium In Chron. autem puerum obijsse anno DCCC. LXVI. Ado Viennensis testatum Sigebertus in Chron. reliquit. Absoluit deinde opus suum Herricus anno DCCC. LXXVII. quo illud obtulit Carolo Caluo Imperatori, priusquam Cæsar excederet è viuis, die VII. Octobris eiusdem anni: tunc verò Herricus annum agebat ætatis XXXII. vt ipse significat in fine libri VI. & vltimi.

En vitam miseram iam TRINA DECENNIA versant,
Additus his ANNVS æuo gliscente SECVNDVS;
Meque boni quidquam numquam gessisse recordor.

Natus ergo Herricus (iuxta istum computum) circa an. DCCC. XLV. scripsisse non potuit istud Carmen, *de Origine gentis Francorum*, quod constat conditum ipso anno DCCC. XL. cùm primùm Carolus Caluus est inauguratus. Auctor tamen Carminis insinuat se nigrum Monachum fuisse; vbi sic de Ludouico Pio:

v. 116. *Hic decreta patris BENEDICTI lege tenenda*
Sancit, & antiquæ renouat legalia normæ.

Tum inferiùs:

v. 119. *HLVDVICVS foueat deuotâ mente SODALES.*

Ar illi versus clarè non exprimunt, illa *Decreta* Monachis *sodalibus* scripta, fuisse Regulam S. Benedicti Abbatis Cassinensis; quin potiùs suadent fuisse *Statuta Patris Benedicti, Indensis prope Aquisgranum Abbatis;* qui scripsit *Concordiam Regularum* fauente Ludouico Pio. Adde, In Chron. quòd apud Albericum, ad annum CM. XXX. hæc leguntur: *Vsque ad hæc tempora* REGVLA BEATI COLVMBANI *tam in Franciâ quàm in Burgundiâ obseruabatur à nigris Monachis; sed* S. ODO, *Abbas Cluniacensis,* REGVLAM S. BENEDICTI *in Cluniaco, & in sancto Benedicto supra Ligerim, fecit obseruari: & exinde procedente tempore cœpit vbique recipi.*

Meâ

Meâ ſententiâ non vaticinaretur,qui exiſtimaret Auctorem huius Carminis fuiſſe *Lotharium* illum *Diaconum*,cui in Catalogo librorum MSS. veteris bibliothecæ Cluniacenſis tribuitur *Carmen de laudibus Generis Francorum:* in hoc enim,de quo agimus,Francorum proſapia non explicatur modò, ſed magnis etiam præconijs *Gens celſa* prædicatur. v. 1.

De cætero abundè mihi eſt vel vnica huius antiquiſſimi Carminis auctoritas pro veritate nuptiarum Ansberti & Blitildis; de quibus tam diſertè Poëta. Neque mihi perſuadere, nec animo cenſere poſſum, à Carolo Caluo fabuloſum generis ſui Stemma proſâ deſcriptum, Epico Vati traditum fuiſſe; quidquid in contrarium Faber adferre poſſit. v. 35. & ſeqq.

Genealogia S. Arnulphi Metenſis Epiſcopi, præfixa eius Vitæ in codice MS. *Bibliothecæ S. Maximini apud Treuirim.*

ANSBERTVS, *qui fuit ex genere Senatorum*, PRÆCLARVS *atque nobilis vir, in multis diuitijs pollens, accepit filiam* HLOTHARII *Regis Francorum ad coniugem, nomine* BLITHILTH; *& habuit ex eâ filios* III. *& vnam filiam. Primogenitus ipſius habuit nomen* ARNOLDVS; *ſecundus,Ferreolus; tertius,Modericus; & filia ipſius,Tarſicia. Ferreolus quidem Epiſcopus effectus in Vtrâ ciuitate, coronatus eſt martyrio: ibique quieſcit in pace. Modericus quidem in Ariſido Epiſcopus eſt ordinatus, ibique confeſſor Chriſti requieſcit in pace; vbi Deus pro eius meritis multa miracula operatur. Tarſicia virgo Chriſti in virginitate ſuâ perſeuerans, in Rodonis ciuitate requieſcit; pro cuius meritis ibidem Chriſti virtus cottidie oſtenditur: quæ etiam fertur mortuum ſuſcitaſſe.* ARNOLDVS *primogenitus ipſius genuit Domnum* ARNVLFVM: *Domnus* ARNVLFVS *genuit Flodulfum &* ANSGISVM. *Flodulfus diuinâ gratiâ annuente Epiſcopus ordinatus eſt.* ANSGISVS *genuit* PIPINVM: PIPINVS *genuit* KAROLVM: KAROLVS *genuit Domnum* PIPINVM: *Domnus* PIPINVS *Rex genuit Domnum Regem* KAROLVM: KAROLVS *Magnus Imperator, genuit* LVDOVICVM *Pium Auguſtum: qui genuit inclytos Reges,* HLOTHARIVM, KAROLVM, *&* LVDOVICVM. Quia Auctor iſte non meminit Pipini Regis Aquitaniæ, qui obijt anno DCCC. XXXVIII. viuente adhuc parente Ludouico Pio; credere par eſt, Genealogiam antiquiorem, quam ſuprà edidimus ex alio MS. Treuirenſi, ab illo productam ad id tempus, quo Ludouici Pij tres filij ſuperſtites, de Regni paterni diuiſione inter ſe diſcordes, de pace tandem conuenerunt anno DCCC. XLIV. ad quem annum ſic Hugo Monachus eiuſdem temporis Auctor: *Deſcripto in tres partes Regno, Fratres ad vr-* Anno 844. Apud Albericum anno 844.

bem Galliæ Virdunum conueniunt, & inter se pacificantur; & datis & acceptis inuicem sacramentis, quisque ad descriptas sibi partes Regni tuendas reuertitur. KAROLVS *accepit Occidentalia Regna à Britannico Oceano vsque ad Mosam fluuium: in quâ parte terræ* MODÒ *nomen* FRANCIÆ *remansit.* LVDOVICO *Orientalia Regna cesserunt, omnis scilicet* GERMANIA *vsque ad Rheni fluenta; & aliquæ trans Rhenum ciuitates cum adiacentibus pagis, propter vini copiam.* LOTHARIVS, *qui maior natu erat, & Imperator appellatur, omnia* ITALIAE *Regna tenuit cum ipsâ* ROMA, *nec non &* PROVINCIAM, *&* MEDIAM PARTEM FRANCIAE *inter Scaldim & Rhenum, quæ mutato nomine ab eo denominatur* LOTHARINGIA. *Et hinc diuiso Regno, Regna modò duo,* ORIENTALE *ac* OCCIDENTALE, *inueniuntur; quorum alterum partem* LVDOVICI *ac* LOTHARII, *sedemque Regni Francorum, Palatium Aquis, ac Imperium vrbis Romæ habet; aliud* OCCIDENTALE, *quod adhuc* FRANCORVM *vocatur, partem* KAROLI *tenet &* PIPINI.

Caroli Magni Genealogia vetus, scripta anno DCCC. LXVII. *edita postmodum ab Henrico Canisio, ex* MS. *Codice Sangallensi.*

Tomo 5. anno 867. ANSPERTVS, *qui fuit de genere Senatorum, præclarus vir atque nobilis, in multis diuitijs pollens, accepit filiam* HLOTARII *Regis Francorum ad coniugem nomine* BLICHIT; *& habuit ex eâ filios tres, & filiam vnam,* &c.

ARNOLDVS *primogenitus ipsius genuit Domnum* ARNVLFVM: *Domnus* ARNVLFVS *genuit Flodulfum, &* ANSKISVM. *Flodulfus diuinâ annuente gratiâ Episcopus ordinatus est.* ANSKISVS *genuit* PIPINVM: PIPINVS *genuit* KAROLVM: KAROLVS *verò genuit Domnum* REGEM PIPINVM: *Domnus* PIPINVS *genuit* CAESAREM *gloriosum ac principem nobilissimum* KAROLVM.

* Lege XIV. *Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi* DCCC. * XV. KAROLVS, *omnium Augustorum optimus, ad Aquisgrani* V. *Kal. Febr. horâ diei tertiâ, de hoc sæculo migrauit; qui regnauit annos* XLVII. *decessit autem anno ætatis suæ* LXXII.

Et suscepit LVDOVICVS *filius eius eodem anno Imperium, qui regnauit* XXVI. *annos, id est, vsque ad annum incarnationis Domini nostri Iesu Christi* DCCC. XL. *decessit autem* XII. *Kal. Iul. in insulâ Rheni, iuxta palatium in Ingelheim.*

Post quem HLVDOVICVS *filius & æquiuocus eius in Orientali Franciâ suscepit Imperium, qui* ANNO PRAESENTE, *qui est incarnationis Domini*

Domini nostri Iesu Christi DCCC. LXVII. XXVII. *annos regnare videtur.* Postquam præcedentium vestigiis inhæsit iste Auctor, annos Ludouici Germanici numerauit ab obitu parentis Ludouici Pij, non à postremâ Regni partitione cum fratribus factâ anno DCCC. XLIV.

HINCMARVS Remensis Archiepiscopus de Carolo Caluo, Metis in Regno Lotharij Regis coronando anno DCCC. LXIX. v. Idus Septembris: *Sanctæ memoriæ Pater suus, Dominus* HLVDOVVICVS *Pius Imperator Augustus,* EX PROGENIE HLVDOVVICI *Regis Francorum inclyti,* [magnus Clodoueus is erat] *per beati Remigij Francorum Apostoli Catholicam prædicationem cum integrâ gente conuersi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis paruulis & mulieribus, vigiliâ sancti Paschæ in Remensi metropoli baptizati, & cœlitus sumpto Chrismate, vnde adhuc habemus, peruncti, & in Regem sacrati,* EXORTVS *per beatum* ARNVLFVM, *cuius carne idem* HLVDOVVICVS *Pius Augustus originem duxit carnis, & à Stephano Papâ Romano ante Sanctæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ altare Remis in Imperatorem est coronatus.* At non aliter, ex veterum mente, S. Arnulphus à magno Clodoueo originem duxit carnis quàm per Blitildem Ansberto nuptam, filiam Clotarij I. Regis; qui Clodouei Magni à S. Remigio baptizati filius erat. Anno 869.

Saxonicus Poëta, qui de gestis Caroli Magni scripsit sub Arnulpho Imp. Carlomanni Regis Bauariæ filio.

CVIVS *nunc insigne* GENVS *si pandere coner,*
Compellor REGVM *scribere* CATALOGVM: [a]Lib. 5. circa an. 890.
Sed non est opus, excelsum quia non genus illi,
Sed summo generi addidit ipse decus.
De CLARIS *genitus fulsit præclarior, atque*
Patribus inuictis fortior enituit.
Est quoque iam notum, VVLGARIA CARMINA *magnis*
Laudibus eius AVOS & PROAVOS *celebrant:*
[a]PIPPINOS, [b]CAROLOS, [c]HLVDOVICOS & [d]THEODRICOS,
Et [e] CARLOMANNOS, [f]HLOTARIOSQVE *canunt.*
Attamen hic quantò plus fecerit omnibus illis,
Dicit præsentis sermo sequens operis.
VNVM COMMEMOREM *tanto de germine* PATREM;
Quem sancta Christi prædicat Ecclesia,
Scilicet [g] ARNVLFVM, FRANCORVM *qui fuit olim*
PRINCEPS, *ac Præsul post satis egregius.*

Reges

Reges & Principes, AVI & PROAVI *(id est Maiores) Caroli Magni Augusti, Heroicis celebrati cantilenis, & à Poëtâ Saxonico breuiter indicati.*

Paterni.		*Materni.*	
1. a Pipinus Herstalius Princeps Francorum, a Pipini Landensis nepos, c Carlomanni Ducis Hasbaniæ pronepos.		1. c Hluduicus, siue Clodoueus Magnus, Rex Francorum.	
2. b Carolus Martellus Princeps Francorum.		2. f Hlotarius, siue Clotarius primus, Rex Francorum.	2. d Thiedricus, siue Theodericus, Rex Austrasiæ.
3. a Pipinus Breuis Rex Francorum.	3. e Carlomannus Princeps Francorum, tum Monachus.	3. Blitildis vxor Ansberti, auia g S. Arnulphi; qui fuit tritauus Caroli Magni Imp.	
4 Carolus Magnus Imperator.			

Anno 898. PETRVS Bibliothecarius in Historiâ Francorum abbreuiatâ, quam absoluit anno DCCC. XCVIII. sic ad annum DCC. LI: *Pipinus Legatos misit ad Zachariam Pontificem maximum, vt qui* EX ANTIQVA MEROVINGIORVM STIRPE *fuerit, regnaret in Galliâ: exaudit Pontifex, & mandat Gallis, vt in eorum Regem haberent Pipinum.* Significauit ergo Pontifici Pipinus se à Merouingis Regibus oriundum esse; certè non masculinâ serie, ergo femininâ, & per Blitildem Clotarij I. Regis filiam. Vnde San-marthani de illo: *Non est oblitus proponere, se à Clodoueo Rege ortum esse, à quo non nisi femininâ lineâ prodiisse poterat.* (Lib. 3. cap. 5.)

TESTIMONIA SÆCVLI DECIMI.

In Chronico absoluto anno 910. REGINO Prumiensis Abbas ad annum DCCC. LXXX. de Carlomanno Rege: *Filium elegantissimæ speciei suscepit, quem* ARNOLPHVM *nominari iussit, ob recordationem Reuer*mi ARNOLPHI *Metensis Ecclesiæ Episcopi; de cuius* SANCTO GERMINE *sua aliorumque* GERMANORVM FRANCORVM *prosapia pullulauerat.* Iam suprà ostendi S. Arnulphum Regiâ Francorum stirpe oriundum fuisse.

Anno 965. Ex tabulario S. Ar- Ex chartâ EVÆ Comitissæ Caluomontensis, de Layo villâ, iuxta Nanceium in Lotharingiâ Superiore: *Quam villam specialiùs ipsi beatissimo*

tissimo Pontifici ARNVLFO *idcirco volui delegare, quòd isdem venerandus Antistes* (DE CVIVS GERMINE REGES FRANCORVM STRENVISSIMI PRODIERE) *in eadem villa præsentis exordium suscepit vitæ; & quia filij mei ab ipso ducebant originem ex paterno genere, &c. Actum Metis publicè sub die xvij. Kalend. Septemb. in præsentia Domni* ADALBERONIS *Metensium Episcopi, anno ab Incarn. Dom.* CM. LXV. *indict.* VIII. *regnante Domino gloriosissimo Rege* OTTONE, *anno Imperij eius* XVII. nulphi Metensis.

Ex aliâ chartâ eiusdem EVAE, cum eadem epochâ: *Et quoniam de* GENEALOGIA *pretiosissimi Confessoris Christi* ARNVLPHI *filius meus* [Arnulphus Comes] *ex parte patris sui* [Hugonis Comitis] *originem duxit*; EX QVA ETIAM REGES FRANCORVM DIVINITVS ORTI SVNT; *venit mihi in mentem, vt in Monasterio beati viri* ARNVLPHI *etiam filius meus sepeliretur*, &c. Quemadmodum æui posterioris Principes genus suum haud repetiêre vltra Carolum Magnum, qui rerum gestarum gloriâ Maioribus præluxerat; sic Eua Comitissa, vt Francorum Regum & Filij sui ortum significaret, S. Arnulphum non transcendit, qui vitæ sanctitate reliquis præcelluerat. Atqui S. Arnulphum, Ansberti & Blitildis, ex Arnoldo filio, nepotem fuisse antiquiores iam testati sunt; & disertè affirmant alij quos subiungo. Ex eodem tabulario.

SÆCVLI VNDECIMI.

SIGEBERTVS Gemblacensis ad annum DC. XXV: PIPINVS *filius Carlomanni, Maior Domus Regis* LOTHARII, *principabatur.* PIPINO *in disponendâ Republicâ cooperabatur* S. ARNVLFVS, *filius* ARNOLDI, *filij* ANSBERTI, *ex* BLITHILDE *filiâ* PRIMI LOTHARII *Regis.* Floruit Sigebertus sæculo XI. diem obiit XII ineunte, anno scilicet M. C. XII. In Chron.

SÆCVLI DVODECIMI.

HARIVLFVS Monachus S. Richarij in Chronico Centulensi: *Quartus Rex Francorum* CLOTHARIVS (*illius quem S. Remigius baptizauit* HLVDOVICI *filius*) *genuit filiam nomine* BLITHILDEM, *quam* ANSBERTVS, *vir Senatoriæ dignitatis, meruit vxorem: ex quâ genuit Arnoldum, Feriolum & Modericum fratres.* ARNOLDVS *genuit* ARNVLFVM, *primò quidem sub Clothario Dagoberti patre Palatij Præfectum, posteà autem Metensis vrbis Episcopum.* ARNVLFVS *genuit Flodouecum,* ANSEGISVM, *& VValchisum, beati VVandregisili genitorem.* ANSEGISVS *post patrem Maior ac Præfectus genuit* PIPINVM *seniorem & Ducem: qui & ipse genuit* KAROLVM *itidem seniorem & Ducem.* Certè quia S. Arnulphus Maior Palatij iam erat sub Clotario II. Lib. 2. c. 1.

Rege & Dagoberto eius filio, haud dubiè auia S. Arnulphi Blitildis non potuit esse filia Clotarij II. Regis & Dagoberti soror, vt quidam inconsultè scripserunt.

Apud Alberic. anno 736. GVIDO Cantor S. Stephani Catalaunensis, frater Nicolai, viri nobilis, de Basochiis, & Milonis, Abbatis S. Medardi Suessionensis, masculinam Caroli Martelli originem non altiùs repetit quàm à S. Arnulpho, vbi Martellum sic excusat: *Non cupiditate fractus, sed necessitate coactus, possessiones quas vidit Ecclesiasticis superfluere, distribuit militibus viris, tam destitutis armorum apparatu, quàm nouiter institutis. Vnde nimirum supernæ dispositioni, cùm ad regimen Francorum* SANCTI PROGENIEM ARNVLFI *elegisset, placuisse creditur extulisse potiùs hunc, quàm alium eiusdem generis, ad huius apicem dignitatis.* Guido tamen posteà (nempe ad annum DCC. XLVII.) CARLOMANNVM Principem, CAROLI MARTELLI filium, Monachum Cassinensem, *Regibus atauis editum* vocat. Atqui anno illo PIPINVS Breuis, Carlomanni frater, è virili stirpe suâ primus Rex nondum constitutus erat. Respexit igitur Guido ad Merouingos Reges, à quibus per BLITHILDEM S. ARNVLPHVS, ac deinde CARLOMANNVS oriebantur. Floruit Guido exeunte sæculo XII. obiit statim initio XIII. anno scilicet M. CC. III. ex Alberico.

SÆCVLI DECIMITERTII.

Anno 1241. ALBERICVS Monachus trium Fontium ad annum DC. XLIV: *Metis sancto* ARNVLFO *successerat sanctus* GOERICVS; *post quem fuit* GODO *Episcopus: Hîc dicendum est, quòd* PRIMI [non *prima*] *filia* LOTHARII BLITILDIS, *soror Guntramni Regis, & Chilperici, & aliorum, Duci* ANSBERTO, *illustri viro, peperit Ducem* ARNOLDVM, *& Ferreolum, qui fuit Episcopus in Vtiâ ciuitate, vbi martyr factus est; & Modericum Episcopum in Arilido, vbi confessor quieuit; & Charsiam virginem, quæ Redonis obijt. Dux* ARNOLDVS *genuit Ducem* ARNVLFVM. *Dux* ARNVLFVS *sanctus, antequam fieret Metensis Episcopus, de Dodâ tres genuit filios, Ducem* ANSIGISVM, *& VValchisum, patrem sancti VVandregisili Fontenellensis, & Clodulfum Metensem Episcopum. De sorore natus est sanctus Godo de Oyo, filius Comitis Virdunensis. Dux* ANSIGISVS, *qui &* ANCHISES, *duxit sanctam Beggam, sororem sanctæ Gertrudis de Niuellâ, filiam scilicet primi Pipini, filij Carlomanni; & genuit Ducem Pipinum, patrem Caroli Martelli.*

Non est dubium veram esse Alberici lectionem: *Primi filia Lotharij Blitildis*: tum quia ex Regibus Guntranno & Chilperico, eius fratribus, id designat; tum quia Sigebertus (cuius verbis persæpè vtitur) disertè

disertè *Blitildem facit filiam primi Lotharij Regis.* Adde, quòd suprà ostendimus ex Vitâ S. Arnulphi, Blithildem fuisse filiam Clotharij I. Regis ordine natiuitatis secundam, non autem primam.

Albericus prætereà Clotharij II. Regis cum S. Arnulphò consanguinitatem alio loco sic aperuit: LOTHARIVS *Rex Dagobertum filium suum commiserat educandum* PIPINO *Principi, Karlomanni filio*, *&* ARNVLFO *illustri*, COGNATO *suo.* Vult Faber *cognato suo* ad Pipinum referri, non ad Lotharium: sed bona syntaxis & Stemma vtriusque contrarium ostendunt. Ad an. 610.

Propinquitas Merouingorum Regum cum Maioribus Domus Regiæ: ab istis Carlouingorum origo.

1. CLODOVEVS I. Rex Francorum, primus Christianus.		
2. CLOTARIVS I. Rex Francorum.		
3. CHILPERICVS Rex Suessionum & Parisiensium.	3. BLITILDIS vxor ANSBERTI Ducis.	
4. CLOTARIVS II. Rex Francorum.	4. ARNOLDVS Dux Austrasiæ.	*Maiores Domus.* CARLOMANNVS Dux Hasbaniæ.
5. DAGOBERTVS I. Rex Franciæ, Austrasiæ & Burgundiæ.	5. S. ARNVLPHVS Dux, & Maior Palatij, posteà Metensis Episcopus.	PIPINVS Landensis Maior Domus sub Clotario II. & Dagoberto I. Regibus.
6. ANSIGISVS Dux: vxor BEGGA.		BEGGA vxor ANSIGISI Ducis.
7. PIPINVS Herstalius Maior Domus.		
8. CAROLVS Martellus Maior Domus, deinde Princeps Francorum.		
9. PIPINVS Breuis Maior Domus, tum Rex Francorum.		
10. CAROLVS MAGNVS Rex Francorum, pòst Imperator.		

Sanctus Arnulphus non aliam cum Pipino Landensi habebat affinitatem, quàm quòd eius filius Ansigisus Beggam Pipini filiam vxorem duxisset: quod coniugium pactum fortè nondum erat, dum S. Arnulphus vnà cum Pipino Rempublicam regeret. At S. Arnulphus verè Clotharij II. Regis erat *cognatus*, vt Albericus loquitur; id est *consanguineus*; filius quippe Arnoaldi Ducis, qui amitinus erat Clotarij II. Regis.

Genealogia beati Arnulphi Metensis Episcopi, quæ ex Regibus Francorum sumpsit initium, à P. Pithæo primùm, deinde ab A. Chesneo in lucem edita.

Anno 1161. CLOTARIUS *genuit filios Guntharium, Childericum, Grannum, Heribertum, Guntrannum Regem, Chilpericum Regem, Sigebertum Regem, & filias* * BLITHILDEM *&* *Clotildem.* Tum nonnullis interiectis: BLITILDIS *filia* CLOTARII *habuit* ARNVALDVM *Comitem Palatinum ex* ANSBERTO. ARNVALDVS *Comes genuit beatum* ARNVLPHVM *Comitem Palatinum, qui posteà fuit Episcopus Metensis. Hic* ARNVLPHVS *genuit* ANCHISVM *Ducem & Comitem Palatinum, & Glodulphum Episcopum, & VValgisum.* ANCHISVS *genuit* PIPINVM *Maiorem Domus ex Beggâ, sorore sanctæ Gertrudis de Niuellâ: hic genuit Grimoaldum, Drogonem, Duces, &* CAROLVM *Regem* MARTELLVM *dictum, ex Alpade sorore Dodonis; qui S. Lambertum Episcopum Leodiensem martyrizauit. Carolus Martellus genuit* PIPINVM *nanum Regem, & Carlomannum, pòst Monachum. Pipinus Rex genuit* CAROLVM MAGNVM *Regem Franciæ, & pòst Imperatorem.*

* Lege *Clotildem & Blitildem.*

SÆCVLI DECIMIQVARTI.

Guillelmus de Nangis, Monachus S. Dionysij in Franciâ, in Chronico suo, quod ipsemet ex Latino Gallicè vertit, seruaturq; in Membranis Bruxellæ in Bibliothecâ Regiâ picturis elegantibus illustratum.

In Clotario I. Rege.

Anno 1386. SCACHIEZ *que auant qu'il morut, il tint toute la Marche du Royaume de France tout seul: & ses quatre filz le departirent, c'est à sçauoir Chilperic, Haribert, Sigebert & Gontran, en quatre parties. Chilperic regna à Soissons; Haribert regna à Paris; Gontran regna à Orliens; Sigebert regna à Mez en Lorraine. Vne fille ot aussy le Roy* CLOTAIRE, *qui fut mariée à vn* SENATEVR *d'Austrasie; de laquelle Dame* PEPIN *le Roy de France descendit, si comme vous orrez en l'Histoire qui s'ensuit; & ot nom* VITILDE.

In Pipino Rege.

Collatum cum MS. Cod. V.C. Oliuarij Vredij Brugensis. NOVS *auons dit dessus, que* LE PREMIER CLOTAIRE *Roy de France, filz au Roy* CLOVIS, *premier Roy Chrestien de France, ot vne fille, qui auoit nom* BLITIDE: *icelle Dame fut mariée à vn haut home,*

home, qui SENATEVR *estoit du Royaume d'Austrasie, & estoit appellé* AVBERT. *Icelluy* AVBERT *engendra en ceste Dame vn vaillant Prince, qui auoit nom* ANOVL; *& celluy* ANOVL *engendra saint* HERNOVL, *qui fut Euesque de Mez.* HERNOVL *fit le Prince* ANOVL *auant qu'il fut Euesque de Mez, gouuerna & ordena les besoignes du Royaume d'Austrasie auec* PEPIN *le filz* CHARLEMAN, *au temps du* SECOND CLOTAIRE *Roy de France; & lors estoit marié; & de sa femme, qui auoit nom* DODA, *ot vn vaillant Baron, qui fut appellé* ANSEIS; *& vn autre filz aussi, qui ot nom Clodulphe; qui depuis fut Euesque de Mez, ainsi comme son Pere auoit esté deuant. Cil saint* HERNOVL *laissa puis l'Eueschê, & deuint Hermite & solitaire: & sa femme* DODA *fut Reclusé à Treues.* ANSEIS, *le filz saint* HERNOVL, *engendra* PEPIN; *qui fut Pere de* CHARLES MARTEL, *&c.* Desinit istud Chronicon anno M. CCC. LXXXVI. mense Octobri.

SÆCVLI DECIMIQVINTI.

PIVS II. Papa in oratione quam habuit in conuentu Mantuano: *Languebat Francorum Regnum, & ad interemptionem defluebat, in manibus Hilderici inutilis Regis; non tulit Zacharias, antecessor noster, nobilissimi Regni ruinam, sed missis Legatis Regem totondit, & in Monasterio reclusit;* PIPINOQVE, *qui Maior Domus esset, & ingenio valeret, Regnum, nomen & gubernationem commisit.* Subiicit deinde post nonnulla: PIPINVS, *quamuis Francus,* REGIO SANGVINE NATVS, *gradu tamen remotior erat, hanc ille ex Apostolicâ Sede gratiam tulit.* Regnum Francorum in nouam familiam tunc transiuerat, vt notat Petauius. Ille ergo regius Pipini sanguis non nisi à Blithilde.

Anno 1459.

In Ration. p. 1. l. 8. c. 7.

NICOLAVS GILLIVS, Ludouico XI. Regi à Secretis, in Clotario II. Rege: *Pipinus, Carlomanni filius, Maior Palatij fuit in Regno Austrasiæ: & S. Arnulphus (nepos, ex filio,* ANSBERTI *Senatoris, &* BLITILDIS, *filiæ* PRIMI LOTHARII) *Maior Palatij fuit in Franciâ.*

SÆCVLI DECIMISEXTI.

PETRVS Diuæus Louaniensis, qui ex veteribus Chronicis & Cœnobiorum Archiuis sua collegit, vt ipsemet fatetur: *De* ANSBERTO *Francorum Annales nostri concinunt: duxit hic* PLVITHILDAM, CLOTARII *Regis filiam; & ex eâ* ARNOLDVM *genuit.* In eamdem iuêre sententiam Onuphrius Panuinius anno M. D. LVIII. Franciscus Belleforestius M. D. LXXIX. Gilbertus Genebrardus M. D. LXXXIV. Nicolaus Vignerius M. D. LXXXVIII. Elias Reusnerus M. D. XCII. Hieronymus Henninges M. D. XCVIII. Claudius Fauchetus M. D. XCIX. & multi alij.

Libro 3. Brabant. anno 1563.

SÆCVLI DECIMISEPTIMI.

Anno 1616. Annal. Treuir. l.7. initio. CHRISTOPHORVS Brouuerus, qui Treuiris anno M. DC. XVI. viuere desiit: *Clarebat apud Mediomatricos Pontificatus honore* S. ARNVLPHVS, *magistratu deposito, non minùs quàm ad eximium Religionis habitum deducto, apud omnes in admiratione: hic magnâ & vetere prosapiâ,* ANSBERTVM *illustrem Senatorem*, CLOTHARII SENIORIS GENERVM, *numerabat Auum; Patrem ciebat* ARNOLDVM, *insigni prudentiâ & pietate virum.*

Tomo I. anno 1621. SCIPIO Dupleix de Clotario I. Rege: *Ex Chunsenâ vxore quartâ suscepit filiam nomine* BLITILDEM; *quæ nupsit* ANSELBERTO, *siue* ANSBERTO, *Senatori Romano; à quo deducunt stirpem Pipini & Caroli Magni.*

Parte 1. lib.7.c.14. DIONYSIVS Petauius in Rationario: *Sanctus* ARNVLPHVS *Metensis*, ARNOLDI *filius*, ANSBERTI *nepos, cui* BLITILDIS *Chlotarij primi filia nupserat.*

Lib.2.c.8. anno 1628. SAN-MARTHANI fratres: *Ex illo matrimonio* [Ansberti & Blitildis] *procreatus fuit* ARNOLDVS, *pater* S. ARNVLPHI *Episcopi Metensis, qui filium habuit* ANCHISEM; *& iste* PIPINVM *Herstalium, Maiorem Palatij Franciæ & Austrasiæ, patrem* CAROLI *Martelli Francorum Principis; qui filium habuit* PIPINVM *Regem Franciæ, secundæ Regum stirpis stipitem. Tot gradus testantur* BLITILDEM *fuisse filiam* CLOTARII I. *Regis, vti censet Auctor Genealogiæ S. Arnulphi, & Sigebertus; non autem Clotarij II. vt scribunt Monachus S. Eparchij Egolismensis, & Auctor Vitæ S. Genulphi.*

In Chron. Belgico anno 1635. AVBERTVS Miræus ad annum D. LXII: *Clotharij defuncti Regna filij quatuor inter se partiuntur: Charibertus Parisiorum, Guntramnus Burgundionum, Chilpericus Suessionum, & Sigebertus Austrasiæ seu Metensium Reges fiunt. Horum soror* BLITHILDIS *nupsit* ANSBERTO; *& ex eâ genuit* ARNOLDVM, S. ARNVLFI *Metensis Episcopi patrem. Altera eorumdem soror maritum habuit Alboinum Regem Longobardorum.*

In Troph. Brabant. anno 1637. CHRISTOPHORVS Butkens in Tabulâ genealogicâ Ducum & Comitum Brabantiæ: ANSBERTVS, *dictus Senator, vxorem duxit* BLITHILDEM, *filiam* CLOTHARII I. *Francorum Regis.*

Anno 1644. In Obseruat. Historicis anni 1642. & in Differt. an. 1647. His omnibus addi possunt septem vel octo, incerti quidem temporis, sed antiqui Genealogi, à R. P. Thomâ Aquinate producti in explicatione *Carminis de origine Francorum*; qui omnes (etsi in minutis quibusdam dissentiant) ore vno Blithildem, Clotharij Regis filiam, Ansberto nupsisse tradunt: solus *Ludouicus Canterellus Faber*, vir aliòqui exquisitè doctus, aduersus prælongum illum Auctorum ordinem, &

& nouem propè sæculorum consensum, nunc primùm ausus est asserere, nuptias Ansberti & Blithildis commentitias esse. Argumenta eius præcipua simul adfero & exsoluo.

Primum igitur Fabri argumentum est istud: *Gregorius Turonensis & Aimoinus Monachus non fecerunt mentionem Ansberti & Blitildis; ergò illi coniuges in rerum naturâ non fuêre.* Atqui eodem modo licet argumentari: *Gregorius Turonensis, qui à Regni Francici initiis vsque ad sua tempora Reges Francorum recensuit, Pharamundi non meminit; ergo Pharamundus non fuit Rex Francorum.* Insuper Turonensis non attigit Regum Carlouingorum tempora; adeoque illorum originem non est scrutatus. Postquam autem Pipinus è suâ stirpe primus regnate incœpit, tum primùm Stemma eius productum, & ab Ansberto ac Blitilde deriuatum. Denique Scriptores illi duo, Gregorius & Aimoinus, Merouingorum Regum filias prætermisêre, quæ Regibus collocatæ non fuerant; quarum tamen nomina alibi reperiuntur: vnde haud mirum omissam ab illis Blitildem, quæ Ansberto nupserat; illamque ab aliis lucidè memoratam.

Alterum Fabri argumentum: *Auctores, qui Ansberti & Blitildis priores meminêre, non fuerunt ipsis coætanei; ergo fides illis non adhibenda.* Verum est, Auctorem *de Maioribus Domus Regiæ* scriptum suum edidisse anno DCC. LIV. per initia Pipini Regis; Ansbertumque & Blitildem duobus sæculis ante illum vixisse; attamen ab æqualibus coniugum Auctoribus, & domesticis Pipini Commentariis sua hausisse potuit: quemadmodum (vt fatetur ipse Faber) *Gregorius Turonensis ea quæ ab antiquioribus didicerat retulit vt verus Historicus.* Regino quoque Prumiensis, quæ expressit supra annum DCCC. XIV. ait *in libello quodam se reperisse plebeio & rusticano sermone composita; quæ ex parte ad Latinam regulam correxit; quædam etiam adiecit, quæ ex narratione seniorum audiuerat.* His exemplis adde, in Galliâ multas Historias tam sacras quàm profanas per Normannorum vastationes penitus periisse. Pag. 37.

Tertium Fabri argumentum: *Dissentiunt Auctores de Blitildis parente, quem nonnulli Clotarium I. alij secundum esse volunt; ergo de illâ certi nihil constitui potest.* Atqui omnes consentiunt Clotarij Regis filiam fuisse: qui *secundi* dixêre, rectam temporum rationem non adhibuerunt, quæ certa est genealogiæ norma.

Primus impegit in scopulum Monachus Egolismensis S. Eparchij, vel deceptus lectione *libelli de Maioribus Domus Regiæ*, vbi errore calami scriptum erat, *Blitildis filia secundi Lotharij*, pro *secunda*: vel certè à sciolo quopiam scriptis eius glossematium illud adiectum: sic enim

Tomo 2. p. 68. enim Andreas Chesneus de Vitâ Caroli Magni per illum compositâ: *Descripta, vt videtur, magnâ ex parte à Monacho Cœnobij Egolismensis S. Eparchij ex Vitâ & Annalibus superioribus*; NONNVLLIS *tamen* INTERPOLATIS, *quibusdam etiam* ADDITIS; *& à P. Pithœo primùm in lucem emissa.*

Lib. 2. c. 5. Egolismensis rubiginem imitatus est Auctor Vitæ S. Genulphi, qui etsi verè scripsit, *Pipinum à Blitilde genus regium duxisse*; errauit tamen, addens illam fuisse Dagoberti Regis sororem, & sic Clotarij II. filiam, quæ primi vera proles erat.

Lib. 1. & 2. In eodem cœno volutatus est Andreas Marchianensis Cœnobita; cuius errorem cùm alter æui posterioris Monachus obseruasset, scriptis eius inseruit Sigeberti doctioris verba, quibus Blitildem Clotharij I. Regis fuisse filiam disertè significauit.

Cap. 36. Post Andream offendit Ægidius Aureæ vallis Monachus in Additionibus ad Harigerum Abbatem Lobiensem; nec non & Dinterus

Lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 1. quoque, cuius hæc sunt verba in Chronici sui præfatione: *Ego* EDMVNDVS DINTERVS, *inclytæ memoriæ* ANTONII I. IOANNIS IV. *&* PHILIPPI I. *quondam Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ Ducum, atque prædicti generosi Domini, Domini Ducis moderni* [PHILIPPI BONI Burgundiæ Ducis] *Secretarius, licet indignus, diuinâ gratiâ tamen annuente, nihil de meo proprio addens; sed primò Fratris* ANDREAE *Chronica & vestigia insequendo; & prout in aliis Chronicis antiquis ac registris, & scripturis authenticis, reperire potui, breuiter describere curabo, sub correctione cuiuslibet meliùs sentientis.* Ex eodem impuro canali inquinata est Historia Francorum Pauli Æmylij, qui etiam

Lib. 1. ex *Andreâ Monacho*, quem nominat, adulteratum Pipini Regis Stemma deduxit.

Certè cùm Scriptores omnes vltrò agnoscant Blitildem Clotarij Regis filiam fuisse; nemo nisi Chronologiæ expers asserere ausit Clotario II. fuisse genitam; quandoquidem constet S. Arnulphum, Blitildis ex Arnoldo filio nepotem, Palatij Maiorem fuisse sub Clotario II. Rege, & sub Dagoberto eius filio; Francorumque Rempublicam texisse vnâ cum Pipino Landensi, Ansigisi S. Arnulpho geniti, Blitildæ pronepotis, socero.

Eadem Principum nomina incautis quandoque sic imponunt, vt alterum pro altero oscitanter accipiant. Exempli gratiâ: *Gerardus* dictus *de Russilone*, à Turonensi Canonico & Willelmo Nangio fuisse

In Chronicis. scribitur is, qui anno DCC. XXXI. Dux erat Burgundionum; cuius Russilonense castrum *Carolus Martellus* vi occupauit. Sed accepit vterque *Carolum Martellum* pro *Carolo Caluo*: huius enim posterioris

tempore,

tempore, & eius parentis Ludouici Pij, haud dubiè *Gerardus* vixit.

Albericus, SS. Francisci & Dominici contemporaneus, sic ad annum DCC. XLVI: *Ciuitas Aquensis, metropolis in Prouinciâ, à Sarracenis fuit desolata. Hic dicitur, quòd persecutione post lapidationem Stephani motâ*, MAXIMINVS *de* LXX. *discipulis Christi ad Gallias transiens*, MARIAM MAGDALENAM *secum adduxit; eam etiam apud Aquensem vrbem, cui præsidebat, defunctam sepeliuit. Vnde, post istam desolationem ciuitatis, corpus ipsius* MARIAE MAGDALENAE *à* GIRARDO *Comite Burgundiæ (sicut pòst suo loco dicetur) ad Cœnobium Vizeliacum à se constructum est translatum. Quod verò aliqui scribunt, quòd hæc apud Ephesum quiescit nullum super se tegimen habens, omnino est apocryphum & falsum.* In Chron. MS.

Anno deinde DCCC. XXXIV. ex Guidone de Basochijs: *Cùm aliquanto tempore procella malignitatis in Regno serenum pacis Imperioque turbasset, nebulam confusionis istius Iustitiæ Sol luce magnæ miserationis infusâ detersit; & filiorum Imperatoris* [Ludouici Pij] *animos saniori consilio mitigatos, præcipuè per* GERARDVM *nobilissimum Burgundiæ Ducem ac potentissimum, paternos reuocans ad amplexus, priorem restituit, illos ad gratiam, illum ad gloriam & honorem.*

Anno denique DCCC. LXVI. ex eodem Guidone: *Quòd Regnum Burgundiæ, quia spectare constabat ad Imperatorem, fratrem defuncti* KAROLI, LVDOVICVM, *qui tunc expellendis adhuc ab Italiâ Sarracenis instabat, tantæ præsumptionis & cupiditatis inuasionem à* KAROLO *Rege factam* GERARDVS *Viennensis, vtriusque Burgundiæ Dux potentissimus, adeò tulisse grauiter, & ob hoc tamdiu distulisse subiectus eidem* KAROLO *fieri; & tot & tanta detrimenta rerum & hominum alter intulisse creditur alteri, quousque nimiâ fatigatione per semetipsam tam longa concertatio se consumpsit. Regi tamen* KAROLO *cessisse* GERARDVM, *& victoriam ei concessisse, perhibent Heroicæ cantilenæ. Hic est ille* GERARDVS, *quem suprà diximus Pacis extitisse mediatorem inter Imperatorem* LVDOVICVM *Pium & filios eius. Cuius etiam* GERARDI, *inter plura suorum & religiosa gestorum, magnificum fertur & præcipuum, fecisse transferri gloriosè* MARIAE MAGDALENAE *pretiosam corporis glebam ab Aquensi metropoli Prouinciæ, Sarracenicâ populatione vastatâ iampridem, ad eum Burgundiæ locum, vbi super fluuium Choram, & rupem decoram, in eius honore Ecclesia sublimis eminet, & munitissimum ac nobile castrum, quod Vizeliacum dicitur: eiusdem quoque* MAGDALENAE *fratrem, beatum* LAZARVM, *quatriduanum à Domino resuscitatum, Massiliensium pòst Episcopum, & martyrem gloriosum, ab eadem ciuitate destructâ similiter fecit idem* GERARDVS *ad propria asportari,* [scilicet] *Aualonense*

lonense castrum. Hic est GERARDVS, *qui plures Abbatias fundauit; quarum fuit præcipua Vizeliacum: & vna de illis fuit Abbatia Pultariensis. Nam & in anno* DCCC. LX. *id est ante præsentem annum, reperitur anno sexto annotatum: Dedicatio Ecclesiæ Pultariensis. Item in Historiâ Remensi:*
Flodoard. l. 3. c. 18. *Quando Rex* CAROLVS *Caluus contra* GERARDVM *Comitem, qui à se desciuerat, ad Viennam profectus est, Archiepiscopo Hincmaro litteras misit, vt cohiberet, & cohiberi faceret filium eius* KAROLOMANNVM *Clericum*. Quandoquidem igitur perspicuum est Gerardum Russilonensem vixisse sub *Carolo Caluo*; quem tamen Chronographi quidam ad *Caroli Martelli* tempora imperitè relegarunt; cur non alij etiam, eodem errore, Blitildem Clotario II. Regi filiam assignasse potuerint, quæ Clotario primo genita erat?

Similiter, duo fuêre Superioris Lotharingiæ Duces nomine *Theodorici*; prior genere Barrensis, posterior Alsatius. Ille autem *Theodoricus Dux Lotharingorum*, qui memoratur in Originibus Murensibus,
Obseruat. pag. 353. existimatus est à Fabro, quantumuis lynceo & sagaci, fuisse *primus* Friderici I. Ducis filius; quem tamen *secundum* fuisse Gerardi Ducis filium probaui dilucidè Lumine v. prærogatiuo. Quidni ergo alij Scriptores obscurioris æui, & in excutiendis temporum notis minùs accurati, *Clotarium II.* Regem pro *Primo* vsurpasse potuerint, & sic, vt Faber, in errorem incidisse?

Mirum sanè tot Auctores & tot sæculorum fidem de Ansberto & Blitilde ab vno Fabro impelli; qui dum in eadem dissertatione suâ laudauit falsum Hugonis Capeti stemma à Boucheto & Dominico editum, non aduertit vnius dumtaxat amanuensis, & æui posterioris testimonio ab illis probari, Nibelungum Childebrandi filium fuisse,
Tomo 1. & 2. nulla matris nec sinceritatis ortus factâ mentione. Profectò Andreas Chesneus, quem stemmatis illius commentitij delineatorem iactant, etsi in Merouingorum & Carlouingorum Regum tabulis genealogicis Nibelungum Comitem vt Childebrandi prolem simpliciter admisit; Nibelungi tamen fictitium filium, Madriaci Comitem Theodebertum, prudens Historicus non adduxit. Viri docti cogitationibus abundant; sed qui pollent iudicio, in vanis & futilibus non immorantur. Schedulas stemmatum coniecturales, Chesnei manu exaratas, & ad amicos missas, hîc in Belgio plerasque habemus; quas qui pro compertis & certis euulgaret, famæ Chesnei postumæ haud leuem iniuriam inferret.

Quod superat de præclarâ Ansberti Principis origine, præter allata testimonia, insignis elucet nobilitatis character in ipsius nomine, quod Teutonicum planè, clarum natalibus virum designat: Hans enim

enim *Ioannem* notat, *bertus* clarum & illustrem. Illud porrò colligitur ex HRabano Mauro ad *Isanbertum* quemdam ita scribente circa annum DCCC. XVIII. De Diuers. 25.

Cuncta quidem tibimet virtutum insignia condunt
NOMEN, *quo* CLARVS, *dignus honore fias:*
FERRVM *te fortem*, CLARVM *virtute decorum*
SIGNANT; *per multas crescis in arte vias.*

Signant, id est *nominant*. At in epitaphio distinctiùs, vbi HRabanus *Isanbertum* loquentem sic introducit:

FERRVM *me* CLARVM *dudum dixêre parentes:*
Mortis nunc tumulo vincula dura premunt.

Isanberti ergo nomen ex duabus vocibus compositum erat; nempe ex Isan/ quod *ferrum*, & *bertus*, quod *clarum* significabat. In eumdem sensum Fortunatus de Sigeberto Rege, in cuius nomine claritas generis elucebat:

SIGEBERTVS *amor populi*, LVX *nata parentum*, Lib. 2. c. 2.
Qui GENVS *à proauis longo tenet ordine Regum.*

Iterùm de eodem:

SIGEBERTE *potens, generosis* CLARE *triumphis*, Cap. 3.
Hinc noua te virtus prædicat, inde GENVS.

Tum de Chariberto Rege:

Cùm sis progenitus CLARA DE GENTE *Sicamber*, Cap. 4.
Floret in eloquio lingua Latina tuo.

Eò etiam respexisse videtur Abbo de obsidione vrbis Parisiacæ:

Qua ROTBERTO *aderant, pharetrato agnomine* CLARO. Lib. 1.

Disertiùs Auctor Vitæ S. Bertæ, Blangiaci apud Atrebates Abbatissæ, sub Clodoueo II. Rege: *Nata est eis filia, cui nomen imposuerant* BERTAM, *quæ interpretatur* FVLGIDA, *seu* SPLENDIDA. 4. Iulij. Sed apertissimè Poëta noster, Caroli Calui æqualis, iam adductus, *de origine gentis Francorum Carolina*, vbi de Ansberti à Romanis ortu:

Surgit ab his igitur NITIDO *de* VERTICE *splendor*, Versu 27.
Lucifer vt reliquis assurgit blandior astris,
ANSBERTVS GENERIS *portans* INSIGNIA CLARI.

hoc est: *Ansbertus*, qui *vertex* erat, siue *caput* regiæ familiæ, præditus erat nomine, quod stirpis eius claritatem denotabat. *Signum* enim, seu *insigne*, priscis cum *nomine* idem erat. Vnde Bassianus apud Spartianum: *Antonini, quod verum* SIGNVM *Pij fuit, nomen accepit*. Et apud Capitolinum, *Gordianus filium Gordianum Antonini* SIGNO *illustrauit*, id est *nomine*. Hinc etiam in æui medij chartis subscripta testium *no-* In Pescen. Nigro. In Gordianis.

Sat. 10. v. 55. *mina* dicuntur *signa*: & *insignare* vetus interpres Iuuenalis vsurpat pro σφραγίζεσθαι, quod est *signo seu nomine confirmare*.

Ad illam prætereà Ansberri claritatem Auctor Carminis iam laudatus alluserat statim ab initio:

Versu 1. C**LARA** *tibi celsa referam* **PRIMORDIA** *Gentis:*

Mox in progressu:

Versu 36. *Roma tibi* **CLAROS** *quæ posset ferre nepotes.*

In Testim. sæculi 9. Item tres antiquæ genealogiæ iam adductæ: A**NSBERTVS**, *qui fuit de* **GENERE** *Senatorum*, **PRAECLARVS** *vir atque nobilis*. Tum Saxonicus Poëta de Carolo Magno, qui ab Ansberto & Blitilde prosapiam ducebat:

Lib. 5. *De* **CLARIS** *genitus fulsit* **PRAECLARIOR**, *atque*
Patribus inuictis fortior enituit.

Denique antiquus alter Vates de Gerbergâ & Othone, genere Carlouingis, quorum ætate ipse viuebat:

Apud Guisium in Histor. Hannoniæ. *Nonne vides igitur, quàm* **CLARI SANGVINIS** *istos*
Vena venustauit; Troïca quippe fuit.

Itaque Ansberti & Blitildis Stemma (semotâ cacographiâ, metachronismo, & alijs quisquilijs) non est obscurum nec fabulosum, vt censet Faber, sed clarum & splendidum; licet auctum fabulâ postmodum fuerit, cùm primùm ex illorum sobole posterâ Reges prodiêre. Venustè alicubi Plato scripsit, *Reges à Regibus esse oriundos, donec ad Iouem origo reuocetur.* Iulio Cæsari gratissima fuit non tantùm nominis, verùm etiam generis sui deriuatio ab I**VLO** Æneæ filio, & inde à Venere per Æneam, non alio argumento, quàm quod I**VLO** pænè cognominis esset: vnde ipsemet de I**VLIA**, patris sui sorore,

Sueton. in Iulio. Quæstor pro rostris dixit: *Amita mea* I**VLIAE** *maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Dijs immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Martio sunt Martij Reges; quo nomine fuit mater, à Venere* I**VLII**, *cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent, & cærimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt Reges.* Nummos idcircò ab illo argenteos habemus, cum imagine Æneæ patrem Anchisem, in humeros sublatum, incendio Troiano subducentis.

Citerior antiquitas priscæ non cessit adulationi, quippe quæ Stirpem decessorum Caroli Magni ab ipsis quoque magnæ Troiæ cineribus eruendam esse duxerit, eodem quo Romanorum primo Cæsari veteres blandiebantur fundamento, seu nominum *Ansigisi* & *Anchisis*

Lib. de Episc. Met. similitudine. Ita Paulus Diaconus, Caroli Magni æqualis, de S. Arnulpho Metensi: *Venerandus iste vir iuuentutis suæ temporibus ex legitimo*

timi matrimonij copulâ duos filios procreauit, id est, ANSCHISVM *&* *Glodulfum: cuius* ANSCHISI *nomen ab* ANCHISE *patre Æneæ, qui à Troiâ in Italiam olim venerat, creditur esse deductum*. Sic etiam Paulus Æmylius de Pipino Rege, Caroli Magni parente: *Ex amplissimâ familiâ, & tam veteri nobilitate natus erat, vt cùm auctor gentis origoque prima ignoraretur, quòd multi eius stirpis* ANCHISII *vocitati inuenirentur, ab* ANCHISE *Troiano eos oriundos plerique iactarent*. Ab *Ansigiso* igitur factus est *Anchisus*; ac deinde *Anchises*; à quo Carlouingi Reges postmodum orti sunt. *Regilianus* olim, grammaticali ludo non absimili, Regna promeruit: cùm enim Scholasticus quidam cœpisset declinare, & dicere; *Rex, Regis, Regi, Regilianus*; milites dixerunt: *Ergo potest Rex esse*. Item alius: *Ergo potest nos regere*. Item alius: *Deus tibi nomen Regis imposuit*. Quibus dictis, cùm aliâ die manè processisset, *Imperator est salutatus*. Lib. 1. Pollio in 30. Tyran.

Verùm enim verò illa de Anchise Troiano fabula nihil obest veritati nuptiarum Ansberti & Blitildis; diu quippe post illos nata, & in Regum nouorum gratiam assentatoriè introducta. Reliqua Bouchetianæ tabulæ supra Ansbertum capita datâ operâ omisi, quia gradus illos Chronographi & Genealogi veteres non attigerunt; nec illos agnouit Carolus Caluus Imperator, qui de sui generis stipite ante annos DCCC. certiùs edoctus erat quàm Bouchetus & Dominicus. Sufficit in præsentiarum ostendisse Regum nostrorum femininam originem (cum prærogatiuâ natalium ante Capetinos Reges) à *Blitilde*, Clotarij primi Regis filiâ, Clodouci magni nepte; nec non & ab *Ansberto*, Senatoriæ stirpis illustri eius coniuge; quandoquidem *Sidonius Apollinaris*, Præfectus & Patricius, *secundùm sæculi dignitatem nobilissimus, & de* PRIMIS GALLIARVM SENATORIBVS, *filiam* AVITI *Imperatoris* [PAPIANILLAM] *sibi in matrimonium sociauerit*; & ipse DIVVS AVGVSTVS *nihil ampliùs quam Equestri familiâ ortum se scripserit, vetere & locuplete, & in quâ primus* SENATOR *pater suus fuerat*. Greg. Tur. l. 2. c. 21. Sueton. in Aug. c. 2.



CAPVT ALTERVM.

Contra Mentem explicatam Gallici Assertoris, circa Salicæ Legis intellectum.

Prodijt Lutetiæ hoc anno 1647.



VT Terram Salicam masculis deferendam ad Regni Franciæ Occidentalis hæreditatem extendat Assertor, vtitur Rhenani fide, qui *Terram Salicam penitus immunem ac liberam fuisse* censuit. Adducit deinde Coccij auctoritatem, qui non ita pridem scripsit, *Terram Salicam in antiquis chartis nuncupari Terram Dominicatam*. Vnde infert, Salicam Legem ipsius etiam Regis, sicut & militis, iura definite. Quod quàm prudenter ab illo sit assertum paucis examinabimus.

In epist. ad Petrum Heldingum. In Dagoberto.

Lib. 3. de Vitijs sermonis, cap. 10.

Dominicalis & Dominicata, vel Indominicata Terra dicitur, inquit doctissimus Vossius, *quæ alter Dominica vocatur; hoc est, cuius proprietas est penes alium, à quo, vt Domino loci, alteri ad certum temporis spatium elocatur*. Vnde quia tributo & censui Dominico obnoxia est, *Dominicata* seu *Indominicata* dicitur. Id clarè docuit Carolus Magnus, vbi edixit *de his qui* AGROS DOMINICATOS *propterea neglexerunt excolere, vt* NONAS *exinde non persoluerent*. Quemadmodum annui prouentus *decima pars* ex agris quibusdam persoluebatur; sic etiam ex alijs *nonas* quam vocabant *Annonam*, quasi *Anni nonam*: vnde Hincmarus memorat *Annonam de Terris Dominicatis collectam*, hoc est, nonam fructuum partem de terris elocatis, vectigalibus annuæque præstationi obnoxijs. Et Baldericus meminit *pugnatorum*, id est militum, *qui reditibus agrorum* ANNONANTVR, *& mercimonijs vectigalium solatiantur*.

Lib. 5. Capitular. c. 147.

Tomo 2. op. 33. cap. 1.

Lib. 3. cap. 52.

Lib. 5. cap. 35.

At Aimoini Continuator de Carolo Caluo distinctè: *Quomodo tributum de parte Regni Franciæ, quam ante mortem Lotharij habuit, sed & de Burgundiâ exigeretur, disposuit; scilicet vt de* MANSIS INDOMINICATIS *solidus vnus; de vnoquoque manso ingenuo quatuor denarij de censu Dominico, & quatuor de facultate mansuarij; de manso verò seruili duo denarij de censu Dominico, & duo de facultate mansuarij.*

Illud porrò Domini ius in Dominicatâ terrâ, seu elocatâ, vocabatur *Dominicum*; eratque diuersum à *Beneficio*, quod Beneficiarij sacramento & hominio dumtaxat obstrictum erat. Vtrumque Carolus Caluus perspicuè distinxit in chartâ pro S. Germano: *Vineas quoque in præfatâ villâ decreuimus ab eisdem excoli, vindemiari, à quibus olim cultæ fuerunt & vindemiatæ, siue sint* INDOMINICATÆ, *siue in*

Apud Continuatorem Aimoini l. 5. c. 34.

BENE-

BENEFICIVM *quibusdam datæ.* Aimoini Continuator similiter: *Ciuitatem Metensem cum Abbatiâ S. Petri, & S. Martini, & Comitatu Mosïensi, cum omnibus* VILLIS *in eo consistentibus, tam* DOMINICATIS *quàm* VASSALLORVM. Villæ Dominicatæ prædia erant Dominorum alijs locata (vt antè Vossius) tributoque & censui Dominico obnoxia: Villæ autem Vassallorum erant *Beneficia*, dicta postmodum *Feuda*; pro quibus Nobiles possessores fidem Domino obligabant. Ecce chartas alias ineditas, ex quibus Assertor de naturâ & qualitate rerum Dominicatarum ampliùs edoceatur. Cap. 25.

PRIMA: *Ego* CHRODEGANGVS *gratiâ Dei Metensis vrbis Episcopus*, &c. *Quia considerauimus eis esse necessaria quæ pauca antè ibi dedimus locella, & illa quæ* INDOMINICATA *non fuerunt; & hæc, quæ modò donamus, similiter non* IN DOMINICO, *sed in* BENEFICIO *vsque nunc fuerunt; scilicet montem Vironem in pago Scarponinse, cum omni integritate vel soliditate suâ, cum terris, domibus, ædificijs*, &c. *Actum in villâ Arconiago publicè anno ab incarn. Dom.* DCC. LVII. *ind.* X. *epactâ* XXVI. *conc.* V. *anno* VII. *Regni* PIPPINI *Regis.* Ex Chartulario Gorziensi.

II. *Ego* CHRODEGANGVS, *vnà cum voluntate illustrissimi viri* PIPINI *senioris, inclyti Francorum Regis, auunculi mei, & cum consensu patrum nostrorum Episcoporum, Abbatum*, &c. *damus in villâ Flamersbe Ecclesiam in honore S. Gorgonij conditam*, &c. CVRTEM INDOMINICATAM *cum casâ & alijs ædificijs superpositis, cum mancipijs, cum* TERRA INDOMINICATA *cultâ & incultâ, cum pratis & vineis, cum banno & omni seruitio nobis debito; hoc est, cum tauro, & verre, & ariete. Ad* TERRAM INDOMINICATAM *pertinent* VII. *mansi & dim. cum ancingis suis: vnusquisque* XII. *ancingas habet inter arabilem terram & vineas: vnusquisque mansus soluit in Pascha denarios* XXX. *pullos* V. *oua* LVIII. *in natiuitate Domini* IIII. *carratas lignorum, &* IIII. *denarios*, &c. *De illâ autem terrâ nullus audeat* ALODIVM *facere*, &c. *Actum Metis publicè anno ab incarn. Dom.* DCC. LXV. *ind.* III. *epactâ* XXV. *conc.* I. XXV. *die mensis Maij; lunâ ipsius diei* XXX. *anno* XV. *Regni* PIPPINI *Regis.*

III. WALA *per misericordiam Dei sanctæ Metensis Ecclesiæ Episcopus*, &c. *Notum sit omnibus*, &c. *qualiter* LEVTHARDIS *Deo sacrata & filius suus* NITHARDVS *dederunt aliquid de rebus suis ad partem Ecclesiæ S. Protomartyris Stephani, quæ est infra murum Mettis constructa; hoc est in pago Scarponinse, in Comitatu Berneri, in villâ Hodingas, super fluuium Alsoncia*, MANSVM INDOMINICATVM; *ad quem aspiciunt de terris arabilibus ad seminandum in vnoquoque anno de* ANNONA *modij* CLX. *prata ad fenum, carratas* C. *cum farinario vno; vnde redditur*

IN

IN CENSVM *in vnaquoque anno de farinâ modij* XX. *Alios quoque mansos & sortes seruiles* IX. *in eadem villâ*, &c. *Facta precaria anno* VI. *adeptionis Regni* LVDOVICI *gloriosissimi Regis.*

IV. *Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ tam præsentibus quàm futuris, qualiter* MADELGERVS, *&* OFFICIA, *&* HILDEBERTVS, *ex familiâ sancti Petri & sancti Gorgonij, commoti fuerunt in placito ante Folcherum Abbatem, & Adelbertum patrem eius, de* TERRA *eorum, quòd plus debuisset esse* INDOMINICATA, *quàm ad suam* HEREDITATEM *esse. Illi verò necessitate compulsi venerunt ante Dominum Folcherum, & Iudicem nomine Scenulfum; & deprecati sunt misericordiâ Dei omnipotentis, vt illis licuisset exinde examinare* SECVNDVM LEGEM: *& permisit eis. Tunc venerunt in placitum coram Scenulfo Iudice, & Folchero Abbate, & alijs bonis hominibus, in loco qui dicitur in Villâ VVasnou. Et interrogauit Scenulfus Iudex Aldebertum quæ inde esset lex. Et indicauerunt Scabinij, quòd super sanctas Reliquias approbare debuissent: quod ita & fecerunt*, &c. *Actum Gorziæ Monasterio publicè anno ab incarn. Domini* DCCC. LXXXVI. *anno* III. *regnante* KAROLO *Rege.* Ex antiquissimis ergo Regum præceptis & aliorum tabulis constat, TERRAM DOMINICATAM non fuisse immunem & liberam, sed Domino censualem atque tributariam.

Quod verò attinet ad *Terram Salicam*, Ducatus Lotharingiæ Superioris, quem verè Salicum esse eius Principes vehementer affirmant, etsi cætera liber est & immunis, ratam tamen portionem de taxis & contributionibus pro pace publicâ (*Lantfrid* vulgò vocant) Imperio persoluit. Præterea apud Marquardum Freherum, in descriptione *hubarum* siue *pascuorum* ad curiam Furde pertinentium, memorantur *Decimæ Salicæ*, quas à Terris Salicis exigi solitas probat etiam hæc transactionis charta, quam adfert Goldastus: *Notum sit omnibus, quòd ego* SALOMON *iunior, Constantiensis Sedis Episcopus, &* HARTMOTVS, *Cœnobij S. Galli Abba*, &c. *statuimus inter nos, vt venerabili Abbati & Fratribus prædicti Monasterij* DECIMAM IN SVBNOTATIS LOCIS, *sicut illius temporis in illorum erat* VESTITVRA [id est possessione] *concederemus: hoc est in Mechingen, simul cum* SALICA TERRA *& hobis, quæ Canonicis pertinebant: & in Heminhofun, cum* SALICA TERRA *& hobis: & in Goldahun, cum* SALICA TERRA, *simul cum illâ hobâ quæ illi adiacet; cuius decima tunc in meâ vestiturâ erat: quod & feci*, &c. *Actum in Villâ Romanishorn anno, regnante Imperatore* CAROLO, II. *sub Comite* ADALBERTO, *mense Iunio, die Veneris, Indictione* XV.

Ex Pacto Norimbergensi. In Monum. Palatinis pag. 44. Tomo 2. Antiquit. Alaman. p. 1. c. 28.

Illud monumentum vetus *Salicæ Terræ* immunitatem apertè impugnat;

pugnat; ostenditque Rhenani leuitatem, qui *liberam* penitus fuisse censuit. Neque felicior Assertor Gallicus, seu ad Coccij mentem se componat, seu (quod satis illi familiare, dum idem varijs in locis versat argumentum) genij sui inconstantiam apertè prodat. Exempli causâ: vno in loco affirmat *fortes ab allodijs nullo modo distingui;* vbi Casanouam arguit, *quòd malè sortes allodijs opposuerit:* in alio Casanouam laudat, & eius auctoritate vtitur, vt probet *Alodem* idem esse ac *sine sorte*, vel *extra sortem*, & sic Alodem à sorte differre. Cap. 5. de allod. num. 12. In Mente explicatâ, p.14.&15. p.17.

Subdir demum post nonnulla Dominicus, *Rudolphum Burgundionum Regem*, licet à Caroli Magni sanguine procul alienus esset, Heriberri factionibus Francici Regni regimen inuasisse; ideoque *contra legem* dici assumptum in chartâ veteri, quam edidit Iustellus cum hac subscriprione: *Data fuit cessio ista apud Celsinanias* V. *Idus Octobris, anno* VI. *quo Franci dehonestauerunt* REGEM SVVM CAROLVM, & CONTRA LEGEM *elegerunt* RADVLPHVM *sibi in Regem*. Aliam subiungit Iustellus, quæ sic subscripta est: *Actum* V. *Octobr. Celsinanias, anno* VI. *quo Franci infideles Regem suum* CAROLVM *inhonestauerunt, &* RADVLPHVM *in Principem elegerunt*. Rudolphum Ducem, Richardi Burgundionum Ducis filium, Dominicus inconsideratè vocat *Burgundionum Regem*: quod Regnum tunc obtinebat Rudolphus alter, huius Rudolphi Ducis in Regem Francorum electi consobrinus. *Rudolphum* præterea malè censet *contra legem electum*, quòd à Caroli Magni genere procul alienus esset: idcircò enim *electus* scribitur *contra legem Rudolphus*, quia præter Francorum morem à Fulcone memoratum, nec masculino nec feminino ductu à Regibus sincerè oriebatur. Ex quo tamen more electus *Pipinus*, qui muliebri dumtaxat lineâ à Merouingis Regibus ortum ducebat, à nemine dictus est *contra legem* assumptus; quinimò inauguratus, *ne conturbaretur ordo Regalis, quia erat de sanguine Regali Francorum*. In Probat. Histor. Aruerniæ p.16. Vetus Auctor laudatus à Dominico.

In summâ, quicumque editis in publicum falsis Principum stemmatis, laruatâque commentis Salicâ Lege, cruentum inter Reges bellum prorogant, almamque Pacem eliminant, *sciant se nec* ROMANIS *in die iudicij, nec* SALICIS, *nec* GVNDOBALDIS, *sed diuinis & Apostolicis* LEGIBVS *esse iudicandos*. Hincmarus tom.2. Opusc.16. c.12.

FINIS.

INDEX GENEALOGIARVM

quæ deſcribuntur, vel tabellis exprimuntur in hoc Opere.

HEN-

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

B.

C.

D.

I.

L.

M.

Maius

N.

O.

P.

Prouincia



INDEX

INDEX AVCTORVM.

D.

E.

F.

Nicolaus

O.

P.

Q.

R.

S.

INDEX AVCTORVM.

FINIS.

APPRO-

APPROBATIO CENSORVM.

LVMINA hæc noua Nobilissimi Viri Ioannis Iacobi Chifletij, Equitis & Archiatri Regij, ad Vindicias suas Hispanicas in clarissimâ luce atque in omnium oculis collocant ea, quæ aduersantium inuidiâ simulationum inuolucris tegebantur; ita vt in posterum, quò à pluribus magnitudo Hispanica impugnabitur, eò plus habitura sit virium ad resistendum; seu originis splendor atque antiquitas spectetur, seu Legis Salicæ genuina mens Imperijque Maiestas immensa pro merito expendantur. Ita censui; neque in ijs quidquam sanæ doctrinæ aut bonis moribus contrarium animaduerti. Ipris Prid. Kal. Iulij M. DC. XLVII.

Antonius Sanderus Presbyter, S. Th. Licentiatus, Canonicus & Scholasticus Iprensis, Librorum Censor.

LVMINA *noua ad Vindicias Hispanicas, siue Responsa ad Francorum obiectiones, Auctore Ioanne Iacobo Chifletio, Equite & Archiatro Regio,* sicut Iura & Prærogatiuas Catholici Regis firmissimis argumentis ostendunt, & Francorum vana argumenta solidissimè refutant; ita digna censeo quæ lucem aspiciant, & peritorum manibus terantur. Actum Antuerpiæ x. Septembris M. DC. XLVII.

Guillelmus Bolognino S.Th. L. Canon. & Lib. Censor Antuerp.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *Lumina noua ad Vindicias Hiſpanicas, ſiue Reſponſa ad Francorum obiectiones, Auctore Ioanne Iacobo Chifletio, Equite & Archiatro Regio*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XIV. Martij M. DC. XLVII.

Signat.

Steenhuyſe.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XLVII.

